JUS
CANONICUM
UNIVERSUM
CLARA METHODO JUXTA TITULOS
QUINQUE LIBRORUM DECRETALIUM
IN QUÆSTIONES DISTRIBUTUM
SOLIDISQUE RESPONSIONIBUS ET OBJECTIONUM SOLUTIONIBUS DILUCIDATUM

CUM APPENDICE

DE DISPENSATIONE SUPER IMPEDIMENTIS MATRIMONII

ET PETENDI DEBITUM CONJUGALE

ITEM DE REVALIDATIONE MATRIMONII INVALIDE CONTRACTI

AUCTORE

R. P. F. ANACLETO REIFFENSTUEL

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI REFORMAT. PROVINCIÆ BAVARICÆ LECTORE JUBILATO

EDITIO NOVISSIMA CUI ACCESSIT

TRACTATUS DE REGULIS JURIS

CUM REPERTORIO GENERALI TOTIUS OPERIS

TOMUS QUARTUS

ROMÆ
APUD DOMINICUM ERCOLE
MDCCCXXXIII

PRAEFATIO

AD LECTOREM

Noli mirari, benevole Lector, quod post tres priores hic quartus Tomus tam sero sequatur; quia non culpa Auctoris, sed alia causa operis jam perfecti typum retardavit. Modum, et Ordinem, Stylum, Claritatem, Brevitatem, ac Doctrinae securitatem reperies similem prioribus. Annexa eidem etiam fuit a pluribus desiderata Appendix utilissima, continens brevem, sufficientem tamen, et claram Theoriam, et Praxin de Dispensatione super impedimentis Matrimonii, et petendi debitum conjugale, nec non de Revalidatione Matrimonii, invalide contracti, ex qua Appendice quivis faciliter clare et breviter in promptu habet, qualiter in praxi Dispensatio tam pro externo, quam interno foro, sive apud Curiam Romanam, sive apud Episcopum procurari, et qualiter Executores deputati eam rite exequi, qualiter item conjuges putativi obtenta dispensatione Matrimonium nulliter contractum secure, et caute revalidare possint, ac debeant. Quae omnia cum scitu utilissima sint, et necessaria, utpote in praxi jugiter occurrentia, non raro plurimum servient, et gratum erit, ea clare, secure et practice in compendio habere ad manum. Pro majori commoditate praemittitur utriusque tam Tomi videlicet, quam Appendicis Elenchus Titulorum, Paragraphorum, et Quaestionum, ex cujus lectione in temporis angustia facile invenies, quod cito scire desideras. Caeterum iterum repeto ea, quae in primis tribus Tomis te monitum volui, adjunctis denuo humillimis precibus, ut errores typo communes, ob aliorum concurrentium negotiorum copiam, quae revisionem, et correcturam typi e praelo venientis prohibuit, benigne excusare, et ipse emendare digneris.

FACULTAS ET CENSURA ORDINARII

Cum Juris Canonici Tomus Quartus Rev. P. Anacleti Reiffenstuel, Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum Theologi Jubilati etc. a Theologis perlectus, nihil Fidei Orthodoxae aut bonis moribus contrarium contineat, sed imo ob claram methodum, sententiarum gravitatem, et rationum subtilitatem Jus dicentibus, et in utroque Foro versantibus, apprime utilis futurus sit: ideo, ut publicam lucem videre possit, licentiam, et facultatem concedimus, ac impertimur. In quorum etc. Frisingae die 12 Maii 1710.

Franciscus Antonius Begnudellius Bassus, SS. Theolog. Doctor, Canon. Capitul. S. Scholasticus, Vicarius Generalis et Officialis.

LICENTIA ET APPROBATIO ORDINIS

Fr. Matthaeus a Sancto Stephano, SS. Theologiae Lector Jubilatus, ac totius Ordinis S. P. N. Francisci Minister Generalis, et Servus, Dilecto nobis in Christo R. P. F. Anacleto Reiffenstuel, Lectori Jubilato et Concionatori nostrae Reformatae Provinciae Bavariae, salutem, et omne bonum.

Cum juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones, per idoneos Censores, revisum fuerit opus quoddam a Te compositum, cujus Titulus est: *Jus Canonicum juxta Titulos quinque Librorum Decretalium in Quaestiones distributum etc.* Tenore praesentium, ad Salutaris Obedientiae meritum, facultatem Tibi impertimur, quatenus servatis servandis illud Typis mandare valeas. Datis Romae, die 10 Aprilis 1700.

Fr. Matthaeus a S. Stephano Minister Generalis.

De Mandato S. P. Reverendissimae Fr. Petrus ab Urbino, Secretarius Generalis.

CENSURA THEOLOGICA PRIMA

Cum quartus Juris Canonici Tomus R. P. Anacleti Reiffenstuel, Ord. Min. S. Francisci Reformatorum, nec Fidei, nec bonis Moribus quidquam contrarium contineat, et de reliquo a prioribus in nullo degeneret, censuram, et encomium pro tertio Tomo datum, pro hoc iterum repeto, eumque, ut pro communi utilitate in lucem publicam prodeat, dignissimum censeo. Datum Landishuti 5 Martii 1708.

Fr. Floridus Mosmiller, Ord. M. S. Francisci Reform. Lector Jubil. et Provinciae Custos actualis.

CENSURA THEOLOGICA SECUNDA

Tomum hunc quartum Juris Canonici Reverendi Patris Anacleti Reiffenstuel, de Mandato Superiorum accurata diligentia perlegi, et sicut tam in perspicuitate, quam soliditate per omnia cum praecedentibus Symbolizantem inveni, ita ob cultam ordinis et methodi amabilitatem, firmam doctrinae securitatem, optimam cum primis orthodoxae fidei et morum principiis concordantiam, fidelem Legum, Canonum, Constitutionum Pontificiarum, Decretorum, et Declarationum allegationem, et maxime ob illustrem ad exquisitissimam praxin manuductionem dignissimum censeo, qui ad publicum Christianae Reipublicae emolumentum, immortalem Auctoris memoriam, et insignem assidue in quotidianis causis, et casibus matrimonialibus laborantium consolationem publico praelo committatur. Datum Frisingae die 11 Maii 1710.

Fr. Albertus Reiffenstuel, Ord. M. S. Francisci Reform. Lector Jubilatus, et SS. Canonum Actualis.

DIE 7 NOVEMBRIS 1831

REIMPRIMATUR Fr. Dominicus Buttaoni Ord. Praed. Mag. S. Pal. Soc.

REIMPRIMATUR Josephus Della Porta Patriar. Constantinop. Vicesg.

ELENCHUS

TITULORUM PARAGRAPHORUM ET QUÆSTIONUM

IN TOMO QUARTO JURIS CANONICI UNIVERSI CONTENTORUM

TITULUS I.

De Sponsalibus, et Matrimonio.

§. I.

De Natura, ac divisione Sponsalium, et Requisitis ad ea.

§. II.

De Verbis, et variis verborum Formulis, quibus contrahi possunt et solent: contractaque in Foro externo praesumi, ac judicari debeant Sponsalia?

§. III.

De Signis, per quae Sponsalia contrahi possunt, et solent, contractaque in foro externo praesumi debeant?

§. IV.

De Defloratione, Copula, Impraegnatione, cum, vel sine promissione, aut spe Matrimonii facta, signum Sponsaliorum praebente, aut obligationem ducendi, vel dotandi inducente.

ELENCHUS.

§. V.

De Effectibus Sponsalium: praesertim de obligatione eorundem, et modo compellendi obligationi satisfacere nolentes.

§. VI.

De Arrhis, Poenis, et Conditionibus Contractui Sponsalitio appositis.

§. VII.

De Causis dissolvendi Sponsalia. In specie de mutuo Consensu, Recessu unius, Absentia, Dilatione nimia, Ingressu in Religionem, Ordine, et votis.

§. VIII.

De reliquis Causis solvendi Sponsalia, ob Matrimonium, vel Sponsalia posteriora, Fornicationem, Impedimentum, vel alias mutationes supervenientes emergentibus.

§. IX.

De Matrimonio metu, aut per errorem, vel dolum contracto.

§. X.

De Impedimentis Matrimonii, et de Dispensatione eorum: Item de Convalidatione, seu Ratificatione Matrimonii invalide contracti, a potiori remissive: In specie tamen de Disparitate cultus, seu de Matrimonio Catholicorum cum infidelibus contracto.

TITULUS II.

De Dispensatione Impuberum.

ELENCHUS.

ELENCHUS.

ELENCHUS.

TITULUS XV.

De Frigidis, et Maleficiatis, et Impotentia coeundi.

TITULUS XVI.

De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiae.

TITULUS XVII.

Qui Filii sint legitimi.

§. I.

De Liberis legitimis.

§. II.

De Illegitimis, et eorum Legitimatione per subsequens Matrimonium, aut Rescriptum Principis: ubi etiam de differentia inter Legitimos, et Illegitimos quoad effectum.

TITULUS XVIII.

Qui Matrimonium accusare possint, vel contra illud testificari?

TITULUS XIX.

De Divortiis.

§. I.

De Divortio, seu dissolutione Matrimonii tam consummati, quam rati quoad Vinculum.

§. II.

De Divortio, seu dissolutione Matrimonii quoad Thorum et cohabitationem, et causis ejusdem.

§. III.

De Divortio quoad Thorum perpetuo ex causa adulterii.

ELENCHUS.

TITULUS XX.

De Donationibus inter Virum, et Uxorem: et de Dote post Divortium restituenda.

§. I.

De Donationibus inter virum et uxorem.

§. II.

De Dote et Bonis Paraphernalibus: Item de Donatione propter nuptias seu Contradote, et de Morgengeba, seu Morgenatica: Ubi etiam de Sponsalitia Largitate, et Arrha.

§. III.

De Restitutione Dotis, et aliorum soluto Matrimonio facienda: ubi etiam de lucro tempore Matrimonii acquisito.

TITULUS XXI.

De secundis Nuptiis.

De Valore, et Honestate secundarum Nuptiarum, et praevia notitia de morte conjugis necessaria requisita.

§. II.

De Benedictione secundarum Nuptiarum: Et de Poenis secundo nubentium.

ELENCHUS APPENDICIS

DE DISPENSATIONE

SUPER IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

§. I.

De Potestate dispensandi super Impedimentis Matrimonii, competente Papae, Nunciis Apostolicis, Episcopis, Capitulo sede vacante, et Vicariis Generalibus.

§. II.

De Conditionibus requisitis ad hoc, ut Episcopus, secluso privilegio, dispensare valeat pro Foro interno super Impedimentis occultis, Jure Ecclesiastico Matrimonium dirimentibus.

JURIS CANONICI

UNIVERSI

CLARA METHODO JUXTA TITULOS

QUINQUE LIBRORUM DECRETALIUM

IN QUÆSTIONES DISTRIBUTI SOLIDISQUE RESPONSIONIBUS ET OBJECTIONUM SOLUTIONIBUS DILUCIDATI

LIBER QUARTUS

PRÆFATIO

Quoniam in Tertio Decretalium Libro potissimum actum fuit de iis, quae Clericos tam Regulares, quam saeculares concernunt, ordo exigit, ut in hoc Quarto Decretalium Libro praecipue agatur de materiis Laicos concernentibus, non quidem omnibus (hoc enim spectat ad Jus Civile) sed de iis, quae quamvis Laicis sint propriae, tamen ad Forum et judicium pertinent Ecclesiae; cujusmodi sunt Sponsalia, Matrimonia, et eis annexa; haec siquidem licet solos inter Laicos regulariter reperiantur, Laicisque propria existant, tamen ad Tribunal pertinent Ecclesiasticum, uti patet non solum ex *can. Multorum.* 10. *dist.* 35. *q.* 6. et *Accedentibus* 12. *de Excess. Praelat.* sed etiam novissime definitum est in Concilio Trident. *Sess.* 24. *Can.* 12. ibi: *Si quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, Anathema sit.*

Ut autem Liber hic Quartus de Sponsalibus, Matrimonio, et annexis principaliter agens, pro Foro Ecclesiastico, ubi materia haec scitu summe necessaria continuo occurrit, praetiee magis quadret, illa praecipue tractanda seligemus, et uberius explanare juvante Deo conabimur, quae Judicibus in Foro ac Tribunali Ecclesiastico pro praxi magis servient, praetermittendo, aut non nisi breviter tangendo illa, quae scitu vel minus utilia, vel in Theologia tam Speculativa quam Morali exacte tradi solita dignoscentur.

TITULUS I.

De Sponsalibus, et Matrimonio.

1 *Ratio ordinis Rubricarum.*

1 Duas, uti ex Rubrica patet, praesens Titulus habet partes, de *Sponsalibus* nempe, et de *Matrimonio*: Quoniam vero Sponsalia latius patent quam Matrimonium, et hoc plerumque praecedere solent illa, hinc ordinem Rubricae sequentes, prius de Sponsalibus, postea de Matrimonio agemus.

§. I.

De Natura, ac Divisione Sponsalium, et Requisitis ad ea.

SUMMARIUM.

2 *Sponsalia, et sponsus unde dicantur.*
3 *Sponsaliorum varia acceptio.*
4 *Sponsalia proprie talia, seu de futuro definiuntur.*
5 *Ad valorem Sponsalium requiritur promissio seria. Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum. Ibid.*
6 *Ficte, vel jocose promittens Matrimonium in Foro interno non tenetur servare promissum, bene tamen resarcire damnum inde secutum. Damnificans injuste tenetur ad restitutionem. Ibid.*

7 *In Foro externo quivis praesumitur vere promisisse. consequenter ad servandum promissum adigitur; nisi fictionem probet.*

Fingere nullus censetur. Ibid.

8 *Jocus facilius probatur quam fictio.*

Turpitudinem propriam allegans non est audiendus. Ibid.

9 *Ficte promittens negare cum juramento potest, se promisisse.*

Negare etiam cum juramento, quando liceat? Ibid.

10 *De obtinente esem corporis cum vel sine promissione Matrimonii. Remissive.*

11 *Sponsalia debent esse deliberata: et qualiter?*

12 *Debent esse libera ab errore,*

13 *Et metu injuste incusso.*

14 *AdSponsalia requiritur etiam promissio externa.*

15 *Et mutua, seu reciproca. Et nu. seq.*

17 *Potest tamen promissio non mutua obligare ad nubendum.*

18 *Quamvis ex ea non sequatur impedimentum publicae honestatis.*

19 *Sponsalia debent esse inter personas de Jure habiles. Quaenam hae?*

Impedimentum perpetuum respectu Matrimonii impediens, est respectu Sponsalium dirimens Ibid.

Promissio, foto juramentum illicitorum, nullam inducit obligationem. Ibid.

20 *Impedimentum temporaneum non impedit fieri Sponsalia.*

21 De Sponsalibus sub conditione, *si Papa dispensaverit.* Remissive.

22 *Sponsalia clandestina sine praesentia Parochi et testium valent.*

Consuetudo est optima Legum interpres. Ibid.

23 *Ad valorem Sponsalium non requiritur consensus aut consilium Parentum.*

24 *Ut licite fiant Sponsalia, tenetur quis saltem consulere parentes, quamvis sequi non teneatur. Et num. seq.*

25 *Extraordinarie tenetur etiam sequi consilium, et subinde non tenetur petere.*

2 Non immoramur Etymologiae Sponsalium: notissimum enim est, Sponsalia a spondendo derivari ac dici *L. 2. et 3 ff. de sponsalib.* quia mos erat apud Veteres, quod qui uxorem ducere cupiebat, eam prius ab illis, sub quorum cura et potestate existebat, Parentibus v. g. Tutoribus, Amicis etc. peteret, qui dein petenti etiam in Matrimonium dare spondebant, seu promittebant, ex quo proin illi, qui petitam sic promittebant *Sponsores*, ea vero, quae promittebatur *Sponsa*, id est promissa, ille, cui spondebatur, *Sponsus*, et dies, in quo spondebatur, *Sponsalia*, dicebatur, *cit. L. 2. et 3. ff. de Sponsalib* ibi: *Sponsalia dicta sunt a spondendo, nam moris fuit Veteribus stipulari, et spondere sibi uxores futuras: unde et Sponsi Sponsaeque appellatio nata est.*

3 Quaeritur I. Quid, et quotuplicia sint Sponsalia? Ante responsionem notandum, quod licet prima hujus Quaesiti pars de Natura, posterior vero de divisione Sponsalium sit, tamen pro majori intelligentia prius variam Sponsaliorum acceptationem, atque divisionem ejus cognoscere oporteat. Sciendum itaque, Sponsalia varie, ac praecipue tripliciter sumi. Videlicet *primo*, omnino improprie pro arrha, seu muneribus, quae sponsae dantur a sponso. *arg. L. 1. C. Si nuptiae. ex rescript.* ibi: *Vel sponsalia, hoc est, arrharum data nomine reddi sibi deposcunt. Secundo*, minus propria pro ipso Matrimonio rato non tamen consumato, *arg. c. Sicut. 22.* et *c Si inter. 31. h. t.* ubi propterea, sicut et passim in Jure Matrimonium ratum *Sponsalia de praesenti* dicitur ad distinctionem *Sponsaliorum* proprie talium, quae non sunt ipsum Matrimonium jam rite contractum, sed sponsio seu promissio de eodem in futurum contrahendo, et propterea *Sponsalia de futuro* dicuntur ad distinctionem *Sponsalium de praesenti*. Atque haec est *tertia*, eaque propria acceptio Sponsalium, de quibus prima pars Rubricae, ac praesens Quaestio, ad quam

Resp. Sponsalia proprie dicta, de futuro nempe, *sunt mentio, et repromissio futurarum nuptiarum.* Haec definitio *habetur L. 1. ff. de Sponsalib.* quam Doctores communiter amplectuntur, eo quod conveniat cum definitione data *can. Nostrates. 3. can. 30. q. 5.* ibi: *Sponsalia futurarum sunt nuptiarum promissio*: licet enim in his non vocentur *repromissio*, id est, reciproca seu mutua promissio, tamen ex contexto citati Canonis satis clare patet, quod per ly *promissio* mutuam seu reciprocam promissionem intellexerit Legislator, prout etiam communis habet Doctorum exinde etiam communiter docentium, de natura et essentia Sponsaliorum esse *mutuam et reciprocam* promissionem factam ab utroque Sponsalia contrahentium, tam sponsa nempe, quam sponso, ut infra *num.* 15. magis patebit. Hinc clarior, ac facilior apparet definitio, quam tradit Bosco noster in *Theologia Sacramentali Disp. 11. de Contractu et Sacramento Matrimonii sect. 1. Conclus. 1.* Dicendo: *Sponsalia sunt mutua promissio Matrimonii.* 4

Quaeritur II. Quaenam requirantur ad valorem Sponsalium de futuro? Resp: Plura requiri: Patet inductione. Nam, I. requiritur, quod non sit ficta et simulata, sed *vera ac seria Matrimonii promissio*, animo ac intentione sese obligandi facta. Sanch. *de Matrim. lib. 1. Disp. 9. n. 6.* Bosco *loc. cit. concl. 5.* Zoesius *h. t. num.* 29. Pirhing *eod. n. 4.* Lessius *de J. et J. lib 2. n.* 58. et plures apud Sanch. cum communi, et hodie certa; *arg. L. Obligationem. 3. ff. de Act. et Obligat.* Ratio patet, tum quia ficta promissio non est vera promissio; quae tamen est de essentia, seu pars essentialis Sponsalium, uti liquet ex definitionibus datis: Tum quia deest consensus internus, Sponsalia vere contrahendi, ac sese obligandi; consequenter nulla sunt Sponsalia, nullaque obligatio, *Arg. c. un. h t. in* 6. ubi Sponsalia dicuntur *nulla ex defectu consensus*. Et *can. Ubi non est, can. 30. q. 2.* Nec sufficit, quod ficte promittens exhibuerit consensum saltem externum; quia hic in solis verbis, verborumque, aut signorum externorum figura consistens sine formali consenso interno non valet, nec obligationem inducit, textu claro *c. Tua nos. 26. h. t. l. Simulatae. 3 ff. de Rite nup.* et *can. Humanae aures. 11. cau. 22. q. 5.* ibi. *Quia non debet aliquis verba considerare, sed animum et intentionem.* Unde etiam tritum habetur illud: *Actus agentium non operatur ultra voluntatem eorum l. In Agris 16 ff de Acquir rerum domin.* et *l. Non omnis 19 ff. de Reb. credit. si certum petatur, juncto c fin de Praeb. cum concord.* 5

Confirmatur. Obligatio promissionis consurgit ex privata lege, quam sibi imponit promittens; atqui nulla lex obligat, nisi Legislator obligare intendat, et est communis Doctorum: ergo nec lex privata, quam promittendo quis sibi imponit, nisi per eam sese obligare intendat. Sanchez *loc. cit.*

Infertur, eum, qui certo scit, se non serio, sed ficte tantum, fraudulenter, dolose, aut simulate alteri promisisse Matrimonium, coram Deo, et in Foro conscientiae non obligari ad servandum fictum hujusmodi promissum. Ita DD. *num. praec.* citati ob rationem, et Jura ibidem allegata, licet ita promittendo peccet, et teneatur ad restitutionem damni, 6

si quod alteri parti ex hujusmodi ficta promissione sequatur, eo quod omnis injuste damnificans, aut sua culpa damnum inferens tenetur resarcire damnum injuste illatum, ut habet unanimis per vulgaria Juris ex *Tit. de Jurejur. et damn. dat.* praesertim ex c. *fin.* ibi: *Si culpa tua damnum est datum, vel injuria irrogata etc. jure super his satisfacere te oportet.*

7 Pariter coram Deo et in Foro conscientiae ad nihil tenetur, qui ex joco alteri promisit Matrimonium. Doctores, rationes, et Jura *n.* 5. allegati. Dicitur autem notanter in praesenti et praecedenti numero, *Coram Deo et in Foro conscientiae*; quia in Foro externo semper praesumitur seria promissio, et propterea etiam ad servandum promissum condemnari debet Promissor, nisi legitime probet jocum, fictionem, aut dolum: siquidem in Foro externo *nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit*, ubi habetur *L. Labeo.* 7. §. 2. *ff de Suppellect. leg.* Et *nimis indignum videtur, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare, proprioque testimonio resistere. L. Generaliter.* 13. *C. de Non num. pecun.* Hinc qui fatetur, vel convincitur, quod Matrimonium promiserit, non liberat se ab onere promissum adimplendi, si dicit, se tantum jocose, aut ficte promisisse, nisi jocum aut fictionem probet; alias quivis facillimo negotio Sponsalia in Foro externo eludere, et ex iis sibi incumbens onus nubendi pro libito removere posset, dicendo: *tantum jocatus fui*, vel, *tantum simulavi aut ficte promisi*, uti consideranti patet.

8 Facilius tamen est, probare jocum, quam dolosam fictionem: Tum quia jocus plerumque aperte patet, fictio dolosa autem studio absconditur, et ut seriua actus ex industria simulatur: Tum quia *jocus honestus* licitus est, et sine peccato fieri potest: *fictio* autem aut simulatio dolosa de promissione Matrimonii sine gravi peccato fieri nequit juxta dicta, consequenter eandem utpote turpitudinem asserenti non creditur, nisi aliunde plene probet: *nam allegans pro se turpitudinem suam non est audiendus, arg. c. Inter dilectos de Donat.*

Hinc licet, si promittens jocum plane probare non possit, sed ob circumstantias vel verba perplexe aut ambigua dubitatur, an promissio ex joco, vel serio sit facta, promittens ad juramentum purgatorium admitti debeat si perseverat, se tantum jocatum fuisse, nec habuisse intentionem vere promittendi; eo quod ordinarie in ambiguis locutionibus recurratur ad mentem loquentis, ejusque juramento stetur, *arg. c. Cum in tua qui Matrim. accusare possint*, et *c. Pastoralis in fine de Except.* docetque Gailus *lib.* 2. *Observ.* 48. *n.* 24. *et seqq.* Felinus *in c. Quoddam de Praesumpt. n.* 6. tamen ad tale juramentum admitti non debet, qui liberare se volens; dicit, dolosam tantum, ac simulatam fecisse promissionem ad obtinendum v. g. usum corporis, quia turpitudinem propriam allegans jam suspectum se facit et indignum fide, sicque minus habilem, ut ei juramentum deferatur, per ea, quae diximus *Lib. II. Tit. XXIV. de Jurejurando.* §. 6. *a n.* 180 consequenter juxta sensum verborum ad ducendam eam, cui promisit, condemnandus erit.

9 Caeterum si ficte promittens bene videat, quod a parte altera, cui promisit, probari nequeat promissio eidem facta, absolute etiam cum juramento negare potest, se eidem Matrimonium promisisse, hoc ipso, quod non vere sed ficte tantum promiserit, et non nisi ad sensum et mentem Judicis interrogantis respondere tenetur; Judex autem Reum conventum de promissione Matrimonii, de vera et seria promissione, quae ducendi obligationem inducit, interrogare censetur, quam Reus a parte rei, uti supponitur, minime fecit. Vide, quae circa haec diximus *Lib. II. Tit. XVIII. de Confessis.* §. 7. a *n.* 171. Quibus non obstantibus tenetur etiam in conscientia ad resarciendum damnum alteri parti ex hujusmodi facta promissione secutum, juxta dicta supra *n.* 6. et proin per talem negationem fictae promissionis solum possit efficere, quod non teneatur talem ducere, minime vero, quod non teneatur recompensare damnum, quod injuste intulit; etsi ab hoc per Judicem ex falsa praesumptione absolveretur. Imo si damnum injuste illatum non aliter quam per Matrimonium resarcire potest, ad id tenetur.

10 An autem, et quando teneatur quis ducere eam, a qua cum vel sine dolo seu fraude, cum vel sine ficta promissione Matrimonii obtinuit usum corporis a puella, dicemus infra §. 4. Interea pergemus alia recensere requisita ad valorem Sponsaliorum.

11 II. Requiritur, ut promissio fiat libere ac deliberate, seu libero, satisque deliberato consensu, ea saltem deliberatione, quae requiritur et sufficit ad merendum, et peccandum graviter. Communis, *arg. cit. c. Tua nos* 26. *h. t.* et *c. Dilectus* 24. *eod. can. Neque cau* 32 *q.* 7. juncta *L. Furor.* 8. *ff de Sponsalib.* Hinc insani, mente capti, furiosi durante insania, aut furore, Sponsalia contrahere nequeunt per aitate Jura. Ratio datur *cit. c. Dilectus* 24 *h. t.* videlicet, quia *legitimus*, id est, *satis deliberatus non potest intervenire consensus* Accedit, quod, cum Sponsalia sub mortali obligent, merito etiam tantam exigant libertatem ac deliberationem, quanta requiritur ac sufficit ad peccatum mortale; ut cum aliis bene observat Sanchez. *lib.* 1. *Disp.* 8. *n* 5. Guttier. de Matrim. *cap.* 7. *n.* 6. Ancharan. *in c. Dudum* 20. *de convers. conjug. n.* 10.

12 Porro debent Sponsalia esse libera ab errore circa personam. Omnes. Ratio est: quia alias deest substantialis consensus: *cum nullus* sit errantis consensus, *L. Non ideirco C. de Jur. et fact. ignorant.* Error tamen circa qualitates, v. g. fortunae, morum, conditionis etc. non invalidat Sponsalia, etiamsi fuerit antecedens, et dans causam contractui, ita ut Sponsalia non fecisset, si qualitatem illam scivisset. Perez *Disp.* 10. *sect.* 1. cum communi aliorum contra paucos alios. Ratio est, quia talia Sponsalia nullo Jure Divino aut humano, Civili vel Canonico invalida agnoscuntur; nisi hujusmodi qualitates deducantur in conditionem contractus. Nihilo minus error circa qualitates praebet causam justam dissolvandi Sponsalia, prout amplius dicemus infra §. 8. *de Causis dissolvendi Sponsalia*, ubi etiam, an et quando peccet sponsus, vel sponsa occultas malas qualitates occultans, vel bonas dolose simulans.

13 Insuper debent Sponsalia esse libera a gravi metu injuste incusso; hic enim facit, quod sint ipso Jure nulla; prout amplius probavimus *Lib. I. Tit. XL n.* 45. ubi vide.

14 III. Requiritur ad Sponsalium valorem, ut vera promissio verbis, aut aliis signis *externis* sufficienter manifestetur, adeo ut promissio interna quantumvis firmiter alicui de nubendo facta non obliget, si mente retineatur. Omnes. Ratio est; quia intentio mente retenta nihil operatur in humanis Contractibus, *arg. L. Cum in plures.* 60. §. *Locator. ff. Locati.* Accedit, quod promissio non acceptata non obliget *per Vulgaria*; promissio autem mente retenta ab altera parte non acceptatur; cum ignoretur: argo.

15 IV. Requiritur, ut promissio sit mutua, seu

reciproca per utramque partem facta. Layman. *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *cap.* 1. *n.* 2. Navarrus *cap.* 22. *n.* 25. Pirhing *h. t. n.* 4. Sanchez *de Matrim. l.* 1. *Disp.* 5. cum communi, *arg. cit. L.* 1. *ff. de Sponsalib.* ubi Sponsalia vocantur mentio, et *repromissio*, id est, reciproca promissio ad praecedentem promissionem facta. Accedit ratio: quia Sponsalia sunt contractus onerosus ultro citroque obligationem inducens. Insuper Sponsalia sunt Matrimonii praeambulum, cum, quod per hoc datur, per illa promittatur: ergo sicut in Matrimonio est necessaria mutua promissio, ita erit et in Sponsalibus. Sufficit tamen repromissio alterius tacita, id est, facta per talia signa, quae ipsius reciprocam promissionem sufficienter manifestet, etsi claris verbis non exprimatur. Doctores citati, et aperte desumitur ex c. *un. de Desponsat. Impub. in* 6. et amplius patebit infra §. 3. ubi hujusmodi signa tacita afferemus.

16 Et ex hoc Requisito infertur cum Laymano *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *cap.* 1. *n.* 2. Navarro *cap.* 22. *n.* 25. Pirhing *loc. cit.* et communi aliorum; quod quando quis, Titius v. g. animo contrahendi Sponsalia, et compartem ad reciprocam tacitam vel expressam promissionem permovendi promittit Titiae Matrimonium, Titia vero promissionem solummodo acceptet, nullatenus vero repromittat, nec vere Sponsalia contrahantur, nec aliqua obligatio ex parte ullius oriatur, non ex parte promissionem unde acceptantis; quia nihil repromisit; nec ex parte promittentis, utpote qui non censetur se obligasse, nisi secundum naturam hujus contractus; cum *verba contrahentium accipienda sint secundum naturam contractus, L. Ex conducto.* §. *Papinianus ff. Locati.* natura autem contractus hujus sit de promissione reciproca, juxta dicta: ergo.

17 His tamen non obstantibus fatendum, fieri etiam subinde posse graviter obligatoriam promissionem Matrimonii ab una parte, sine ulla expressa vel tacita conditione, *si repromittat et altera pars*; ut si dives aliquis foeminae, in aliquo morbo fideliter servienti, vel pro remuneratione, vel ut eandem ad ulteriorem fidelitatem permoveat, aut in eadem conservet etc. Matrimonium promittat; foemina vero non renuat, sed promissionem saltem tacite acceptet, juxta 43. R. I. in 6. *Qui tacet, consentire videtur*, videlicet in id, quod est in sui favorem, licet non in sui praejudicium. In tali aut simili casu procul dubio promittens obligaretur ducere Promissariam, non quidem ex vi verorum Sponsalium, utpote quae ex defectu mutuae promissionis non adsunt, sed vigore simplicis promissionis acceptatae, quae sicut in alia, ita et in hac materia vim obligandi habet. *arg. c.* 1. *et* 3. *de Pact. et can. Jurament.* 12. *cau.* 22. juncta *l. Juris gentium* §. *Ait Praetor.* 7. *ff. de Pact.* Bosco *p.* 5. *sect.* 1. *concl.* 2. Sanch. *lib.* 1. *Disp.* 5. *n.* 12. Sporer *p.* 4. *cap.* 1. *sect.* 2. *num.* 152. cum communi contra Pontium: dummodo pars altera promissionem statim acceptaverit, vel acceptare diu non distulerit, uti bene claudat cum aliis Sanchez *loc. cit. arg. L.* 137. *ff. de V. S.*

18 Quod si quaeras, quid referat, an quis vigore Sponsalium, an vero simplicis promissionis obligetur aliquam ducere? Resp. multum referre. Et quidem *primo*, quod ex Sponsalibus oriatur impedimentum publicae honestatis, c. *Ad audientiam.* 4. *h. t.* non itam ex simplici promissione, consequenter, quae vis pars obligatione promissionis simplicis sublata aut remissa possit cuivis consanguineo alterius nubere. *Secundo*, quod si absque Sponsalibus ex sola una parte fiat simplex Matrimonii promissio, teneatur quidem talis promittens alteri parti promissionem acceptanti nubere, haec vero econtra non obligatur, uti fusius ostendit Sanchez *l. de Matrim. Disp.* 5.

V. Requiritur sufficiens aetas, et ut contrahantur inter personas habiles. 19
Quaenam autem requiratur aetas, dicemus *Tit. seq. nu.* 3. *et seqq. quae vero personae censentur habiles*, dicetur in decursu hujus Tituli. Interea sit Regula illa universalis. Quod omnes rationis capaces contrahere possint Sponsalia, qui adveniente sufficiente aetate contrahere possunt Matrimonium, ex illa Regula: *Quando aliquid permittitur, censetur quoque permissum omne, per quod pervenitur ad illud, arg. L.* 1. *ff. de Jurisdict.* Hinc quia impuberes aetate adveniente contrahere valent Matrimonium, possunt etiam impuberes adhuc celebrare Sponsalia juxta dicenda *Tit. seq.* Et econtra qui habentes impedimentum, sive dirimens, vel impediens contrahere nequeunt Matrimonium, Sponsalia etiam facere non possunt. Nam notum est commune illud Axioma: Quod *omne impedimentum perpetuum Matrimonii etiam impediens tantum, respectu Sponsalium sit dirimens*, et faciat, ea neque valide fieri posse, v. g. licet simplex Castitatis votum sit tantum impediens Matrimonii impedimentum, non item dirimens; cum Matrimonium in tali voto contractum teneat, tamen respectu Sponsalium sit dirimens, ita ut quantumvis firmam, ac etiam juramento firmatam quis simplici castitatis voto obstrictus faceret, ac reciperet promissionem Matrimonii, Sponsalia non forent, nec ulla obligatio ex alterutra parte induceretur; quia ad actum ac contractum faciendum illicitum, qualis esset Matrimonium, dum una contrahentium pars est voto simplici castitatis obstricta, nulla datur, nec dari potest obligatio, c. *fin. de Pact.* ibi: *Pactum turpe vel rei turpis, aut impossibilis de Jure, vel facto nullam obligationem inducit.* Etiamsi juramento firmetur: c. 1. *et Cum contingat.* 28. *de Jurejur.* ac c. 58. *de R. I. in* 6. ibi: *Non est obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum*: Neque *juramentum est institutum, ut esset vinculum iniquitatis*, c. *Quanto de Jurejur.*

Dicitur tamen nutanter *impedimentum perpetuum*, 20
quia si impedimentum tantum temporaneum est, seu certo duntaxat tempore duret; uti est Ecclesiae vetitum, vel votum castitatis ad certum tempus, duos v. g. aut tres annos, bene possunt durante tali impedimento fieri Sponsalia cum conditione tacita vel expressa, quod elapso impedimenti tempore contrahere Matrimonium velint; Valensis *h. t.* §. 2. *n.* 1. Ledesma *de Matrim. q.* 47. *a.* 15. *dub.* 2. cum communi *arg. l. Solet.* 10. *ff. de His, qui notant. infam.* ubi dicitur, quod, *viduam quae virum luget, intra id tempus sponsam fuisse, non noceat*: licet intra annum luctus alias de Jure Civili sit impedimentum Matrimonii.

Gravissima hic occurrit controversia, an, et ad 21
quid obligent Sponsalia illorum, qui perpetuo laborant impedimento, contracta sub conditione: *Si Papa dispensaverit*; ad quam controversiam infra dicemus *Tit.* 5. *de Conditionibus appositis.* Interea

Quaeritur III. An ad valorem Sponsalium requi- 22
ratur praesentia Parochi, et testium? Ratio dubitandi desumitur ex Concilio Tridentino *Sess.* 24. *de Reformat. Matrim. cap.* 1. ubi irritavit Matrimonia clandestina; ergo idem videtur dicendum de Sponsalibus, *Arg. l. Oratio. ff. de Sponsal.* Resp. tamen negative: communis, et hodie certa Doctorum, utpote saepius approbata in S. Congregatione, prout videre est apud Sanchez *de Matrim. lib.* 1. *Disp.* 12. *n.* 2. et alios. Ratio est; quia dicta Constitutio Tridentina est correctoria Juris communis antiqui; ergo non est extendenda ultra casum expressum, *arg. l. Praecipimus. C. de Appellat.* Accedit omnium Tribunalium Ecclesiasticorum praxis, qua videmus, approbari, et pro validis agnosci Sponsalia de

futuro clandestine contracta. Praxis autem, et *consuetudo est optima Legum interpres*. c. *Cum dilectus*. 8. *de Consuetud*. et *L*. 37. *ff*. *de Legib*.

23 Quaeritur IV. An, et qualiter ad Sponsalia requiratur etiam consilium vel consensus parentum, aut eorum, sub quorum cura nuptori existunt? Resp. I. Ad valorem Sponsalium nec consilium, nec consensum requiri parentum, aut aliorum, sub quorum cura existunt Sponsalia contrahentes. Layman. *lib*. 5. *tr*. 10. *p*. 1. *cap*. 1. *num*. 14. cum communi et hodie certa aliorum. *arg*. *can*. *Sufficiat*. 2. *can*. 27. *q*. 2. *ibi* : *Sufficiat eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur*. Concordat c. *Veniens*. 13. *h*. *t*. ac Concilium Trident. *Sess*. 24. *de Reform Matrim*. *cap*. 1. Accedit Tribunalium Ecclesiasticorum praxis et consuetudo Sponsalia in occulto absque ullo consilio vel consensu parentum contracta, pro validis agnoscens.

Nec contrarium evincunt *l*. *In sponsalibus*. 7. §. 1. *ff*. *de Sponsalib*. ubi dicitur. *In sponsalibus etiam consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur*, quod idem aliae Leges, et Canones dicunt, praesertim *can*. 13. *can*. 32 *q*. 2. *etc*. *Aliter*. *can*. 30. *q*. 5. Resp. enim, hanc et similes Leges, ac etiam Canones intelligendos, atque interpretandos esse, quod vel de consilio, et non de praecepto loquuntur; vel quod ad licita, non item ad valida Sponsalia requiratur parentum consensus, aut consilium; vel denique, si loquantur etiam de valore, sint correcti per Jura citata *num*. *pra ced*. praesertim Concilium Tridentinum: prout patet ex continua Ecclesiae praxi, ac consuetudine, quae est *optima Legum interpres*, *cit*. c. *Cum dilectus de Consuetud*.

24 Resp. II. Ordinarie loquendo, ad Sponsalia licite contrahenda requiritur, ut liberi prius desuper saltem consulant parentes, quamvis consilium sequi non semper teneantur. Laym. *loc*. *cit*. Sanchez *lib* 4. *de Matrim*. *Disp*. 23. *n*. 9. *et* 10. Menoch. *Consil* 69. *a n*. 19 et alii communiter. *Prima* pars, quod saltem consilium petere teneantur, probatur tum ex Juribus *num* *praeced* allegatis: tum ex illa ratione, quod natura dictet, non debere quem negotium summe arduum (quale est Matrimonium, utpote a cujus prudenti electione plerumque et temporalis et aeterna pendet felicitas) aggredi absque praevio saltem consilio illius, sub cujus cura est; praesertim cum in hoc caecus amor facile graviter decipiat improvidam, atque inexpertam juventutem, quae hinc ipso sub cura aliorum esse, et ab eis dependere de Jure jubetur. Accedit, quod liberi gravem irreverentiam irrogantes parenti, eumque graviter contristantes, graviter peccant contra quartum Praeceptum Decalogi juxta communem Theologorum: atqui desponsantes se inscijs ac invitis parentibus; irreverentiam revera gravem, negativam saltem, eis irrogant, eosque graviter contristant, uti experientia constat, qua videmus, quod parentes propterea contra liberos plerumque gravissime, simul ac justissime indignentur, atque contristentur, ita, ut saepe non nisi per gravium Virorum preces ac persuasiones placentur: ergo.

25 *Secundae* partis rationem dat D. Thomas 2. 2. *q*. 104. *n*. 5. *in Corpore*, et alii Doctores citati, videlicet, quod in contrahendo Matrimonio finaliter quivis sui juris sit ac potestatis, consequenter consilium alterius sequi non teneatur; cum enim per Matrimonium perpetuae quis subjiciatur servituti, ratio postulat, ut eidem in hoc eligendo finalis libertas relinquatur. Dices: ergo frustra et inutiliter teneatur quis prius consulere parentem, si ejus consilium sequi non tenetur. Resp. [illegible] illatum; quia multum juvare potest, dum nempe parentes a liberis interrogati et consulti, eisdem fidelissime aperiunt, detegunt, demonstrant etc. quae liberi nesciunt, ignorant, vel non praevident; ob quod deinde ipsimet liberi subinde a proposito desistunt, et utiliora quaerunt. Confirmatur a simili in his, quae fiunt a Praelatis, utpote qui in pluribus prius tenentur petere consilium Capituli, quamvis illud sequi non teneantur, uti patet ex pluribus capitulis *Tit*. *de His, quae fiunt a Praelato sine consensu Capituli*.

Dicitur autem notanter in conclusione *n*. 24. posita: *ordinarie loquendo*: quia quando filius videt, quod si patrem consulat, is Sponsalia caeteroquin honesta, et Matrimonium subsequens, malitiose ob Interesse v. g. proprium, aut ex inordinata passione sit impediturus; vel alia gravis causa patrem non consulendi adsit, non peccabit, si etiam absque petito patris consilio clam Sponsalia contrahat, et postea nubat. Sicut econtra, licet consilium, quod petere tenetur, ordinarie sequi non teneatur, tamen extraordinarie contingere possit, quod liberi parentum consilium in hoc etiam sequi debeant; ut si ex Matrimonio prudenter timenda forent gravia scandala, graves inimicitiae, grave parentum praejudicium, aut aliud hujusmodi grave malum, quod liberi avertere teneantur. Sed de his, utpote solum conscientiae Forum concernentibus, magis vide apud Theologos, praesertim Sanchez *de Matrim*. *lib*. 4. *Disp*. 23. Layman ut supra. 26

§. II.

De Verbis, et variis verborum Formulis, quibus contrahi possunt et solent, contractaque in Foro externo praesumi, ac judicari debeant Sponsalia.

SUMMARIUM.

27 *In Foro interno Judicium fit, et obligatio nascitur juxta intentionem proferentis verba.*
Verba intelligenda sunt juxta mentem proferentis. Ibid.
28 *In Foro externo autem juxta sensum verborum externorum, nisi aliud probetur.*
29 *Ordinarie fieri censentur Sponsalia, quando proferuntur talia verba, per quae juxta usum communem loquendi, ea fiunt.*
Verba intelligenda sunt secundum communem usum loquendi. Ibid. Et n. 16.
30 *Enarrantur variae verborum formulae, quibus Sponsalia certo fieri, praesumitur in Foro externo.*
31 *Judex ad quae attendere debeat in judicando, an per verba aliqua contracta sint Sponsalia.*
32 *Proponuntur variae verborum formulae controversae.*
33 Verba: *Non ducam aliam nisi te*; non faciunt *absoluta, sed tantum conditionata Sponsalia*: videlicet, *si aliquam ducam, te ducam.*
34 *Nisi aliud ex circumstantiis desumatur.*
35 *Verba illa*, Tu es, vel sis, vel eris mea, vel meus, *an et quando Sponsalia significent? Et num. seq.*
37 *Verba*, Propino tibi ad Matrimonium: *quando significent Sponsalia?*
38 *Verba*, Tu es, vel sis mea uxor, *absente Parocho prolata indicant Sponsalia*
39 *Verba* non amplius te deseram; manebo tibi fidelis: constanter tibi adhaerebo: *quando indicant Sponsalia?*
40 *Verba*, Promitto tibi amorem, et fidelitatem meam, *quando indicent Sponsalia?*

41 *Si una pars promittit Matrimonium, et altera praecise acceptat, dicendo v. g. placet, non sunt Sponsalia.*
In ambiguis, ac dubiis potius pro libertate quam obligatione judicare, ac interpretari oportet. Ibid.
42 *Solvitur Objectio.*
43 *Qui ad factam promissionem tacet, non censetur repromittere.*
Qui tacet consentire videtur: quomodo intelligendum? Ibid.
44 *Ex diverso capite potest esse dubium, aut ambiguum, an Sponsalia sint contracta nec ne: Nec de quovis idem erit judicium.*
45 *Quando verba aut signa ex se ipsis sunt obscura, et proferens ea, negat Sponsalia, debet absolvi, vel ad juramentum admitti.*
46 *Si vero sunt clara, et juxta communem usum indicant, condemnatur ad ea, nec admittitur ad juramentum, licet dicat, se illa tantum ficte, aut jocose protulisse, nisi jocum saltem semiplene probet.*
47 *In dubio verba interpretanda sunt, ut res valeat potius, quam pereat: quomodo intelligendum?*
48 *Qui clara proferens verba dicit, se illa dolose, ac fictitie ad obtinendam v. g. usum corporis dixisse, non auditur, nec admittitur ad juramentum.*
49 *Quando verba, aut signa sunt clara significant Sponsalia, et Reus absolute negat, se ea protulisse, Actor vero id plene probare non potest, quid facere debeat Judex? usque ad n. 53.*
Reo potius favendum est, quam Actori? Ibid.
Juramentum cui deferendum, quando dubium est, an Sponsalia contracta sint, nec ne? Ibid. item a n. 45.
52 *Foeminis quando in materia Sponsalium deferendum sit juramentum?*

27 Sicut in pluribus aliis, ita et vel maxime in proposito distinguendum est inter Forum in- et externum. Et quidem loquendo de Foro interno, seu conscientiae, omnes conveniunt, verba quaelibet accipienda, et intelligenda esse juxta mentem ac intentionem proferentis, *arg. c. Intelligentia. de V. S.* ubi Summarium sic habet: *Verba sunt intelligenda, non secundum quod sonant, sed secundum mentem proferentis.* Quod adeo verum est, ut, si desit intentio, et consensus internus, nulla in Foro conscientiae sint Sponsalia, qualiacunque demum verba proferantur, uti patet ex dictis. Ut proin in Foro interno, ac in Confessionali res omni careat difficultate; si enim poenitens (cui in Confessionali credendum) sincere assereret, se per haec aut illa verba a se prolata nullatenus intendisse promittere alteri Matrimonium, aut facere Sponsalia: dicere ei potest et debet Confessarius: ergo in conscientia eam ducere non teneris, poterisque tuta conscientia etiam jurato dicere, te alteri Matrimonium non promisisse, etsi verba protuleris secundum communem usum loquendi, vel loci consuetudinem significantia promissionem Matrimonii, seu Sponsalia. Imo poteris talia tuta conscientia etiam jurato negare, se talia verba protulisse, videlicet in eo sensu, quo accusatur, aut interrogatur, ad contrahenda nempe Sponsalia, aut serio promittendum Matrimonium, juxta dicta supra *n. 9. et Lib. II. Tit. XVIII. §. 7. a n. 171.* Dummodo damnum dein aliunde resarciat, si quod forsan per dolosam, aut fictam promissionem alteri parti injuste intulit, prout *cit. n. 9.* jam dictum. Econtra, si poenitens in Confessionali fateatur, se per haec aut illa verba omnino intendisse, ac voluisse alteri promittere Matrimonium, seu facere Sponsalia, dicere ei debet: ergo teneris eam ducere: etsi pars altera promissionem probare non possit; vel verba ita ambigua aut obscura sint, ut Judex in Foro externo ex falsa praesumptione te absolvat.

28 Verum loquendo de Foro externo secus est dicendum; nam quia Ecclesia non cognoscit occulta vel interna, nec judicat de occultis, *c. Sicut tuis. de Simonia*, et *can. Erubescant. dist. 32.* juncta Glossa ibidem ℣. *Secretorum*, jam hoc ipso judicare non potest nec debet juxta intentionem, quam se habuisse asserunt litigantes aut partes, sed secundum sensum, quem verba important, nisi aliunde sufficienter adversa intentio probetur; juxta dicta *n. 7.* et dicenda statim infra.

29 Quaeritur itaque I. Per quae verba, aut verborum formulam in Foro externo praesumi, et judicari debeat, contracta fuisse Sponsalia, seu promissionem Matrimonii? Resp. I. Universaliter, ac generaliter loquendo, et nisi aliunde de intentione constet, per illa verba, vel verborum formulam in Foro externo praesumi et judicari debet, contracta fuisse Sponsalia, seu Matrimonium fuisse promissum, quae juxta communem intelligentiam, communemque usum loquendi, aut loci consuetudinem Sponsalia, seu promissionem Matrimonii significant. Sanchez *de Matrim. lib. 1. Disp. 18. n. 4.* dicens, ita docere universos. Sporer ubi supra *n. 178.* Panormitanus *Consil. 78.* cum communi, et certa aliorum, textu claro *c. Ex litteris. 7. h. t.* ibi: *Si alter non intellexerit, quod alter proposuit, ad communem verbi intelligentiam recurratur, et cogatur uterque verbum prolatum in eo sensu retinere, quem solent recte intelligentibus generare.* Concordat textus *l. Semper in stipulationibus. ff. de R. I.* et in *l. Labeo ff. de Supell. legat.* ibi: *Non enim ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debent.*

30 Similia verba juxta communem usum loquendi, ac intelligendi, Sponsalia seu promissionem Matrimonii certo indicantia, sunt sequentia, quibus vernacula pro majore claritate addere placet. *Promitto tibi Matrimonium: et ego tibi.* (*Ich versprich dir die Ehe*, vel *promitto*, vel *obligo me*, *quod velim tibi nubere*, vel *te ducere*, vel *tecum contrahere Connubium*: *Ich versprich dir*, vel *obligiere oder verpfand mich, dass ich dich will zur Ehe nehmen*, vel absolute, *dass ich dich will nehmen*: vel *dass ich dich will heyrathen*: vel *dass ich mich mit dir will zusammen geben lassen*.) Item *per fidem meam* vel *quam vere vivo*: vel *quam vere homo sum*: vel *quam vere ita vocor*: vel *quam vere honestus sum, ducam te*, vel *accipiam te, nubam tibi etc.* (*Bey meiner Treu*: vel *so wahr ich lebe*: vel *so wahr ich ein Mensch bin*: vel *so wahr ich ein ehrlicher Kerl bin*: *so wahr ich Hanns heisse*, *will*, *oder wird ich dich heurathen*: *solst mich haben*.) Item *sim nequam*, vel *sim infidelis*, vel *diabolus me rapiat nisi ducam te etc.* (*Seye ich ein Schelm*: vel *seye ich nicht Ehrlich*, vel *hole mich der Teuffel*: vel *straffe mich Gott*, *wann ich dich nit nihme etc.*) Item *Tu sis futura mea uxor*: vel *volo te habere pro futura mea uxore etc.* (*Du solst mein künfftiges Weib seyn*, vel *Ich will dich für mein Weib haben*, vel *nehmen*.) Notandum enim hic cum Sanchez *loc. cit. num. 12.* cum plurimis ab eodem ibidem citatis, praesumi et judicari Sponsalia, etsi expresse non adhibeatur terminus, *promitto, obligo, juro etc.* sed simpliciter dicatur, *accipiam te*: *ducam te*: vel *volo te accipere*, *ducere*, *nubere etc.* (*Ich will dich nehmen*, vel *heurathen etc.*) Cum enim etiam per haec verba implicite et tacite promittere ordinarie intendant, ita eos intendisse praesumi et judicari debet, *arg. cit. c. 7. h. t.* et *l. Labeo. ff. de Supellect. legat.*

31 Resp. II. In judicando, an, et per quae verba promissio Matrimonii, aut Sponsalia sint contracta, debet Judex in Foro externo etiam attendere ad alias qualitates e. g. ad conditionem et qualitatem loquentium, ad usum, et consuetudinem loquendi, ad antecedentia, et subsequentia, seu quid tunc inter partes actum sit, et hoc praecipue tunc, quando verba ex se sunt dubia, obscura, ambigua etc. Sanch. *loc. cit. n.* 4. citans Covarruviam, et alios. Ratio patet; quia ex his aut similibus circumstantiis, utique subinde Judex prudenter colligere, praesumere, et arbitrari potest, loquentium mentem ac voluntatem, sensumque verborum, quem tunc intendebant. *arg.* e. *Solitae de Majoritate et obed. etc. Intelligentia.* 6 *de V. S.* ibi: *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi; quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus,* et ibi Glossa ℣. *Ex causis.*

32 Quaeritur II. De quibusdam verbis, verborumque formulis in specie, an, et quando per ea, Sponsalia contrahi, et contracta esse, in Foro externo praesumendum sit? v. g. *Non ducam aliam quam te: vel Nulla alia tanget latera mea, quam tu: (Ich will kein andere nehmen, oder heurathen als dich:* vel, *Es soll mir keine an mein Seitten kommen als du:* vel, *tu es mea, et ego sum tuus: du bist mein, und ich bin dein:* vel *Tu es mea, vel sis mea charissima, du bist, oder sollst mein Gliebste seyn:* vel *propino tibi ad Matrimonium, ich bring dirs auff die Ehe:* vel *Tu es mea uxor, et ego tuus maritus, du bist mein Weib, und ich dein Mann:* vel *promitto tibi amorem, et fidelitatem meam, Ich versprich dir mein Lieb und Treu:* vel *promitto quod velim tibi manere fidelis, Ich verspreich, dass ich dir will treu verbleiben)* vel *promitto tibi, quod non amplius, vel unquam te velim deserere.*

33 Resp. I. Quamvis non desint Doctores dicentes, per illa verba: *Non aliam ducam quam, vel nisi te, (Ich will kein andere nehmen, oder heurathen als dich;* vel, *Nullus, vel nulla tanget latera mea, quam tu: Es soll mir keiner, oder keine an meine Seiten kommen, als du etc.)* veram fieri promissionem Matrimonii, seu quae Sponsalia contrahi, uti videre est apud Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. Disp.* 19. *n.* 3. Nihilo minus probabilius videtur, per similem verborum formulam Sponsalia non contrahi, nisi ex circumstantiis, quas juxta dicta *n.* 31. Judex considerare debet, aliud prudenter colligatur. Sanchez *loc. cit n.* 5. Gutierez *can. qq. lib.* 1. *q.* 21. *n.* 13. Layman *lib.* 5. *tr.* 10 *p.* 1 *cap.* ... *n.* 1. Sporer *p.* 4. *cap.* 1. *sect.* 2. *n.* 8... Alciat *in l. actionn. C. de Transact.* et plures alii apud Sanchez, Rota *Decis.* 656. *n.* 4. Ratio est: quia similia verba fariunt duntaxat sensum exceptivum, et conditionatam promissionem, videlicet, *Si aliquam sum ducturus, te ducam.* Hinc licet vi talis promissionis talem ducere deberet, si nubere vellet, *arg. L.* 21 *ff. de Action. Empti.* Tamen etiam omnino abstinere potest a Matrimonio; prout in simili, si quis dicat: *Nulli vendam domum meam, quam tibi*, licet teneatur huic vendere, si vendat; tamen potest a venditione omnino abstinere, et domum pro se retinere, *arg. cit. l. Si sterilis* 21. §. *Si tibi ff. de Action. Empti:* ibi: *Si ita tibi fundum vendidero, ut nulli alii eum, quam mihi venderes, actio eo nomine ex vendito est, si alii vendideris.*

34 Dicitur autem notanter, *nisi ex circumstantiis aliud prudenter colligatur*; cum enim faciliter tales concurrere possunt, quod ex iis Judex vel certum judicium, vel saltem prudens dubium de Sponsalibus contractis formare possit; consequenter eundem non absolvere, sed vel ad ducendum condemnare, aut in dubio ad jurandum de intentione habita compellere debeat, juxta dicta *n.* 8. et dicenda infra: Similis circumstantia foret, si praefata verba antecedit, vel subsequitur copula, ea enim satis indicare, vel saltem prudens dubium causare videtur, similia verba amore Sponsalitio esse prolata, uti in simili formula dubia bene observat Gobath *Tractat* 10. *casu n.* 65. Sporer *loc. cit. n.* 186. universaliter docens, si praecedente mentione vel contractu de futuro Matrimonio, cum dubiis verbis aut signis concurrat copula, verba illa aut signa censenda esse facta aut prolata affectu et intentione Sponsalitia. Illud certum est, nulla fieri Sponsalia, nisi conditionate, quando conditio apponitur, v. g. *Si aliquam ducam, nullam quam te ducam:* sicut econtra pro certis Sponsalibus haberi debent, si praefatae formulae addatur absoluta affirmatio de ducendo, v. g. *Te ducam, et nullam aliam:* vel *Nullam aliam ducam, sed te.*

Resp. II. Illa verba: *Tu es,* vel *sis,* vel *eris mea,* 35
(du bist, vel *wirst die Meine seyn:* vel *Ex nunc,* vel *imposterum es,* vel *eris mea Von jetzan* vel *hinfuran, solst, und wirst mein seyn, oder die meine seyn:)* si proferuntur sine praesentia Parochi et testium, quamvis Sponsalia indicandi ex se generalem vim habeant, tamen in his partibus ad summum Sponsalia dubia constituunt, nisi aliud ex circumstantiis colligatur. Ratio, quod Sponsalia communiter indicent, est; quin, licet si in praesentia Parochi et testium proferantur, Matrimonii contractum de praesenti significent, uti bene cum aliis docet Sanchez *loc. cit. Disp.* 18. *n. n.* 14. tamen quia proferentes illa sciunt, se absque Parocho et testibus Matrimonium contrahere non posse, haud dubie prudenter censeri potest, similia verba effectu et mente Sponsalitia ab eis esse prolata, ita ut per ly *mea,* vel *meus* intelligant *mea uxor, meus futurus maritus;* consequenter sensus sit, *tu es, sis, eris mea futura uxor;* cum ordinarie non appareat, quid aliud per *mea,* vel *meus* in tali prolatione indicare velleat, si, uti supponitur, non de re alia, sed de futuro Matrimonio, seu de Sponsalibus agebatur, *arg. l. Ex conductio ff. Locati.*

Altera pars docetur a Gobath *loc. cit. num.* 59. 36
quem sequitur Sporer *loc. cit. n.* 184. Ratio assignari potest, quia in his partibus ly *mea,* vel *meus* ordinarie non nisi amasium, vel amasiam indicare volunt; cum in pluribus Germaniae partibus eo dementiae deventum sit, quod plurimi et plurimae praesertim plebei sine certa sua amasia, vel amasio esse nolint. Consequenter quia juxta morem, usum, et consuetudinem Patriae verba intelligere oportet, *arg. c. Ex litteris* 7. *h. t.* et *l. Labeo ff. de Suppell. legat.* non debet, nec potest Judex in his partibus ex hujusmodi verbis certa, sed ad summum dubia praesumere Sponsalia, consequenter proferenti juramentum de habita verborum intentione deferre, juxta dicta *n.* 8. et dicenda *n.* 45. Et id maxime tunc procedit, quando exprese addunt terminum *Charissima,* vel *Charissimus,* dicendo v. g. *Tu es, sis,* vel *eris mea Charissima, (du bist, sollst seyn mein Gliebste;)* quia hoc terminum plerumque non nisi amasium vel amasiam ad nubendum non obligatum indicare solent: quamvis ex circumstantiis, uti dictum, etiam Sponsalia colligi valeant; praesertim, si ly *mea* exprese addam *uxor,* juxta dicenda infra *n.* 38. Caeterum jam ex hoc patet ad illam formulam, *Tu es, sis,* vel *eris mea charissima, (du bist,* vel *sollst mein Gliebste seyn.)*

Resp. III. Illa verba, vel verborum formula: *Propino* 37
tibi ad Matrimonium, (Ich bring dirs auff die Ehe:) respondente puella: Deus benedicat, *(gesegne dirs Gott,)* apud Germanos regulariter loquendo indicant promissionem, et repromissionem Matrimonii,

nisi ex circumstantiis constet illum, vel illam tantum jocari voluisse, Gabath *loc. cit. casu* 1. quem sequitur Sporer *cit. p.* 4. *cap.* 1. *sect.* 2. *num.* 18. Ratio est; quia Germani hujusmodi propinandi modo in variis locis verum contrahendi consensum exprimere consueverunt, consequenter juxta consuetudinem hanc loci, et usum loquendi sententia ferenda est, *arg. cit. c. Ex litteris* 7. *h. t.* nisi, ut dixi, aliud colligendum sit ex circumstantiis, quae utique considerare oportet. Et certe in his partibus quaevis puella a Matrimonio ita propinantis abhorrens, vel non benediceret, vel vultu, responsione, aut gestu ita se gereret, ut quivis praesens facile adverteret eam nolle Matrimonium oblatum vel non suspicari de eo. Unde si poculum ita propinatum libere accipit, et sine ullius aversionis, vel joci exhibitione ebibit, aut saltem libere bibit, merito in Foro externo de consensu Sponsalitio judicatur, ut bene advertunt laudati Doctores.

38 Resp. IV. Verba illa; *Jam tu es*, vel *sis, mea uxor: et ego vir tuus*, aut econtra, (*Du bist: oder sollst seyn mein Weib, und ich dein Mann*,) serio et absque joco prolata, parte altera annuente, in foro externo censenda sunt vera Sponsalia; si absque praesentia Parochi, et testium proferuntur. Ratio patet; cum enim haec verba in praesentia Parochi et testium prolata, juxta communissimam constituant verum Matrimonium, ut videre est apud Sanchez *loc. cit. Disp.* 18. *num* 20. Sporer *loc cit.* Tamburinum, et alios absente Parocho et testibus censenda erunt Sponsalia, et praesumendum, quod dum proferentes illa sciant, se de facto Matrimonium ipsum inire non posse, velint per haec verba exprimere mentem, et consensum Sponsalitium ad Matrimonium obligantem, prout in simili diximus supra *num.* 35. Et certe ipsemet plures habui, qui hoc loquendi modo Sponsalia contrahere plane intenderunt imo hunc modum contrahendi Sponsalia pro perfectissimo reputarunt, hoc ipso, quod ad significandam mentem seriam Sponsalitia efficaciora verba non judicarint, quam vocando invicem *virum*, et *uxorem*, intelligendo certo *futuram*.

39 Resp. V. Verba illa; *Promitto, quod non amplius vel nunquam te velim deserere: Ich versprich, das ich dich nimmermehr*, vel *niemahl wolle verlassen*, vel *Non amplius te dimittam, Ich will, oder wird dich nicht mehr lassen, oder anlassen:*) sicut et verba: *Constanter tibi adhaerebo*, praevia mentione vel tractatu de futuro Matrimonio indicant, vel potius supponunt Sponsalia. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim Disp.* 18 *num.* 19. Gobath *loc. cit. num.* 63. Covarruvias, et alii. Ratio patet; quia hoc ipso, quod in praecedente contractu et mentione Matrimonii quis dicat, *Non amplius te dimittam, fidelis tibi manebo etc* supponit, et indicat, quod jam habeat sibi conjuncta saltem obligatione Sponsalitia, nisi circumstantiae aliud manifeste suaderent, vel alias prudenter colligere esset, quod tantum constantia, adhaesione, et fidelitate amasiis connexa, juxta dicta supra *n. praecnd.* et *n.* 35. et 36. Et tunc praecipue verificatur, quando cum his verbis concurrit copula per dicta supra *n.* 34.

40 Resp. VI. Illa verba · *promitto tibi amorem et fidelitatem meam*, (*Ich versprich dir mein Lieb, und Treu*) ex se dubia et ambigue sunt. Sporer *loc. cit. n.* 186. Gobath *loc. cit. n.* 65. et alii; quia amor et fidelitas in pluribus exhiberi possunt. Et certe in Germania Amasii et Amasiae solent absque Sponsaliis non raro mutuum sibi promittere amorem et fidelitatem, videlicet, quod nullam aliam amasiam, vel amasium habere velint. Caeterum si haec verba praecedente mentione vel tractatu de Matrimonio proferuntur, haud dubie etiam intentionem Sponsalitiam indicare possent, praesertim si accedit copula, juxta dicta *num.* 34.

Quaeritur III. An in Foro externo censenda sint 41
Sponsalia, si una parte promittente Matrimonium de futuro altera pars reponat, *placet*, *accepto*, vel *gratias habeo pro beneficio in me collato*, vel omnino taceat, (*Ich lass mirs gfallen; nimbs vor bekant an*: vel *bedancke mich vor diese Gnad* etc.) *Resp. I.* Quamvis quoad primam partem, si nempe altera pars expresse acceptat promissionem, discrepent Doctores, uti videre apud Sanches *lib.* 1. *de Matrim. Disp.* 5. *n.* 4. tamen Sententia negativa probabilior est, eamque tenet Sanch. *loc. cit. n.* 5. Ledesma *de Matrim. q.* 45. *a.* 1. *dub.* 1. Engel *h. t.* § 2. *n.* 8. et alii contra Pontium, Vasquez, et alios. Ratio est; quia ad vera Sponsalia requiritur mutua promissio, seu repromissio juxta dicta *n.* 5. atqui quae simpliciter acceptat non repromittit, nec repromittere censenda est: Tum quia in dubio magis praesumitur pro libertate, quam pro obligatione, *l. Arrianus* 47. *ff. de obligat. et act.* ibi· *Ubi de obligando quaeritur, propensiores esse debemus nos, si habemus occasionem ad negandum; ubi deliberando ex adverso quaeritur, ut faciliores simus ad liberationem*; et *l. Quidquid ff de V S.* ibi: *Quidquid adstringendae obligationis causa dictum est, id nisi palam verbis exprimatur, omissum esse intelligendum est, et certe secundum promissionem interpretamur, quia stipulatori liberum fuit verba late concipere.* Hinc est illa 30. Regula Juris in 6. *In obscuris minimum est sequendum*, id est, quod minus obligat et onerat. ergo etiam in casu conclusionis id facere, et consequenter dicere debemus, quod per illa verba compars promissionem sibi factam praecise acceptare, promittentemque sibi obligatum habere, non autem repromittere ac reciproce se obligare velit.

Objicies. Valet contractus Matrimonii per verba 42
de praesenti, *accipio te in uxorem*, si mulier respondet *placet*: ergo servata proportione idem dicendum de Sponsalibus. Resp. cum Sanc. *lib.* 1. *de Matrim. Disp* 5. *n.* 6. negando Conseq. et paritatem; quia Matrimonium nullatenus claudicare potest, nec alia ratione acceptari, quam ut Matrimonii: secus est in proposito; nam quamvis Sponsalia non possint claudicare, ut sunt Sponsalia, nihilo minus ut continent simplicem promissionem, possunt claudicare, et potest esse promissio absque alterius repromissione, atque acceptari, in quantum obligat solum promittentem, juxta dicta *n.* 17.

Instabis: in dubio verba sunt interpretanda potius, ut res valeat, quam pereat; *arg. c. Abbate. de V. S.* Ad hanc instantiam patebit infra *n.* 47.

Resp. II. Pariter non censentur Sponsalia esse, 43
nec fieri, si una parte Matrimonium futurum promittente altera taceat. Gutierrez *de Matrim. cap.* 3. *num.* 2. Engel *h. t.* § 2. *num.* 8. cum communissima aliorum per Jura *num. praeced.* allegata. Cui accedit ratio, videlicet, quia taciturnitas ex se nec consensum, nec dissensum importat, sed mediat inter utrumque, juxta Regulam 44. Juris in 6. ibi: *Is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.*

Nec obstat Conclusioni statim praecedens Regula Juris in 6. *Qui tacet, consentire videtur.* Nam inprimis opponitur eidem Regula *num praeced.* allegata: Dein cum communi DD. explicatur, et distinguitur: *Qui tacet, consentire videtur*, in quantum est in sui favorem, vel in leve duntaxat praejudicium, conceditur, *arg. l. qui patitur* 18. *ff. mandati*, et *l. Si absenti.* 4. *C. Si certum petatur:* In quantum est in tacentis praejudicium, et ipsius libertatem laedit, atque obligationem inducit, negatur, *l. in eo.* 42. § *Deinde ff. de Ritu nupt.*

44 Quaeritur IV. Quid in foro externo facere debeat Judex, si consideratis omnibus considerantis dubium obscurum, aut ambiguum manet, an Sponsalia sint contracta, seu an vera promissio Matrimonii facta sit, nec ne? Ante responsionem notandum, ex diverso capite manere posse dubium, et ambiguum, an Sponsalia contracta, et promissio futuri matrimonii revera facta sit, nec ne. Videlicet 1. Si verba, et signa ex se ipsis, et ex communi DD. sint obscura et dubia, ipseque proferens verba, vel eadem signa negat, se illa intentione promittendi Matrimonium protulisse seu edidisse 2. Si verba, aut signa ex se sunt quidem clara, et ex communi DD. sententia promissionem Matrimonii certo significantia, sed pars adversa dicit, se illa non serio, sed ficte tantum, vel ex solo joco protulisse. 3. Si absolute negat, compars autem sufficienter probare non potest. Et haec diversitas dubii est bene notanda, ne alias, dum una eademque Juris regula, aut principium de dubio, ad quemvis dubium casum pariformiter applicatur, partes contra justitiam damnificentur, cum certum sit, non quodvis Juris principium de dubiis, ad quemvis ex dictis dubiis casibus quadrare, uti statim patebit ex sequentibus Conclusionibus. Itaque.

45 Resp. I. Quando verba, aut signa ex se ipsis, vel ex circumstantiis tam obscura, dubia, aut ambigua proferuntur, eduntur, ut omnibus consideratis considerandis revera adhuc dubium maneat, an per ea promissio Matrimonii facta, aut Sponsalia contracta sint, nec ne, proferens autem ea, fatetur quidem, se illa protulisse, aut edidisse, negat vero, intentione Matrimonii promittendi a se id factum esse, debet Judex talem negantem vel absolvere, vel eidem deferre juramentum *purgatorium*, quod non habuerit intentionem promittendi Matrimonium, ac juramento deposito acquiescere. Probatur Conclusio praecipue quoad primam partem efficaciter ex claris Juris textibus *num.* 41. allatis, quos ibidem lege. Accedit textus ex c. *Litteris* 3. *de Probat.* ubi dicitur quod *promptoria sint Jura ad absolvendum, quam condemnandum.* Ratio est; Tum quia, cum juxta tritum illud *Quilibet sit interpres suorum verborum*, sane in dubiis ambiguis et obscuris recurrendum est ad mentem proferentis, eique saltem juranti credendum, *arg. c. Cum in tua.* §. *fin. Qui matrim. accus.* et c. *Personalis in fin. de Except.* Tum quia universaliter, quando de mente et conscientia alicujus agitur, statur juramento illius, prout bene docet Glossa communiter recepta in c. *Significasti* 18. *de Homicid. volunt.* ℣. *Si ita est*, atque in specie docet Gailus *lib.* 2. *observat.* 48. *n.* 24. *et seq.* Felinus *in* c. *Quando de praesumpt. n.* 6. *arg. cit. Juribus*, et c. *Si vero de Sentent. excomm.* c. *Praesentium. de Testib.* juncto *can. Si verum esset. caus.* 31. *q.* 2.

46 Resp. II. Si verba, aut signa sunt quidem clara ex communi loquendi usu, locive consuetudine, aut communi DD. Sponsalia, aut promissionem Matrimonii indicantia, pars adversa autem dicat, se non serio, sed ex joco tantum ea protulisse, tunc Judex in Foro externo praesumere et judicare debet, rem serio fuisse actam, consequenter promissionem veram Matrimonii fuisse factam, nisi jocus aliunde constet, aut sufficienter probatur. Quod si jocus probetur, vel appareat, sed non nisi taliter, quod adhuc dubium ambiguum, aut obscurum maneat, serione, an jocose fuerit actum, deferendum est proferenti talia verba, vel signa, juramentum, eique standum erit. Tota conclusio per Jura et rationes satis probata jam existit ex dictis supra. Et quidem prima pars liquet ex *n.* 7. et 29. Atque altera pars per Jura et rationes *num. praeced.* allatas.

47 Objicies contra hanc conclusionem illud receptum. *In dubio sic intelligenda sunt verba, ut res, de qua agitur, valere possit potius, quam perire*: ergo quotiescunque, et ex quacunque ratione dubium remanet, an per verba aliqua fuerint contracta Sponsalia nec ne, semper interpretanda erunt pro valore Sponsalium. Huic textui opponuntur inprimis alii, iique efficaciores Juris textus in simili casu contra Sponsalia aperte faventes, supra *n.* 41. allegati. Dein concordando Jura Juribus respondetur, textum in objectione positum solummodo habere locum, quando jam certo constat de consensu et voluntate, qua quis voluit stipulari, condere testamentum, inire contractum, dare privilegium etc. tunc enim, si ambiguitas incidit verborum, haec ita interpretanda erunt, ut res potius valeat, quam quod contra notam voluntatem pereat. Secus est, quando de ipso consensu et voluntate cujpiam circa substantiam rei dubium existit, ut in proposito. Et haec responsio conformis etiam est ipsi c. *Abbate de V. S.* utpote ubi casus est, certo constitisse de privilegio concesso, et controversiam tantum fuisse de aliqua verborum ambiguitate, de qua Papa respondet, verba sic intelligenda esse, ut privilegium certo concessum potius valeat, quam pereat, seu nullum effectum habeat.

48 Resp. III. Si autem existente claritate verborum (de qua in praecedenti conclusione) pars adversa excipiat, et dicat, se non sincera mente, sed dolosa fictione, et fraudulenter talia verba v. g. ad obtinendum usum corporis, vel alium similem finem, nullam in Foro externo fidem meretur, nec ad juramentum admitti, sed juxta externum verborum sensum ac tenorem judicandus, et condemnandus est. Hanc Conclusionem probatam vide supra *n.* 7. *et* 8.

49. Resp. IV. Rursus si verba aut signa, quae in causa Sponsalium ad Tribunal externum judicanda veniunt, sunt clara quidem, et juxta communem usum loquendi, communemque Doctorum, Sponsalia indubitate significant, pars adversa tamen absolute negat, se illa protulisse, vel edidisse; pars altera vero id semiplene, vel ita tantum probat, ut revera dubium existat, an pars adversa protulerit illa verba aut signa, nec ne, causa decidi debet alterius juramento litis decisivo. Cuinam autem parti Judex deferre debeat juramentum, Actori nempe, seu Accusanti alteram de facta sibi promissione Matrimonii, an vero Reo promissionem neganti, plena cum satisfactione invenies, et colliges ex dictis *Lib.* 2. *Tit.* 24. *de Jurejurand.* §. 6. *a. n.* 191. quae breviter capitulare placet. Videlicet, caeteris paribus regulariter Reo potius deferendum est juramentum (quod *Purgatorium* communiter vocant, quia purgat et liberat Reum ab accusatione, et crimine, aut obligatione sibi objecta) quam Actori (cujus juramentum communiter dicitur *Suppletorium*, utpote supplens probationem aliunde non plene factam) consequenter, si Reus est vir, seu persona aeque honesta, ac Actor; et actor habet tantum semiplenam probationem pro se, Reus vero semiplenam pro sua defensione, vel alias probationem Actoris infirmat, aut elidit, Reo deferendum erit juramentum *purgatorium*, per Jura et rationes. *cit. lib.* 2. *Tit.* 24. *n.* 192. *et seqq.* allegatas. Quibus accedit, quod in pari causa melior sit conditio possidentis. *c.* 65. *de R. J. in* 6. Reus autem est in possessione suae libertatis. Item, quia *promptiora sunt Jura ad absolvendum, quam condemnandum*, ut dicitur *c. Ex litteris. de Probat.* Cui concordat *l. Arianus. ff. de Action. et probat.* ubi

Summarium sic habet: *Promptiores esse debemus ad liberandum, quam ad obligandum.* Hinc est Regula 11. Juris in 6. *Cum partium jura sunt obscura, Reo favendum est potius quam Actori:* Nam universaliter caeteris paribus, *Favorabiliores Rei potius, quam Actores habentur:* etiamsi Actor sit foemina, ut proin illa Regula, quam cum aliis Sanches *lib. 1. de Matrim. disp. 18. n. 4.* illis verbis dat: *In dubio favendum est foeminis, quia simplicius res tractare solent, faciliusque a viris decipiuntur:* universaliter non procedat, et in specie non, quando caetera, uti diximus, sunt paria: Tum quia allegati textus, et Juris Regula indistincte loquuntur, non distinguendo, an Actor, vel Reus sit foemina an vir: *ubi autem Jus non distinguit, nec nos distinguere debemus, l. de pretio. ff. Publicii in re act.* et *verba generaliter sunt intelligenda, c. Quia circa 22. de Privileg.* Tum quia privatae Doctorum Regulae, ac opiniones contra clara, et universalia Juris principia attendi non debent. Accedit, quod foeminae saepe pejores esse soleant quam viri, juxta illud Scripturae. *Melior est iniquitas viri, quam mulier bene faciens.*

50 Quod si vero caetera non sint paria, sed Reus v. g. sit vilis, infamis, de perjurio suspecta, aut alias non legalis persona: Actor autem persona legalis, et multum honesta, tunc huic potius quam Reo suspecto deferendum est juramentum *suppletorium*, per Jura, rationes, et DD. *cit. lib. 2. Tit. 24. n. 197. et seqq. allegatos.* Dummodo Actor prius semiplene suam causam jam probaverit. Imo in causa Sponsalium universaliter loquendo, quotiescumque Actor suam intentionem semiplene probat, per unum testem v. g. omni exceptione majorem, Reus vero nihil praestat, sed simpliciter negat, Actori, et non Reo (si sit legalis, et de perjurio non suspectus) deferendum est, etiamsi Reus sit aeque legalis ac honesta persona ac Actor, per Jura, rationes, et Doctores *cit. lib. 2. Tit. 24. n. 195. allegatos.* Quibus accedit, quod Actore saltem semiplene probante, et Reo simpliciter negante, omnia jam non sint paria, sed major praesumptio stet pro Actore quam Reo, consequenter supra n. 49. allegata Juris principia non procedant. Econtra vero ratio et aequitas naturalis dictat, ut Judex illi magis faveat, pro quo major stat praesumptio. Et hoc maxime procedit, quando Actor, seu Actrix est foemina: tunc enim locum habet Regula Sanchesii supra *n. 49.* allegata, videlicet, quod, quando foemina Actrix semiplene probat, a Reo sibi promissum esse Matrimonium, Reus vero nihil praestet, sed simpliciter negat, foeminae potius credendum et favendum, consequenter eidem, et non Reo simpliciter neganti deferendum esse juramentum; quia regulariter foeminae simplicius rem tractare solent, faciliusque a viris decipiuntur.

51 Dicitur autem notanter; *si Actor sit persona legalis:* quia, si talis non est, econtra vero talis existat Reus, huic potius quam Actori deferendum est juramentum; etsi actor semiplene probet, et Reus simpliciter neget, uti *n.* 199. ad finem notavimus. Ratio est; quia personae, quae legalis non est, juramentum litis *decisorium* a Judice deferri non potest, per Jura et rationes *cit. Lib. 2. Tit. 24. n.* 180. allegatas.

52 Si contra hactenus dicta Judex alicui parti juramentum defert, pars altera recipere, protestari, et appellare potest; quod si non faciat, sed consentiat, vel ipsamet, prout potest, juramentum parti alteri defert, causam perdit, si pars altera acceptat, atque juramentum praestat, per dicta *loc. cit. §. 5. et duobus seqq.* ubi copiose de juramento litis decisorio.

§. III.

De signis, per quae Sponsalia contrahi possunt, et solent; contractaque in Foro externo praesumi debeant?

SUMMARIUM.

53 *Sponsalia etiam signis contrahi possunt.*
54 *In Foro interno spectatur intentio edentis signum.*
55 *Quae signa in genere in Foro externo indicent Sponsalia?*
56 *Annuli traditio ex se non est sufficiens signum Sponsaliorum.*
57 *Bene vero, si praecessit tractatus de futuro Matrimonio, aut verbum unius. Et num. seq.*
59 *Munerum traditio eodem modo, quo annuli traditio habetur pro consensu Sponsalitio.*
60 *Idem dic de manuum porrectione.*
61 *Taciturnitas liberorum est signum consensus, si pro eis praesentibus contrahunt parentes.*
62 *Non item, si alii pro eis spondent.*
63 *Nomine parentis hic etiam Mater venit.*
64 *Taciturnitas non est signum consensus in Sponsalia a parentibus in absentia liberorum contracta.*
65 *Nisi etiam tunc taceant, si ipsimet parentes facta pro illis Sponsalia eisdem notificant: secus est, si alii notificant. Et num. seq.*

Non tantum per verba, sed etiam per signa consensum internum exprimentia, contrahi posse Sponsalia, concors hodie est Doctorum sententia: *arg. c. Cum apud. 21. h. t.* ubi habetur etiam mutum contrahere posse Sponsalia, Ratio subjungitur, *Cum quod verbis non potest, signis valeat declarare.* concordat *c. Tuae eod. et c. un. de Desponsat. impub. in 6.* Hinc tantum controversia est, quibus signis contrahantur. 53

Quaeritur I. Per quae signa contrahi possint, et contracta censeantur Sponsalia? Ante responsionem notandum, hic iterum distinguendum esse inter Forum internum, et externum. Et quidem pro interno attenditur intentio edentis signum externum, ita ut per quodvis signum contrahi possint, et in Foro interno contracta censeantur Sponsalia, si tali signo consensum internum contrahendi indicare intendit edens illud, etsi alias talis consensus expressivum non sit, nec pro tali in Foro externo habeatur. Et econtra nulla erunt in Foro interno Sponsalia, etsi edatur, signum communi aestimatione expressivum consensus interni, si edens illud, eodem contrahere, contrahendique consensum indicare non intendebat, ut proin circa Forum internum observanda sint illa, quae de verbis diximus *§. praeced. n. 27.* ubi vide *H. N.* 54

Resp. II. Universaliter loquendo pro Foro externo, illis signis censentur, ac praesumuntur contracta esse Sponsalia, per quae concurrentibus circumstantiis, juxta communem intelligentiam, usumque, ac consuetudinem loci, voluntas seu consensus contrahendi exprimi, et manifestari solet. Est communis Doctorum. Et ratio est; quia sicut verba, ita et signa, juxta communem usum, locique consuetudinem interpretari debemus in Foro externo, nisi aliunde de mente constet. *arg. L. Labeo. ff. de Suppell. legat. etc. Ex litteris. il. 1. h. t.* juncta *l. Semper in stipulationibus. 34. ff. de R. J.* ibi: *In stipulationibus, et caeteris contractibus etc. id sequamur, quod in Regione, in qua actum est, frequentatur.* Quoniam autem sint talia signa, quamvis una Re- 55

regule pro quovis loco assignari non possit, eum, quod in uno loco pro tali signo habetur, in alio pro tali non reputetur, uti bene advertit Gobath *Tract.* 10. *casu* 2. *n.* 72. Tamen dantur quaedam signa, quae concurrentibus certis circumstantiis, pro expressivis consensus contrahendi fere communiter et ubique reputantur. v. g. Immissio et acceptatio annuli in digitum; Donatio et acceptatio munerum, Porrectio manum, Taciturnitas praesentis prolis, dum loco ejusdem parentes Sponsalia contrahunt. De quibus singulis singula ponemos quaesita. Hinc

56 Quaeritur II. An, et quando Immissio et acceptatio annuli in digitum (quam subarrhationem vocant) in Foro externo judicanda sit pro sufficienti signo expressivo consensum contrahendi Sponsalia? Resp. I. Immissio et acceptatio annuli in digitum seu subarrhatio ex se loquendo est signum aequivocum, adeo ut si tractatus de Sponsalibus non praecesserit, vel speciale quid habeat consuetudo loci, ex ea Sponsalia non praesumantur. Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. Disp.* 22. *nu.* 1. Mascardus *de Probat. concl.* 1024. *n.* 2. *et seqq.* Menochius *lib.* 3. *de Praesumpt.* 2. *n.* 1. *et seq.* Abbas in c. *fin. de Desponsat. Impub num.* 7. cum communi aliorum. Ratio est; quia talis Donatio annuli etiam ob alias causas fieri potest, et solet, *arg. c. Illud.* 11. *de Praesumpt.* v. g. ob turpem, vel etiam castum amorem; aut in signum memoriae; mutui affectus, aut sub spe futuri matrimonii; ergo. Confirmatur experientia, qua constat, saepissime ob alios, quam sponsaliorum finem fieri hujusmodi donationem, et acceptationem annuli: ergo. Accedit Tribunalium praxis, quae ex sola hujusmodi donatione de Sponsalibus non praesumit, nec judicat, nisi aliud accedat: ergo.

57 Resp. II. Quando de Sponsalibus praecessit tractatus vel verbum unius, tunc (nisi aliud exprimatur) immissio, seu donatio et receptio annuli, habetur pro consensu alterius, praesumunturque in Foro externo Sponsalia, Glossa *in c. Si inter* 31. *h. t.* ¶. *Dicente.* Sanchez *loc. cit.* *n.* 3. Mascardus *loc. cit.* Menochius *loc. cit. n.* 4. Abbas *loc. cit. n.* 8. Sporer *p.* 4. *cap.* 1. *sect.* 2. *n.* 189. cum communi aliorum. Ratio est; quia praecedente tractatu, aut verba unius de futuro matrimonio, et traditio, et acceptio annuli juxta communem aestimationem hominum habetur pro signo consensus; atqui in Foro externo verba et signa accipiuntur, et intelliguntur juxta communem usum et aestimationem, *arg. l. Semper in stipulation.* 34. *ff. de Reg. J.* cum concordantiis; ergo.

58 Hinc, si quis praecedente Matrimonii promissione alteri parti facta, eidem dat, aut porrigit annulum, et haec sine contradictione accepta, praesumitur repromittere, et facere Sponsalia, etsi nihil dicat. Idem dic in casu, quo etiam absque praecedenti tractatu, aut promissione unius, concomitanter, dum fit annuli porrectio, simul fit promissio aut mentio unius, his, vel aequivalentibus verbis: *Do tibi annulum ad Matrimonium futurum.* (*Ich gib dir den Ring auf die Ehe*): vel ut plebs communis apud Germanos dicit. (*Ich gib dir den Ring dran*, seu *daran*,) praesumuntur Sponsalia, si pars altera sine contradictione acceptat, etsi nihil dicat; quia juxta communem aestimationem tali signo consensisse, et repromisisse censetur, quod sufficit; quia verba non necessario requiruntur, praesertim in foeminis, utpote quae ex verecundia saepe potius et signis, quam verbis consentire etiam solent, uti bene advertit Glossa *loc. cit.*

59 Idem quod de annuli traditione et acceptatione dictum est, etiam de aliis muneribus, fasciis, jocalibus Sponsorum more mitti et donari solitis intellige, praesertim si in his partibus Donatores illud exprimunt: v. g. (*Ich gib dir diss auf die Ehe*: vel *Ich gib diss dran*, seu *daran* etc.) Sanchez *loc. cit. nu.* 5. Sporer *loc. cit.* Gobath ubi supra *num.* 69. et alii apud Sanchez. Ratio eadem est; quia nempe non solum annuli, sed etiam aliorum munerum (praecedente et concomitante ex parte unius promissione Matrimonii) donatio et receptio pro sponsalitio consensu communiter habentur, praesertim, si praefata exprimantur verba, teste experientia et Tribunalium Ecclesiasticorum praxi: atqui *ubi eadem est ratio, eadem est Legis dispositio*, per vulgaris: Annuli tamen receptio manifestius censetur esse signum, quam aliorum munerum.

Quaeritur III. An, et quando manuum porrectio sit signum Sponsalium? Resp. de hac eodem modo esse discurrendum, sicut de traditione et acceptatione annuli, videlicet, quod, quia manuum porrectio ex variis motivis fieri potest, et solet, ut cuivis constet, ea ex se non sit sufficiens signum praesumendi Sponsalia; bene vero si praecedente tractatu de Sponsaliis, aut praecedente et concomitante promissione Matrimonii unus porrigit manum alteri parti, et haec non recusat, nec manum retrahit, sed porrectam accipit, consentire et repromittere in Foro externo recte praesumitur, Sanchez *loc. cit.* Engel *h. t.* §. 2. *n.* 8. Sporer *loc. cit. num.* 188. Gobath. *tract.* 10. *casu* 2. 66., cum communi aliorum, per rationes et Jura supra *n.* 57. allegata: quibus accedit, quod juxta *Reg.* 43. *de R. J. in* 6. *Tacens consentire videatur*, etiam quando est in sui praejudicium et obligationem, si accedat actus positivus consensum significans, uti tradit Abbas *in c. Cum virum. De Regular. n.* 3. *arg. cit. cap. Cum virum* 12. *eod.* 60

Et haec conclusio tunc maxime procedit, omnique controversia caret, quando, dum vir v. g. manum porrigit, sequentia, vel similia verba dicat: *hic habes manum meam*, vel, *do tibi manum*, *quod velim te habere pro uxore futura*, vel, *Te ducere etc.* (*Da hast mein Hand*: vel, *da gib ich dir die Hand darauf, dass ich dich will heurathen*, vel *nehmen*: vel, *dass du mein kunfftiges Weib sollst seyn etc.*) Sporer, et Gobath. *loc. cit.*

Quaeritur IV. An, et quando Taciturnitas liberorum indicet consensum Sponsalitium; dum loco eorum Sponsalia contrahunt parentes? Resp. I. Quando parentes loco liberorum praesentium contrahunt Sponsalia, et liberi tacent, valida sunt Sponsalia. Omnes, texto expresso c. *un. de Desponsat. Impub. in* 6. ibi: *Porro ex Sponsalibus, quae parentes pro filiis puberibus, seu impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite, ut si praesentes fuerint, non contradixerint, obligentur, et ex eis oritur justitia publicae honestatis.* 61

Resp. II. Praemissa Juris constitutio est specialis in parentibus contrahentibus pro liberis, nec extenditur ad alios. Hinc si frater pro sorore, Tutor pro pupillo, aut alius extraneus pro quopiam praesente Sponsalia contrahere nititur, non sufficit sola praesentia et taciturnitas hujusmodi, sed requiritur aliud signum, quo consensum internum sufficienter exprimat. Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 23. *n.* 7. Pirhing *h. t. n.* 16. Barbosa *in cit. c. un. de Desponsat. Impub. num. fin.* et ibi Joan. Andreas *in fin.* Ancharanus *n.* 3. Sylvester *Verb. Sponsalia. q.* 2. *dicto.* 5. et alii *arg. L. si puellae. ff. de Sponsalib.* ubi dicitur, non posse Tutores Sponsalia contrahere, *nisi ex voluntate puellae.* Ratio est; tum quia *c. un. de Desponsat. Impub.* expresse loquitur de solis parentibus; ergo ad alios extendi non debet; praesertim cum Juris Regula 43 *de R. J. in* 6. *qui* 62

tacet, consentire videtur, non procedat, quando agitur de praejudicio vel obligatione tacentis, juxta dicta supra *n.* 43. Tum quia, cum parentes tam ex officio, quam naturali affectu liberis optime velle, nec in ipsorum praejudicium vel incommodum, sed potius in utilitatem eorundem agere debeant, et praesumantur *L. nec in eo.* 22. §. *fin. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* ibi: *Plerumque pietas paterni Nominis consilium pro libero capit*; liberi autem saltem ex honestate in tali casu vel consentire, vel illico contradicere teneantur, *arg. can. Honorantur* 13. *caus.* 62. *q.* 2. merito Jura praesument, liberos praesentes et tacentes consentire, et eorum nomine parentes contrahent: quae ratio cum aperte cesset in Tutoribus ac aliis, utpote liberos non suos nec a longe ita amantibus, ad eos Juris dispositio extendi non debet.

63 Caeterum nomine parentum non tantum pater, sed etiam mater venit, ut haec quoque loco prolis praesentis et tacentis valide contrahat Sponsalia. Sanchez *loc. cit. n.* 9. Pirhing *loc. cit. n.* 16. et alii communiter. Ratio est: quia nomine parentum etiam Matres veniunt. Barbosa *de Appell, verb. Juris*, *℣. Parentes.* cum communi *arg. l.* 4. §. *Parentes.* 2. *ff. de in jus vocando.* ibi: *Parentem hic utriusque sexus accipe.* et *l. Jurisconsultus.* §. *Parentes. ff. de Gradib.* Tum quia decisio textus c. *un. de Desponsat. Impub.* non innititur patriae potestati, sed parentum amori juxta dicta *num. praeced.* atqui amor iste plerumque in matre ardentior est, quam in patre: ergo.

64 Resp. III. Quando parentes contrahunt Sponsalia pro liberis absentibus, regulariter non sufficit sola eorum taciturnitas, postquam aliunde resciunt factum parentum, sed requiritur insuper aliud signum sufficiens, quod liberi factum parentum postea rescientes tacite, vel expresse consentiant, et ratificent Sponsalia a parentibus suo nomine contracta. Guttier. *cap.* 13. *n.* 11. Sanchez *loc. cit. n.* 17. Joan. Andreae *in cit. c. un. de Desponsat. Impub. in* 6. et ibidem Ancharanus *num.* 2. ac plures alii cum Glossa marginali. Probatur conclusio, ex *cit. c. un. de Despons. impub. in* 6. ubi manifeste ponitur differentia inter Sponsalia per parentes pro liberis *praesentibus*, et inter Sponsalia pro eisdem *absentibus* contracta, et statuitur, quod haec ultima tunc tantum valeant, *si filii tempore Sponsaliam absentes, et etiam ignorantes, postea scientes ratificaverint tacite vel expresse: alias ex Sponsalibus contractis a parentibus pro filiis, nec ipsi filii obligantur, nec publicae honestatis justitia inde resurgit*, prout habent verba *cit. c. un.* §. *fin.* Ex quibus aperte patet, non sufficere ad praefata Sponsalia, quod resciat et taceat, sed quod praesens Sponsalia tacite vel expresse ratificet proles.

65 Notandum tamen, quod, si ipsi parentes liberis Sponsalia pro ipsis contracta postea oretenus, aut per epistolam notificent, et liberi non contradicant, sed taceant, tacite consentire, sicque Sponsalia tacite ratificare in Foro externo praesumantur. Coenik *de Sacrament disp.* 21. *dub.* 3. *num.* 29. Sporer *p.* 4. *cap.* 1. *sect.* 2. *n.* 191. citans Tamburinum, et communem aliorum, Anchar. *in cit. c. un.* §. *fin. num.* 3. et alii. *arg. cit. cap. un. de Desponsat. Impub. in* 6. ubi ad ratificanda Sponsalia a parentibus contracta sufficit, si liberi *tacite* consentiunt: atqui hoc faciunt, vel facere censentur, si tacent, dum eisdem ipsimet parentes Sponsalia pro ipsis contracta notificant: ergo. *Min.* probatur; quia licet alias taciturnitas non habeatur pro tacito consensu, nec tacens consentire videatur, dum agitur, de praejudicio, et obligatione tacentis, per dicta *num* 43. tamen hoc fallit in casu, quo parentes pro liberis quid agunt, v. g. Sponsalia contrahunt, tunc enim filii, si tacent, tacite consentire videntur *arg. cit. c. un.* §. *Porro.* ibi *vel tacite ut si non contradixerint*: idque ob rationem *n.* 62. positam.

Nec refert, quod ipsi contractui praesentes non fuerint; quia non est major ratio, cur liberi contractui praesentes, tacendo consentire videantur, et non, si contractus in eorum absentia factus, postea per ipsos parentes eisdem notificetur, et filii ad relationem taceant; cum neque in hoc ac priori casu liberi consentire, vel dissensum parentibus manifestare, saltem ex honestate deberent, et non manifestantes, sed tacentes tacite consentire censeantur facto parentum, utpote quos supponunt, quod ex innato erga liberos amore, et officio suo non nisi in commodum liberorum contraxerint. *arg. l. Nec in eo.* 22. §. *fin. ff. ad Leg. Jul. de Adult. prout supra n.* 62. jam dictum. Hinc notanter dicitur in Conclusione, si *aliunde*, et non ab ipsis parentibus resciunt; cum enim aliis factum parentum absque horum commissione narrantibus tantam reverentiam non debeant, nec manifestare teneantur, an consentiant, vel dissentiant, tacentes tacite consentire non praesumuntur, uti praesumuntur, si ad relationem ipsorum parentum taceot.

Porro si non tantum tacent, sed aliud etiam si- 66
gnum edunt, quo tacite, vel expresse consentire praesumantur, valebunt Sponsalia in eorum absentia e parentibus, contracta, sive dein a parentibus, sive alio contractus eisdem intimetur textu expresso *cit. c. un.* §. *Porro de Desponsat Impub.* Ex quibus autem signis desumatur tacitus consensus, colliges ex dictis *n n.* 56.

§. IV.

De Defloratione, Copula, Impraegnatione cum vel sine promissione, aut spe Matrimonii facta, signum Sponsaliorum praebente aut obligationem ducendi, vel dotandi inducente.

SUMMARIUM.

67 *Copula, vel Defloratio, nisi alia concurrant, non est signum Sponsalitii consensus.*
68 *Bene vero, si alia saltem dubia signa, aut verba concurrent.*
69 *Nisi puella sit malae famae.*
70 *Sola Copula absque fraude, metu, vel importunis precibus obtenta, nec ad ducendam, nec ad dotandum, nec ad aliud obligat.*
71 *Qui dolo, vi, aut gravi metu injuste incusso virginem etiam absque spe Matrimonii ad Copulam inducit, eam ducere vel dotare tenetur.*
72 *Ad idem tenetur, qui importunis precibus, aut blanditiis copulam obtinet.*
73 *Etiam precibus importunis seducitur puella.*
74 *Preces importunae aequiparantur metui.*
75 *Praesertim si fiunt a Superiore, Principe etc.*
76 *Si puella nullum damnum patitur, deflorans in Foro interno ante sententiam Judicis ad nihil tenetur.*
77 *Bene tamen post sententiam Judicis.*
78 *Si delictum occultum ipsemet deflorator propalat, tenetur ad restitutionem damni inde secuti, etsi libere ad copulam consenserit puella.*
79 *Qui vi, metu, dolo, importunis precibus obtinet ab aliqua, quae virgo amplius non est, nec pro tali communiter habetur, ordinarie ad nihil tenetur.*

80 *Idem est de puellis malae famae aut vitae. Et quid de ancillis, et famulabus Cauponum?*
81 *Puellae statu tantum, non item vita, et moribus vili, aeque ac alii satisfieri debet.*
82 *Etiam correptae, si revera detrimentum injuste patiuntur.*
83 *Seducens vi, fraude, metu, aut importunis precibus prius jam corruptam, communiter tamen putatam virginem, tenetur eam ducere, vel dotare.*
84 *Virgo quaevis praesumitur in Foro externo.*
Quivis praesumitur bonus, donec probetur malus. Ibid.
85 *Puella in Foro externo praesumitur seducta.*
86 *Hinc habet in dicto Foro causam favorabilem.*
87 *Absque promissione Matrimonii seducens puellam non tenetur eam simul ducere, et dotare, sed sufficit alterutrum. Et num. seq.*
89 *Quamvis, si parentes aut seducta Matrimonium recuset, tenentur absolute eam dotare.*
90 *Solvitur instantia.*
In alternativis debitoris est electio, et sufficit alterum adimpleri. Ibid.
91 *Dos restituenda seductae quomodo in Foro externo reguletur, et mensuretur?*
92 *Debet ei a seductore dari, etiamsi prius jam habeat dotem.*
Virginitas est secunda Dos. Ibid.
93 *Et licet nullum passa sit detrimentum; secus est in Foro interno.*
94 *Si puella ex floratione injusta majus patitur damnum, quam efficit dos, qua gaudet, plus restituere tenetur seductor. Et duobus num. seqq.*
97 *Plus debet ordinarie restitui puellae nobili, vel specialibus donis naturae ornatae, quam ignobili, aut deformi.*
98 *Juxta arbitrium Judicis.*
99 *Caeteris paribus dives deflorator non tenetur plus dare defloratae, quam pauper.*
Quomodo intelligendum, quod dos debeat defloratae dari juxta facultates defloratoris? Ibid. et num. seq.
100 *Impossibilium nulla est obligatio.*
Difficilium valde, ac impossibilium idem est Judicium. Ibid.
101 *Si deflorator, quantum teneretur, non habet, debet tantum restituere, quantum interim potest cum obligatione supplendi reliquum, si ad pinguiorem fortunam venerit.*
102 *In Foro interno dos inique seductae restituenda non mensuratur juxta* c. 1. de Adult. et stup. *sed praecise juxta damnum, quod seducta inde patitur.*
103 *Et in hoc Foro ordinarie plus restitui debet nobili, aut specialiter pulchrae etc. quam ignobili, aut deformi.*
104 *Debet fieri restitutio pro quantitate damni, etsi ad minus obliget Judex.*
105 *Satisfacit in Foro interno seducto, si puellam sibi aequalem ducere paratus est.*
106 *In Foro interno ad nihil tenetur, qui solis importunis precibus seducit.*
107 *Bene tamen in Foro externo. Et ad quid?*
108 *Causa prolixioris discussionis.*
109 *Si deflorator sufficienter ad dotandum media non habet, et defloratam nubere ei nolit, debet in foro externo compelli, ut det quantum potest.*
110 *In Foro interno autem quantum damnificavit; nisi nubendo velit satisfacere.*
111 *Si injustus deflorator non habet media ad dotandum, vel sufficienter compensandum damnum puellae illatum, tenetur eam ducere: Et numer. seq.*
113 *Nisi deflorata sit notabiliter inferioris conditionis; tunc enim in Foro interno ducere eam non tenetur.*
114 *Bene vero in Foro externo.*
115 *Qui sub ficta spe Matrimonii obtinet usum corporis, tenetur in utroque Foro deceptam ducere.*
116 *Nec satisfacit dotando. Et num. 118.*
117 *Nec excusatur ab obligatione ex eo, quod ficte tantum promiserit. Et quare?*
118 *Aliud pro alio invito creditori solvi non potest.*
119 *Sub ficta promissione usum corporis obtinens tenetur ducere deceptam, etsi haec nihil repromiserit.*
120 *Solvitur objectio, et ulterius ostenditur, ex quo capite teneatur absolute nubere.*
121 *Si vir notabiliter excedit conditionem puellae, et hoc scivit, vel scire potuit puella, non tenetur eam ducere, sub ficta promissione Matrimonii ad copulam inducens.*
Scire, et scire debere paria sunt. Ibid.
122 *Si vero puella nescivit excessum, vel scivit quidem, decipiens tamen ei taliter promisit, quod de serio promissione nullus dubitare potuisset, tenetur eam ducere, et quare? usque ad n. 127.*
127 *Si puella fictionem facile advertere poterat, non tenetur eam ducere decipiens.*
128 *Neque si puella reciproce decipit virum fingendo se virginem.*
129 *Neque si interveniat causa aliqua, ob quam juste solvuntur Sponsalia.*
130 *Qui sub ficta spe Matrimonii aliquam seducit, et non potest eam ducere, an teneatur illam dotare? et num. seq.*
132 *Clericus, vel ordinatus sub ficta spe Matrimonii deflorans aliquam, tenetur eam dotare, et quomodo?*
133 *Quis teneatur alimentare prolem?*
134 *Renuens Matrimonium, ad quod obligatur, an, et quomodo compellendus? Remissive.*
135 *Compendiosa recapitulatio de obligatione ducendi, vel dotandi cum vel sine spe Matrimonii seductam.*

Quaeritur I. An, et quando Copula carnalis, Defloratio, aut impraegnatio sine ulla etiam ficta promissione Matrimonii, facta habeatur pro signo consensus Sponsalitii, aut saltem obliget ad ducendum, vel dotandum? Resp I. Copula carnalis, cum altero sexu absolute loquendo, et nisi alia concurrant, non praebet sufficiens signum Sponsalitii consensus. Communis ac certa. Ratio patet, quia copula fieri potest et saepissime, imo a potiori fieri solet ex sola libidine absque ullo animo Matrimonium ineundi: ergo ex illa sola consensus seu mens Sponsalitia praesumi *non* potest, nec debet, *per vulgaria Juris principia de Praesumptionibus* 67

Resp II. Si una cum Copula concurrunt verba, aut signa dubia Sponsaliorum contractorum, tunc Copula praesumitur, ac censetur facta animo Sponsalitio, seu, illa cum caeteris dubiis signis praebet in Foro externo signum sufficiens praesumendi Sponsalia, consequenter Reum absolute condemnandi ad nubendum. Sporer. *p.* 4 *cap.* 1. *sect.* 2. *nu.* 186. Gobath. *Tr.* 10 *casu* 2. *num.* 6. *num.* 276. Perez *Disp.* 12. sect. 4. Menoch. *de Praesumpt. lib.* 1. *Praesumpt.* 1. *arg. c. Is qui fidem* 30. *h. t.* ubi etiam Matrimonium praesumitur: ergo multo magis Sponsalia: et *c.* 7. et 6. *de Condition. oppos.* Ratio est; quia honesta puella non censetur praebere usum corporis, *nisi* suo sponso, ac sub spe futuri Matrimonii, sub qua facile puellae etiam caeteroquin honestae persuadentur: ergo ubi de Matrimonio tractatur, utque signa et copula concurrunt, de factis Sponsalibus merito praesumi, ac judicari debet. 68

69 Dicitur autem constanter *in Foro externo*; quia in Foro interno ad simpliciter ducendam in tali casu non tenetur; si promissionem Matrimonii revera non fecit, per dicta *num.* 27. Imo nec in Foro externo tenebitur, si puella honesta non fuit, sed communis, et pluribus exposita, aut alias malae vitae, ac in hoc genere suspecta, aut diffamata per dicenda infra *num.* 79. *et* 80. Porro ad quid ratione copulae sine ulla promissione Matrimonii factae tam in Foro interno quam externo obligetur, patebit statim ex sequenti Conclusione.

70 Quaeritur II. An, et ad quid obliget Copula, Defloratio, aut Impraegnatio sine ulla spe aut promissione Matrimonii facta? Resp. I. Hic iterum distinguendum esse inter Forum internum et externum. Et quidem loquendo de Foro interno, si quis absque vi, vel fraude, vel metu injuste incusso, et absque promissione Matrimonii, item absque precibus, et instantiis importunis cum libere consentiente conjungitur, eamque vel prius jam corruptam carnaliter cognoscit, vel ut virginem deflorat, ac etiam impraegnat, in Foro conscientiae eam nec ducere, nec dotare tenetur. Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 1. *et* 2. Navarrus *in Manual. cap.* 16. *num.* 21. Barbosa *in c.* 1. *de Adult. et stup. num.* 7. Pirhing *h. t. nu.* 49. Molina *tr.* 3. *disp.* 106. *n.* 10. cum communi. Ratio est: tum quia talis non tenetur ratione promissionis, utpote, ut supponitur, non factae: Nec ratione injuriae illatae; cum injuriam consentienti non intulerit, nam *scienti et consentienti non fit injuria neque dolus*, c. *Scienti.* 27. *de R. J. in* 6. Tum quia Jura ratione deflorationis aut stupri, restitutionem aut satisfactionem imponentia loquuntur tantum de seducentibus, et decipientibus, ut videre est c. 1. *et* 2. *de Adult. et stup.* qualis non contingit in casu conclusionis: ergo. In Foro externo tamen non censetur libere consensisse, sed praesumitur seducta, juxta dicenda infra *nu.* 85.

71 Resp. II. Qui vi, dolo, vel fraude, aut gravi injusto metu virginem etiam absque spe Matrimonii defloravit in utroque tam interno nempe, quam externo Foro tenetur eam vel ducere, vel dotare. Barbosa *in c.* 1. *de Adult. et stup. nu.* 7. *et seq* et ibi Anchoranus, Abbas, et Canonistae communiter, Lessius *loc. cit. num.* 10. Navarrus *in Manual. cap.* 16 *nu* 17. Sylvester vers. *Luxuria. q.* 5. Molina *tr.* 3. *de I. et I.* cum communissime et certa aliorum, *arg. cit. c.* 1. *de Adult et stup.* ibi: *Si seduxerit quis virginem, nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, et habebit uxorem*, per quod patet ad Forum externum. De foro interno

Ratio est; quia talis per injuriam damnum intulit puellae, cum, uti supponitur, puella ob notam deflorationem aequales nuptias amplius acquirere non possit: ergo tenetur damnum resarcire, cum omnis injuste damnificans ad restitutionem, aut compensationem teneatur *arg. c. fin. de Injur. et dam. dat. et l. un. C. de sentent. quae pro eo*; consequenter cum damnum aliter resarciri non possit, quam ducendo, vel ita dotando, ut aeque honestis nuptiis potiri possit, ac si deflorata non fuisset, ad alterutrum tenebitur.

72 Resp. III. Etiam ille, qui absque vi, vel fraude, vel gravi metu injuste incusso, ac etiam absque promissione Matrimonii virginem solis importunis precibus, blanditiis, muneribus, aut instantiis deflorat, tenetur saltem in externo Foro eam ducere, vel dotare. Navarrus *in Manual. cap.* 16. *num.* 17. Gonzal *in c.* 1. *de Adult. et stup.* Guttierrez *lib.* 1. *can. qq. q.* 37. *num.* 15. citans communem, Vasquez *de Restit.* Pirhing *h. t. num.* 50. Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 4. et alii. Probatur manifeste ex *cit. c.* 1. *de Adult. et stup.* per textum *nu. praeced.* allegatum, vi cujus omnis ille, ad ducendam vel dotandam virginem obligatur, qui *seducens* virginem, dormierit cum ea, sed importunis precibus, blanditiis, muneribus etc. inducens puellam ad consensum Copulae, vere eam seducere censetur. *L.* 1. *C. de Rap. Virg.* ibi: *nisi solicitaverit*: ergo.

Confirmatur I. Verba Legis et Juris intelligenda atque accipienda sunt justa communem intelligentiam, atque communem usum hominum, *arg. c. Ex litteris. ff.* 1. *h. t.* et *l. Labeo. ff. de Suppell. legat.* ibi: *Ex communi usu nomina exaudiri debent*; atqui secundum usum intelligentiam, et aestimationem communem *seducere* puellam non tantum ille dicitur, qui eam metu, fraude, vel dolo, sed etiam, qui eam importunis precibus, blanditiis, muneribus etc. ad consensum inducit, cum etiam in hoc casu communiter, et vere dici soleat, *seduxit bonam puellam*, (*Er hat das gute Magdl verführt*:) quam querelam, et commune dictum in simili casu semper audire est a parentibus, amicis, ac aliis; imo ab ipsa puella in tali caso ordinarie objiciente, (*du hast mich verführt*:) ergo. Huc quadrat illud apud Terentium: *Etiam nunc me seducere dictis istis postulas?* 73

Confirmatur II. *Importunae preces metui comparantur.* Guttierrez *loc cit. L.* 1. juncta Glossa vers. *Extorta. C. Ne filius pro patre*, ubi *Extortum* dicitur, quod suasionibus fit, juncta *L.* 1. *C. de Raptu Virg.* quod maxime procedit respectu foeminarum magis timidarum. Innocent. *in c. petitio in prin. de Jurejur.* ubi propterea dicit, contractum ab uxore ob nimias preces mariti factum, rescindi posse, ac si esset metu celebratus: ergo. 74

Dices. Consentienti non fit injuria, neque dolus, *c. Scienti.* 27. *de R. I. in* 6. ergo saltem tunc ad nihil tenebitur Deflorator, si puella absque vi, metu, vel fraude solis precibus, aut instantiis etsi importunis inducta consentiat. Resp. negando Consequentiam; quia ad contrahendam in foro externo obligationem ducendi, vel dotandi per dicta Jura *c.* 1. *de Adult. et stup.* necessario non requiritur, quod puellae fiat injuria per vim, dolum, injustumve metum; sed sufficit, *si seduxerit quis virginem*, quod etiam solis importunis precibus, aut instantiis fieri communiter censetur, prout dictum, et bene observat Navarrus *loc. cit. nu.* 16. Gonzalez *ly* vers. *Seduxerit, arg. cit. L.* 1. *de Raptu virg.* ibi: *Nisi solicitaverit.*

Illud communiter etiam Adversarii fatentur, uti videre est apud Pirhing *h. t. n.* 50. Molinam *tr.* 3. *Disp.* 106. *nu.* 1. et alios, quod si puella talibus inducatur precibus, quae merito aequiparantur metui, prout, si importunis precibus aut blanditiis eam solicitat Dominus, Princeps, Superior, aut magnus, a quo dependet, benefactor etc. Cui tam importune solicitanti puella ex metu reverentiali, aut mali timore, vel prae verecundia non audet resistere, vere censetur seducta; consequenter ita seducens tenetur eam ducere, vel dotare, juxta *cit. c.* 1. *de Adult. et stup.* 75

Limitatur autem utraque Conclusio *nu.* 71. *et* 72. posita quoad Forum internum in casu, quo puella seducta aeque commodas acquisivit, vel acquirere potest nuptias, ac si corrupta non fuisset, uti semper fit, si defloratio manet occulta: tunc enim ante sententiam Judicis in Foro conscientiae ad nihil tenetur deflorator. Pirhing *Adult. et stup.* §. 3. *num.* 47. Guttierez *can. qq. q.* 37. *num.* 25. Lessius *de I. et I. lib.* 2. *cap.* 10. *nu.* 15. et alii. Ratio est; quia tunc nec vi legis, nec ratione damni illati in Foro externo consurgit aliqua obligatio. Non vi legis; quia cum dispositio *c.* 1. *de Adult. et stup.* sit poenalis, in odium seductionis lata, ejusque poenae executionem requirat, ante sententiam 76

Judicis non obligat, *arg. c. Cum secundum de Haeret. in 6.* et amplius patet ex dictis *lib. I. Tit. II.* §. 10. *a num.* 221. Nec vi damni illati, quia, uti supponitur, tale praeter deflorationem nullum adest; pro sola autem defloratione, si aliud damnum abest, nihil debetur, hoc ipso, quod virginitas per deflorationem violata irreparabilis sit: ergo. Ex hoc infertur, ex defloratione etiam per vim, dolum, metum injustum, importunas preces facta rarissime oriri obligationem ducendi aut dotandi defloratam, si seducta non fuit impraegnata; quia impraegnatione non contingente defloratio ordinarie manet occulta, indeque damnum puellae evitatur, et nulla in Foro externo actio consurgit.

77 Dicitur autem notanter *ante sententiam Judicis*: quia, si puella deflorata contra defloratorem, uti potest, agit, et Judex sententiam, prout debet, profert, tenetur deflorator etiam in Foro interno defloratae dare dotem, juxta dicenda infra *nu.* 91. *et seqq.* mensurandam, etsi puella potita sit, aut facile potiri possit aeque commodis nuptiis, ac si violata non fuisset; seu etsi praeter deflorationem damnum aliquod passa non esset. Ratio est: quia poenalis dispositio *c.* 1. *de Adult. et stup.* principaliter etiam lata est in odium criminis, consequenter etiam absque damno tertii secuto obligat post Judicis sententiam; licet enim Lex poenalis, ac poenae ipso Jure impositae externam executionem requirentes in Foro interno non obligent ante sententiam Judicis per dicta *n. praeced.* Obligant tamen post illam, ut habet unanimis; cum quivis justae sententiae juxta Leges latae parere teneatur, nisi juste appellet, per dicta *L.* 2. *Tit.* 27. *de Sentent. et re Judicat.*

78 Quod si crimen alias occultum deflorator postmodum ipsemet propalet, indeque damnum puellae defloratae causet; tenetur illud ad aequalitatem etiam in Foro interno, et ante omnem Judicis sententiam resarcire. Lugo *de J. et J. Disp.* 12. *sect.* 1. *num.* 6. Pirhing *h. t. n.* 48. Molina *tr.* 3. *Disp.* 104. *n.* 13. *in fin.* cum communi. Ratio patet: quia tam Jure naturali, quam positivo quivis in Foro conscientiae ante omnem sententiam resarcire tenetur damnum injuste illatum, *arg. L. un. C. de Sentent quae pro eo*, et *c. fin. de Injur. et damno dat.* juncto *can. Si res aliena cau.* 14. *q.* 6. Talis autem damnum injuste intulit, si non deflorando saltem injuste diffamando. Ex quo capite etiam ille ad restitutionem tenetur, qui liberrime consentientem carnaliter cognoscit, et crimen occultum propalat. Doctores citati; postquam ita diffamata etiam in foro externo agere contra diffamatorem damnum resarcire recusantem, vel actione injuriarum ex *l. Diffamari*, vel pro exquirenda dote ex causa deflorationis *c.* 1. *de Adult. et stup.* ubi non evitaret poenam deflorator dicendo, quod puella libere consenserit, aut virgo non fuerit; quia in Foro externo puella praesumitur virgo, et esse seducta, juxta dicenda *nu.* 84. *et* 85. Si tamen Judex ex praesumptione ad plus condemnaret Reum, quam damnum puellae per diffamationem illatum revera efficit, excessum saltem in occulto restituere utique teneretur puella.

79 Resp. IV. Qui absque promissione Matrimonii, vi, injusto metu, dolo, vel importunis precibus, aut blanditiis carnaliter cognoscit puellam, quae amplius virgo non est, nec communiter pro tali habetur, utpote publica meretrix, vel talis, de qua in communitate jam constet, quod fuerit corrupta, ordinarie in nullo Foro ad aliquid tenetur. Barbosa, Farinacius, Engel, ubi statim infra cum communi. Et quidem de Foro externo patet ex *c.* 1. *de Adult. et stup.* cum enim ibidem tantum ille ducere vel dotare teneatur, qui *virginem* seducit: ergo e sensu contrario, qui non virginem seducit, non tenetur. valet enim argumentum a sensu contrario, *arg. L.* 1. §. *Hujus rei, de Offic. ejus, cui mandata est jurisdict.* et *l. Qui Testamento*, §. *Mulier.* ubi Glossa *ff. de Testam.* cum Concordantiis, Barbosa in *Tract. Locorum communium, loco* 77. *a Contrario sensu* cum communi. Probatur etiam de Foro interno: quia, uti supponitur, damnum aliquod prius jam notorie corruptae non causavit; utpote quae ut talis prius jam cognita, magis commodis nuptiis potita non fuisset, etsi seductio ulterior non accessisset.

Porro etsi prius corrupta non sciatur, nec probetur, existat tamen puella vitae vilis, ac minus honestae, vel passim vagans, aut non servato verecundiae pudore, admittens non admittenda, tum regulariter nec dotare, nec ducere tenetur deflorator. Barbosa in *cit. c.* 1. *de Adult. et stupr. nu.* 9. Farinacius *Consil.* 90. *per totum.* Engel *loc. cit. num.* 15. et alii communiter, *arg. l. Quae adulterium, in fine. C. ad Leg. Jul. de Adult.* Ratio est: tum quia contra tales est praesumptio, quod virgines non sint: Tum quia *c.* 1. *de Adult. et stup.* censetur solum fecere pro virginibus honestis. Hinc in specie famulabus, seu ancillis cauponae stupratorem nihil debere, tenet *loc. cit. nu.* 11. Barbosa, ubi etiam citat Alciat. *in l. Inter stup. num.* 5. *ff. V. S.* et alios: idem docet Farinacius *loc. cit. nu.* 5. plures alios referens, *arg. l. Quae Adult. in princ.* et ibi Glossa 1. *In figuratione casus* juncta Glossa V. *Quae Adulterum. C. ad Leg. Jul. de Adult.* Ratio est: tum quia tales plerumque vel sunt, vel certe praesumuntur vitae minus honestae, *arg. cit. l. Quae Adult.* Verum hoc limitandum videtur in casu, quo constat, hujusmodi cauponae famulam, vel ancillam etiam potum administrantem v. g. *Kellerin* fuisse alias honestae vitae; prout revera plures similes inveniuntur in nostris partibus, ubi etiam in cauponis famulae sunt, et censentur honestae, nisi aliud probetur. 80

Illud firmiter tenendum, teneri seductorem dotare, vel ducere virginem, etsi vilis aetas aut conditionis sit, v. g. paupercula, rusticana etc. dummodo fuerit honestae vitae, Doctores *num praeced.* citati, cum communi. Nec obstat, quod *l. Quae adultera. C. de Adult.* et quidam Doctores excludere videantur omnes *viles* personas, quia loquuntur de *vilitate*, quae desumitur ex vita et moribus, non quae habetur ex conditione status, uti *loc. cit.* bene observat et probat Farinacius *arg. cit. l. Quae adultera*, ubi, licet domina cauponae reputetur *vilis persona*, tamen jure censetur comprehensa, si honestae sciatur vitae. 81

Imo etiam notorie prius corruptam cognoscens, tenetur in Foro conscientiae damnum resarcire, si vi, dolo, aut injusto metu, eam de novo seducens revera damnum causavit, prout contingere potest, si prius seducta, jam per longum tempus emendatam ac honestam duxit vitam, et propterea, vel ob alias causas spem proximam, vel promissum habeat boni Matrimonii, aut alio beneficio fruitur, isto autem ob novum lapsum priveretur. Cum enim in tali casu vir puellae, etsi corruptae, injuriam et damnum injuste revera inferat, illud in conscientia resarcire de Jure Divino et naturali omnino tenetur per vulgaria restitutionis principia *arg. l. un. C. de Sentent quae pro eo*, et *c. fin. de Injur. et damno dat.* Hinc in Conclusione *nu.* 79. posita notanter dictum est *Ordinarie*, quia extraordinarie loquendo corruptae quoque per novam copulam damnum injuste inferri potest, uti ex dictis patet. 82

Resp. V. Qui vi, injusto metu, fraude, dolo, aut importunis precibus absque promissione Matrimonii seducit, vel cognoscit puellam talem, quae quidem prius jam fuit corrupta, communiter ta- 83

men habebatur pro virgine, et honesta puelle, tenetur in utroque Foro eam ducere, vel dotare, casu quo exinde infamia sequatur, uti, si puella impraegnetur, vel per ipsius fornicatoris propalationem, aut alias delictum fiat palam. Navarrus *in Manual. cap.* 16. *n.* 19. Azorius *p.* 3. *lib.* 3. *cap.* 5. *Difficult.* 11. Pirhing *h. t. num.* 48. *Major. in* 3. *dist.* 37. *q.* 11. et alii communiter. Probatur de Foro externo; quia in hoc puella praesumitur fuisse virgo, ac seducta, juxta statim dicenda; consequenter eam seducens obligatur ad ducendum vel dotandum, *c.* 1. *de Adult. et stup.* Probatur etiam de Foro interno; qui in tali casu puellam, si non verbo, saltem injusto facto, copula nempe inique obtenta, injuste diffamavit ac damnificavit; ergo tenetur in conscientia damnum inde secutum resarcire per vulgaria Juris, praesertim *num.* 78. *allato.*

84 Resp. VI. In Foro externo quaevis praesumitur fuisse virgo. Ancharanus *in c.* 1. *de Adult. et stup.* et ibi Abbas, atque Barbosa *nu* 4. Engel *h. t. nu.* 14. Saunig *h. t. cap.* 3. *nu* 6. cum communi aliorum propterea docentium, quod contrarium asserenti incumbat probatio, *arg. c. un. Ut benefic. Eccles. sine dimin.* Ratio est; quia quivis praesumitur bonus, donec probetur malus, *l. Meritis.* 51. *ff. Pro socio.* Et hoc vel maxime procedit, si puella parata est ad juramentum. Engel. *Ibid.* Potest tamen praesumptio Juris pro virgine faciens, aliis praesumptionibus elidi, uti bene observant DD. De quibus praesumptionibus, sicut etiam quomodo puella non virgo, aut inhoneste ejus vita probetur, vide late Farinacius *de Delictis carnis q.* 136. ubi etiam habes, ea, et quando testes singulares quoad hoc probent.

85 Porro sicut quaevis in Foro externo praesumitur virgo, ita in eodem Foro quaevis praesumitur a viro seducta, consequenter consecuta jus petendi ab eam cognoscente, vel ut ducat, vel dotet. Ancharanus *in cit. c.* 1. *de Adult. et stup.* et ibi Barbosa *n.* 3. Engel *h. t. nu.* 14. Lugo ubi supra *num.* 3. Guttierez *lib.* 1. *can. qq. q.* 37 *num.* 11. dicens, ita docere omnes, estque revera communis, *arg. L.* 1. *C. de Rapt. Virg.* et *L.* 3. §. Si quis volentem. *ff. de liber. hom. exhib.* et *L.* 1. §. *Persuadere ff. de Servo corrupto.* Ratio est; quia hoc ipso, quod aliqua sit, vel praesumatur honesta puella, praesumitur etiam ad copulam non consentire, nisi vi, metu, dolo, aut importunis precibus seducatur, *cit. l.* 1. *C. de Rapt. Virg.*

86 Infertur, valde favorabilem in Foro externo esse causam puellarum contra cognoscentes, aut impraegnantes agentium; utpote quae non tantum praesumuntur prius fuisse virgines, sed etiam seductae; consequenter hoc solo, quod probent, sese a certo quodam carnaliter cognitas fuisse, totam lucrentur causam in Foro externo, ita ut cognoscens talem vel ducere, vel dotare teneatur. Doctores citati cum communi, *arg. cit. c.* 1. *de Adult. et stup.* Gonzalez *in cit. c.* 1. *de Adult. et stup.*

87 Resp. VII. Qui absque promissione Matrimonii virginem vi, fraude, gravi metu injuste incusso, aut importunis precibus seducit, ac deflorat, non tenetur copulative eam ducere simul, et dotare, sed in utroque Foro satisfacit, si eam ducat, vel parente, aut seducta Matrimonium recusante, eam dotet. Barbosa *in cit. c.* 1. *de Adult. et stup* et ibi Ancharanus *num.* 4. Butr. *num.* 2. Abbas *numer.* 4. Anan. *num.* 4. Azorius *p.* 3. *lib.* 5. *cap.* 5. §. *Quaeres.* Clarus §. *Stuprum. num.* 3. Pirhing *h. t. n.* 45 Engel *h. t. num.* 11. Guttierez *can. qq. lib.* 1. *q.* 37. *num.* 7. *et seqq.* Gomez *l.* 80. Taur. *nu.* 8. Rota *Decis.* 779. *p.* 4. *divers.* Lugo *de Just. et Jur. Disp.* 2. *sect.* 1. *numer.* 11. Lessius *loc. cit. num.* 13. *arg. c.* 2. *de Adult. et stup.* ubi non absolute, sed sub alternatione seductor compellitur; in *alternativis* autem sufficit alterutrum adimplere, *c. In alternativis, de R. I. in* 6 et *l. Plerumque* 10. *in fin. ff. de Jure dotium.* Confirmatur recepta consuetudine et praxi omnium fere Tribunalium Ecclesiasticorum, teste Gomez *loc. cit.* Guttierez *cit. q.* 37. Barbosa *loc. cit.* consuetudo autem est optima Legum interpres, *c. Cum dilectus.* 8. *de Consuetud.*

Nec obstat. *c.* 1. *de Adult. et stup.* ubi copulative requiritur, ut seducens virginem, dotet eam simul et ducat. Resp. enim ibi dictionem *et* sumi pro *vel*, prout non raro in Jure accipitur, uti videre est *l. Saepe ff. de V. S.* ibi: *Saepe ita comparatum est, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur, et disjuncta pro conjunctis,* et *l. Conjunctionem. ff. eod.* ibi: *Conjunctionem enim nonnunquam pro disjunctione accipi, Labeo ait.* Quod autem etiam ad propositum ita sumi debeat, desumitur tum ex recepta Tribunalium praxi et consuetudine, quae est optima Legum interpres, *L.* 37. *ff. de Legib.* Tum ex aliis Juribus praesertim *c.* 2. *eod* cum quibus *c.* 1. *eod* concordare oportet, *arg. c. Cum expediat.* 29. *de Elect. in* 6. vel dic cum Rota *Decis.* 779. *p.* 4. *divers.* et Doctoribus citatis, textum *c.* 1. *de Adult. et stup.* causative loqui, ita ut ducere etiam teneatur, si dotare nolit: quod si vero dotare velit, ducere illam nullatenus teneatur. 88

Resp. VIII. Si puella per vim, metum gravem injuste incussum, dolum, aut importunas preces seducta, vel pater ejus recuset Matrimonium cum seductore, ac deflorante, tenetur hic determinate ad dotandam illam, nec liberatur ab hoc onere, si dicat: in satisfactionem volo illam ducere in uxorem, Barbosa *in cit. c.* 1. *de Adult. et stup.* et ibi Hostiensis *nu.* 1. *in fine.* atque Gonzalez *num.* 7. Farinacius *de Delict. carnis q.* 147. *nu.* 105. Azorius *p.* 3. *lib.* 5. *cap.* 5. *Difficult.* 4 Lugo *de I. et I. Disp.* 12. *sect.* 1. *nu.* 12. Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *nu.* 12. Pirhing *h. t. nu.* 46. Clarus §. *Stuprum. numer.* 3. et alii communiter contra Molinam, et nonnullos alios volentes, saltem tunc defloratorem liberari ab onere dotandi, si sit virgini defloratae conveniens, et offeret se ad eam ducendam. Probatur autem nostra Conclusio aperto texto *c.* 1. *de Adult. et stup.* ibi: *Si vero pater Virginis dare noluerit* (et multo magis, si puella ipsa, utpote principaliter offensa nubere ei recuset) *reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.* Ratio est; quia si virgo deflorata stupratorem vel accipere, vel dote carere deberet, non compensaretur ei aequaliter damnum injuste illatum, nam puella prius habebat libertatem nubendi, cui vellet; qua privaretur, si tunc deberet necessario contrahere cum tali, qui ei forsan non placet; vel carere dote ad inveniendum aequalem, sive aeque commodum Matrimonium. 89

Dices. Juxta dicta *nu.* 87. stuprator non copulative, seu disjunctive, seu alternative tantum tenetur defloratam ducere, vel dotare: ergo, si eam ducere vult, dotare non tenetur, si puella ei nubere recuset; Nam *in alternativis debitoris est electio; et sufficit alterum adimpleri, c. In alternativis. de R. I. in* 6. Resp. negando Conseq. Ad probationem respondetur, distinguendo, *In alternativis est electio debitoris*, si aliter Jura non disponunt, conceditur; si aliter disponunt, negatur; hic autem Jus expresse disponit, quod, si pater puellam dare noluerit, et consequenter etiam, si ipsa nubere recuset, teneat stuprator dotare corruptam. 90

Quaeritur II. Quomodo regulanda ac determinanda sit quantitas dotis, quam restituere debet deflorator, casu quo puellam ducere nolit, aut ducere volentem recuset puella vel parentes ejus? Resp. I. Hic iterum distinguendum esse inter Forum internum, et externum. Nam quoad Forum externum 91

in determinando ac regulando dote per defloratorem puellae restituenda, principaliter attenditur quantitas dotis juxta facultates parentis, qualitatem puellae, qualitatemque, et dignitatem mariti, quem consequendi prudentem spem puella habuisset, si violata non fuisset; consequenter ille, qui veram, vel communiter putatam virginem etiam sine spe aut promissione Matrimonii, vi, dolo, vel fraude, aut metu injuste incusso, aut importunis precibus, vel blanditiis seduxit, ad tantam dotis quantitatem obligari et damnari debet; quantam parentes ejus, consideratis puellae et mariti, quem non violata acquirere potuisset, qualitatibus aut dignitatibus, revera dedissent, aut ex haereditate parentis defuncti, vel aliunde puella jam habens marito assignasset, attenta etiam loci consuetudine. Glossa in c. 1. *de Adult. ut stupr.* v. *Juxta modum*, et ibi Gonzalez *num.* 8. *circa fin.* citans Didacum Perez *in princip. Tit.* 15. *lib.* 8. *Ord. Castil. de Alimen. cap.* 26. *num.* 7. Carpz. *prax. crim. p.* 2. *q.* 68. *nu.* 13. Berlich. *p.* 5. *Concl. pract.* 38. *n.* 20. Farinac. *de Delict. carn. q.* 147. *n.* 24. *et seqq. arg cit c.* 1. *de Adult. et stup.* ubi pro Foro externo in odium et poenam delicti expresse ita statuitur: *Si pater Virginis dare noluerit, reddet pecuniam dotis, quam virgines accipere consueverunt.* Dos autem, quam virgines accipere consueverunt, modo in conclusione dicto regulatur et mensuratur, *arg. l. Si filiae* 43. *ff. de Legat.* 3. *l. Si Curatoris* 9. *C. de Administ. Tut. et l. Cum potest.* 69. §. *Gener. ff. de Jure dotium.* ibi: *Dotis etiam quantitas pro modo facultatum patris : et dignitate mariti constitui debet*; nisi aliud habeat loci consuetudo; utpote quae Legi derogat, c. *fin. de Consuetud.* ob quod dictum est in conclusione, *attenta etiam loci consuetudine.* Quid autem pater consideratis considerandi pro dote puellae dedisset, statur etiam juramento ejusdem.

92 Ampliatur Conclusio I. et procedit etiam in casu, quo puella non obstante defloratione adhuc habet, vel habere potest competentem dotem; quia virginitas est secunda, seu altera dos Abbas *in cit. c.* 1. *de Adult. ut stup. num.* 5. Guttierez *Can. qq. lib.* 1. *q.* 37. *nu.* 8. et communis aliorum; quam injuste ablatam, quia ad aequalitatem amplius resarcire non potest (cum virginitas sit irreparabilis) debet in poenam et odium delicti etiam substituere dotem in ea quantitate, in qua consideratis considerandis circumstantiis in Conclusione positis est, vel fuisset dos virginis, si deflorata non fuisset, *cit. c.* 1. *de Adult. ut stup.* ut proin deflorata duplicem dotem habeat, unam a parentibus, alteram huic aequalem loco virginitatis tanquam secundae dotis injuste ablatae, quam in poenam delicti dare tenetur injustus deflorator.

93 Ampliatur Conclusio II. et procedit, etsi deflorata praeter amissionem virginitatis penitus nullum damnum passa fuisset, utpote aequalibus nuptiis potita, vel potiri valens, ac si deflorata non fuisset; quia, ut dictum *cit. c.* 1. *de Adult. et stup.* principaliter non in solam compensationem damni, sed in poenam delicti statuit, ut in casu Conclusionis positae puellam dotet; delictum autem exstitit, poenamque secum trahit, etsi omne aliud damnum abest. Quod intellige de Foro externo; quia in Foro interno, si puella damnum aliquod praeter amissionem virginitatis passa non est, eam dotare ante sententiam Judicis non tenetur (bene tamen post illam) juxta dicta *n.* 76.

94 Resp. II. Si in casu Conclusionis vera, vel communiter putata virgo majus patitur damnum, ac efficit dos illa, quam consideratis considerandis a parentibus habet, vel non deflorata habuisset, debet deflorator etiam in Foro externo praeter dotem doti puellae aequalem, etiam ad resarciendum illud, quo damnum est majus, servata proportione obligari, casu quo deflorata majus illud damnum legitime probat, ac satisfactionem exigit. Hanc Conclusionem omnes certam fatebuntur, quia certum est etiam in Foro externo quemvis teneri ac obligari posse et debere ad tantum resarciendum, quantum injuste damnificavit, *arg. L. un. C. de Sentent. quae pro eo, et c. fin. de Injur. ut damn. dat.* ergo etiam, qui deflorando injuste plus damnificavit quam dos, quam deflorata habet aut habere potuisset, efficit, plus restituere ac resarcire debet, tantum nempe, quantum importat damnum injuste illatum; non quidem vigore c. 1. *de Adult. et stup.* sed vigore aliarum Legum et Canonum universaliter volentium, etiam in Foro externo quemvis injuste damnificantem, ut ad aequalitatem satisfaciat, condemnari posse ac debere *arg. cit. l. un. C. de sentent. quae pro eo, et c. fin. de Injur. et dam. junct. can. si res altera cau.* 14. *q.* 6. dummodo puella injuste deflorata damnum illud legitime probet, et ratione illius satisfactionem exigat, quod omnino exigere potest, non quidem vi c. 1. *de Adult. et stup.* sed vigore aliarum Legum, et Jurium citatorum. Quod si ratione majoris damni nil exigit, vel exigit quidem, sed damnum majus probare nequit, sola dote in Foro externo debebit esse contenta.

Infertur pro Foro externo I. Quod in hoc Foro injustus deflorator ad minimum dare debeat tantum dotem, quantam consideratis, ut supra, considerandis puella deflorata prius jam habebat, vel habere potuisset, si deflorata non fuisset. 95

Infertur II. Injustum defloratorem saepe etiam in Foro externo majorem dotem dare debere, quam puella consideratis considerandis habet, aut habere potuisset; si nempe plus damni intulit puellae, haecque damnum legitime probat, et ratione illius satisfactionem exigit, juxta dicta *num.* 94. 96

Infertur III. Etiam in Foro externo puellae pauperi, Nobili, vel specialibus donis naturae, aut singulari virtute vel arte praeditae ob injustam deflorationem ordinarie plus restitui debere, ac quantitas dotis, quam habet, aut habere posset, efficit, eo quod ordinarie majus damnum patiatur. Hujusmodi enim puellae, etsi dote careant, vel modica gaudeant, intuitu qualitatum praefatarum plerumque aeque honestas acquirunt nuptias, ac aliae notabili, vel majori dote pollentes, consequenter cum per injustam deflorationem omni spe similes nuptias amplius acquirendi priventur, sicque grave damnum eisdem injuste inferatur, optimo Jure etiam in Foro externo illius compensationem aequalem exigere possunt, dicendo et probando: Scilicet pauper et exiguae dotis puella, tamen de nobili stemmate sum; vel quia Deus specialibus naturae donis v. g. venustate me dotavit; vel hanc vel illam artem utilem calleo, simulque toti mundo honestam semper me exhibui, facile tales, vel tales nuptias acquirere potuissem, quapropter, quia tu deflorator, vi, dolo, fraude, aut metu injuste incusso me deflorasti, et seduxisti, deflorandoque me graviter damnificasti; peto debitam satisfactionem, tantam nempe dotem, quantam sufficit, ut tales nuptias acquirere valeam, quales facile acquisivissem, si deflorata non fuissem; cum omnis injuste damnificans ad aequalem satisfactionem, etiam in Foro externo teneatur, et ut eam praestat, a Judice condemnari debeat, per dicta *numer.* 94. 97

Fatendum tamen, multum in hoc puncto relinquendum esse arbitrio prudentis ac justi Judicis, quanti aestimandum sit damnum, quod pauper hujusmodi Nobilis, aut specialibus donis praedita honesta 98

puella passa est; quamvis arbitrium suum juxta aequitatem et justitiam regulare debeat.

99 Dices: juxta plures Doctores, ut Gonzalez, Farinac. *loc. cit.* Bajard. ad Clarom ℣. *Stuprum. numer.* 17. dos a defloratore defloratae restituenda, etiam juxta facultates defloratoris regulanda et mensuranda est: ergo conclusio *numer.* 91. posita non subsistit. Resp. Praefatos Doctores non ita esse intelligendos, quasi vero dives, aut sufficientibus facultatibus praeditus deflorator, caeteris paribus teneatur majorem dotem dare, quam minus dives: sed ita, quod ad dotem jure debitam solvendam adstringi debeat, quantum facultates ejus patiuntur, adeo ut dives et pingues, aut sufficientes facultates habens teneatur tantam dare dotem, quanta consideratis qualitatibus ac dignitate puellae, facultateque parentum, et more patriae virgini tali dari consuevit, quantaque requiritur et sufficit ut aequales acquirere valeat nuptias, ac si violata non fuisset; sive dein illa quantitas parum, sive multum efficiat; consequenter licet quantitas haec centum, mille, vel plures Thaleros efficeret, dare deberet per Doctores, et Jura *num.* 91. citata. Et econtra si consideratis qualitatibus puellae, et facultatibus parentum, moreque Patriae dicta quantitas efficeret tantum viginti, triginta, aut quinquaginta florenos, hos solos dando satisfaceret, nec ad plus obligandus esset deflorator etiam ditissimus, cum *cit. c.* 1. *de Adult. et stup.* plus non praecipiat, quam ut tantam det dotem, quantam (considératis considerandis) *virgines accipere consueverint.* Neque enim ob divitias aliquis debet esse deterioris conditionis, aut ob illas ad plus, quam Lex praecipit, obligari.

100 Pauper vero deflorator non semper tantam tenetur dare dotem, quanta considerata qualitate et dignitate puellae, ac facultatibus parentum puellae alias requireretur: sed tantam solummodo, quantam salvo adhuc statu, seu conditione sua dare potest: Tum quia *Nemo potest ad impossibile obligari*, *c. Nemo* 6. *de R. I.* Nam *impossibilium nulla obligatio est*, *Impossibilium.* 185 *ff. de R. J.* Saepe autem pauperi, vel mediocris fortunae defloratori impossibile est, tantam dare dotem, quanta alias ad dotandam puellam divitem, et Nobilem a se seductam requireretur: ergo. Nec tenetur etiam tantum dare, ex quo totaliter deberet cadere statu, ac conditione sua: Tum quia juxta universalia principia restitutionis nemo tenetur restituere cum totali ruina sui, in quo existit, status, nisi forsan injuste laesus aut damnum passus foret in aequali periculo, prout est communis apud Theologos, et diximus in Theologia nostra Morali. Tum quia cum perditione status sui dotare seductam, esset valde difficile; Impossibilium autem, ac valde difficilium idem est judicium, *arg. l. Cum haeres* 4. § 1. *ff. de Statu liber.* Barbosa *de Axiomat. Jur. v. Impossibile.* num. 8.

101 Notandum tamen, eum, qui ad aequalitatem, ac prout Jura requirunt, seductam dotare non potest, posse ac debere compelli, et obligari, ut interea det, quantum salvo statu suo hic et nunc potest, reliquum vero suppleat, quando poterit, vel ad pinguiorem fortunam venerit, Molina *de I. et I. Disput. Tr.* 3. *Disp.* 104. *num.* 16. Ratio patet; quia praesens impotentia, paupertas, aut defectus mediorum non omnino extinguit, sed tantum suspendit obligationem restituendi ad aequale, ita ut veniens ad pinguiorem fortunam aut statum, omnino teneatur, et in utroque Foro adhuc urgeat obligatio, juxta communem Theologorum. Limitatur tamen haec doctrina in casu, quo damnum passa reliquum expresse aut tacite remittat, uti fieri censetur, si Judice sententiam ferente de certa quantitate, ipsa contenta tacet, nec quidquam de ulteriori obligatione meminit.

Resp. II. Loquendo nunc de Foro interno, si 102
quis puellam dolo, fraude, aut metu injuste incusso carnaliter cognoscit, dos restituenda non regulatur juxta c. 1. *de Adult. et stup.* sed relinquenda et mensuranda est juxta damnum, quod seductor intulit, ita ut in hoc Foro etiam ante omnem sententiam Judicis tantam quantitatem dare debeat iniquus deflorator, quanta requiritur ac sufficit ad resarciendum damnum, quod ex defloratione puella patitur, praecipue ut aequales nuptias acquirere valeat, quales acquirendi spem prudenter concipere potuisset, si violata non fuisset; sive dein haec quantitas major sit, sive minor dote, quam hujusmodi puella alias habet, vel habuisset. Abbas *in c.* 1. *de Adult. et stup.* et ibi Anchoranus nu. 6. et alii communiter. Ratio *primae* partis est; quia *cit. c.* 1. *de Adult. et stup.* tantam dotem imponens, quantam puella deflorata alias consideratis considerandis haberet, vel habere potuisset, est poenalis externam executionem requirens: ergo non obligat in Foro interno ante sententiam Judicis, per dicta supra *num.* 76 consequenter ante sententiam in dicto Foro non dictum, c. 1. sed damnum attendi debet, quod deflorator injuste causarit.

Et hoc tanquam *secundo* pars Conclusionis probatur; quia in Foro interno de Jure humano, naturali, ac Divino ante omnem Judicis sententiam requiritur, et sufficit, ut quis tantum restituat, aut resarciat, quantum injuste damnificarit, ut habet unanimis et certa, *arg. c. fin. de Injur. et damno dat. et l. un. C. de sentent. quae pro eo*: ergo in Foro interno quantitas puellae defloratae danda, regulari, et mensurari debet juxta quantitatem damni, quod puella patitur, ut proin in casu, quo puella, quae iniqua, *ut supra num.* 87. defloratione damnum modicum, vel nullum passa est, defloratur non nisi modicam dotem vel nihil ante Judicis sententiam restituere teneatur, quamvis puella sit dives, ac pinguem dotem jam habeat, vel sperare valeat. Et econtra si puella damnum grave passa est, deflorator magnam dotem, quae ad resarciendum damnum sufficit, restituere teneatur; sive dein puella deflorata dives sit, sive pauper. Potest enim etiam puella pauperrima gravissimum damnum pati, v. g. si ob specialia dona naturae, aut singularem virtutem vel artem, spem proximam, vel etiam promissum habeat Matrimonii pinguis, eoque per iniquam deflorationem dolo, fraude, aut metu injuste incusso extortam privetur; tali namque in casu deflorator utique magnam, ac tantam in conscientia ante omnem Judicis sententiam restituere tenetur dotem, quanta ad resarciendum damnum requiritur, videlicet, ut ipsa Matrimonium aequale illi, ad quod prius spem prudentem, aut promissum habebat, denuo acquirere valeat. Pariter potest puella pinguissimae dotis aut haereditatis jam praedita, ex iniqua defloratione damnum pati; licet enim sua, quam etiamnum possidet, pinguissima dote possit adhuc nuptias commodas acquirere, tamen facile contingere potest, et plerumque solet, quod ob notam deflorationem non amplius tam commodas ac honestas ac prius habere valeat, sed magis abjectis contenta esse debeat; ob quod utique deflorator in conscientia, et ante omnem Judicis sententiam tantum restituere debet, quantum perpetua jactura magis honesti Matrimonii aestimatur.

Infertur I. Cum in Foro interno praecise attenditur ad damnum, quod ex iniqua defloratione puel- 103
la patitur, ita ut juxta quantitatem damni, ma-

gnam vel modicam dotem restituere ante omnem Judicis sententiam teneatur deflorator, sive dein pauper, sive dives sit puella, si aliquam, eamque magnam, sive nullam, vel modicam dotem habeat, regulariter et ordinarie loquendo, caeteris paribus, in Foro interno deflorator plus restituere tenetur puellae pulchrae, aut aliis donis naturae, vel speciali virtute et arte praeditae quam deformi, ignavae, aut alias defectuosae; quia caeteris paribus illa ordinarie honestiores et meliores acquirit nuptias, consequenter damnum majus patitur illa, quam ista.

104 Infertur II. Pro eodem Foro, defloratorem teneri pro quantitate damni injuste illati restituere dotem, etiam in casu quo Judex in Foro externo ad minorem dotem per sententiam obliget defloratorem, si vel ex simplicitate, vel ex ignorantia, vel ex negligentia gravitatem damni non proposuit, vel propositam probare non potuit violata. Ratio est; quia Judicis sententia, quae non nisi secundum allegata et probata ferri potest et debet, non relevat in Foro conscientiae illum, qui scit, quod revera plus nocuerit, damnificaverit aut debeat, ut habet unanimis Theologorum. Secus foret, si puella reliquum condonaret, sententia plene contenta foret: aut si etiam gravitatem damni, quod passa est satis declarasset et probasset; tunc enim pro justitia sententiae, et aequitate Judicis, qui in puncto damni illati multum arbitrari potest, praesumi debet, nisi aperte de injustitia constaret.

105 Illud hic notandum venit, quod, si quis deflorator aequalis conditionis, qualitatis, ac dignitatis existens, pro compensatione damni per deflorationem illati offerat se ad ducendam defloratam, haec vero eum respuat, et dotem praetendat, hanc ille ante sententiam Judicis in Foro interno dare non tenetur. Guttierez *Can. qq. lib.* 1. 37. *q. n. fin.* et alii. Ratio est; quia cum juxta dicta in Foro interno ad plus non teneatur, quam ut damnum resarciat, hoc damnum autem, ut supponitur, ordinarie in hoc consistat, quod deflorata aequalem virum non amplius inveniat, plane satisfacere, et damnum sufficienter resarcire videtur, eam ducendo, si, ut supponitur ei in, omnibus aequalis existit. Verum a Foro externo etiam in tali casu ad dotandum compelli posset, ac deberet, eo quod in hoc Foro in poenam delicti libertas ducendi aut dotandi injusto defloratori adempta, defloratae vero concessa reperiatur, adeo, ut haec, si defloratorem nubere volentem nolit, dotem praetendere queat; ille vero dotem dare recusans, et nubendo satisfacere volens, ad dotandum cogi debeat, si puella nuptias recuset, *arg. saepe. cit. c.* 1. *de Adult. et stup.* quibus concordant dicta supra *num.* 89.

106 Ulterius notandum, quod licet in Foro externo ducere, aut dotare teneatur quis, sive vi, fraude, injusto metu, sive etiam *importunis precibus vel blanditiis* seducat puellam, quia in Foro externo in poenam delicti sufficit, si quis *seducat* virginem, quod etiam ille revera facit, qui importunis precibus aut blanditiis ad lapsum inducit puellam dicta supra *num.* 72. Tamen in Foro interno ante Judicis sententiam ad nihil obligatus videtur, qui solis precibus, aut blanditiis importunis usum corporis obtinuit; ita a fortiori docent omnes illi, qui absolute negant, ob deflorationem ex solis precibus aut blanditiis importunis provenientem, defloratores ad aliquid teneri, inter quos est Molina *Tract.* 3. *Disp.* 106. *nu.* 1. Lugo *de I. et I. Disp.* 12. *sect.* 1. Pirhing *h. t. num* 30. et alii. Ratio autem hujus Notandi est: tum quia *scienti et consentienti* non fit injuria, neque dolus, *c. Scienti. de R. J. in* 6. Tum quia c. 1. *de Adult. et stup.* quemvis seducentem, consequenter etiam importune instantem, aut blandientem, ad ducendum, vel dotandum stringens, ante Judicis sententiam non obligat, utpote ita poenalis, quod externam executionem requirat, per dicta *n.* 76. ergo. Hinc notanter diximus supra *n.* 72. saltem in *Foro externo.*

Imo solis precibus aut instantiis importunis seducens, etiam in Foro externo condemnari non potest ad plus dandum, quam dos puellae efficit, sicut obligari potest ille, qui vi, dolo, aut metu gravi injuste incusso deflorat, casu quo puellam deflorando plus, quam dos illius efficit, damnificat, per dicta *num.* 102. *et seqq.* eo quod precibus inducens injuriam non inferat, consequenter damnum contra justitiam non causet, sicut causat, vi, et dolo aut injusto gravi metu seducens. 107

Et haec de obligatione defloratoris, dote constituenda ac regulanda prolixius dicere, et clarius, etiam quaedam subinde repetendo explicare placuit: Tum quia tam in Foro interno quam externo continuo occurrunt: Tum quia non pauci DD. valde confuse, non distinguendo inter Forum internum ac externum, nec circumstantias, prout oportet, satis discriminando scribunt. 108

Quaeritur III. Quid Juris, si vi, dolo, injusto metu, aut importunis precibus deflorans puellam, media non habet ad competenter dotandum corruptam? Resp. I. In hoc casu, si puella nolit nubere defloratori, debet hic in Foro externo compelli, ut interim pro dote det, quantum potest, simulque obligari, ut reliquum restituat, quando poterit, vel ad pinguiorem fortunam venerit, patet Conclusio ex dictis *num.* 101. Quibus accedit, quod cum in potestate puellae sit acceptare nuptias, vel praetendere dotem, *arg. cit. c.* 1. *de Adult. et stupr.* ad eandem dandam petenti teneatur deflorator, consequenter ad interea praestandum, quantum potest, et residuum adhuc debitum supplendum, quando poterit; cum universaliter impotentia temporanea non extinguat, sed tantum suspendat obligationem satisfaciendi, aut restituendi, quod debet, per vulgaria tum Juris, tum Theologiae principia. 109

Dixi *in Foro externo*: quia in foro interno, si puella nullum damnum passa est, ad nihil tenebitur deflorator juxta dicta supra *n.* 102. Vel si damnum quidem passa est, sed eam ducere, ducendoque resarcire damnum paratus est deflorator, qui vel majoris, vel aequalis cum puella status, conditionis, facultatis ac qualitatis est, liber ab omni obligatione in Foro interno erit, si cum puella recusat, juxta dicta supra *n.* 105. Ratio est; quia licet puella in Foro externo libertatem habeat acceptandi vel recusandi Matrimonium, et loco ejus exigendi competentem dotem, tamen hac libertate non semper gaudet, si causa non venit ad Forum externum: Tum quia *c.* 1. *de Adult. et stup.* obligans defloratorem, ut aut ducat, aut dotet, et puellam nubere nolentem determinate dotet, est poenalis externam executionem requirens: consequenter ante Judicis sententiam non obligans, juxta dicta supra *n.* 76. *et* 101. Tum quia pro Foro interno satisfacit deflorator, si damnum injuste illatum sufficienter resarciat, quod facere potest, non tantum dotando, sed etiam ducendo puellam, supposito, quod puellae sit aequalis, et damnum ejus praecise in hoc consistat, quod ob deflorationem aequales nuptias acquirere non valeat: ut plerumque in hoc solo consistit. Nec enim injuste deflorata libertatem habet in Foro interno eligendi satisfactionem, quae ei lubet, sed contenta esse debet, si ei ad aequale satisfaciat seductor, quod fit, si eidem aequalis nubat, nisi forsan praegnantem hinc non nubendi causam haberet, vel damnum per injustam deflorationem ei- 110

dem illatum in alio consisteret, v. g. qui ob deflorationem deleretur ex Testamento alicujus, qui eidem ob honestam ipsius conversationem notabilem legavit Summam, vel privaretur pingui conditione, aut aliud damnum pateretur, quod nubendo non resarcitur; tunc enim utique alio modo satisfacere, et damnum etiam in Foro interno resarcire deberet injustus deflorator, cum quivis injuste damnificans in Foro interno etiam ante omnem Judicis sententiam resarcire teneatur per vulgaria.

111 Resp. II. Si deflorator defectu mediorum puellam dotare, aut damnum injuste illatum resarcire non potest, teneturque in utroque Foro eam ducere, si puella eum velit, et conditionis notabiliter inferioris non est. *Prima pars* Conclusionis de externo Foro videtur certa; eo quod licet *in alternativis debitoris sit electio; et sufficiat alterum impleri.* c. *In alternativis.* 70. *de R. J.* (cujusmodi est obligatio defloratoris, dotandi nempe vel ducendi, juxta dicta *nu.* 87.) tamen si debitor unum ex bis non vult, aut potest praestare, ad alterum tenetur, hoc ipso quod ad alterutrum obligatur; consequenter cum iniquus deflorator in Foro externo in poenam delicti aut ducere, aut dotare teneatur defloratam, etiamsi haec aliud damnum praeter virginitatis amissionem passa non fuisset, per dicta supra *nu.* 93. si dotare sufficienter non potest, ducere tenebitur, *arg. cit.* c. *In alternativis de R. J.* ubi hoc ipso, quod dicatur, sufficere alterum impleri, tacite innuitur, alterutrum necessario fieri debere, consequenter si unum fieri nequit, alterum fieri oportent, et *l. Plerumque.* 10. §. *fin. ff. de Jur. dot.* ubi expresse habetur, quod si in alternativis obligatoriis unum fieri nequeat, alterum necessario fieri debeat. Concordat *l. Si in emptione.* 34. §. *Si emptio.* 6. *ff. de Contrah. empt.* quod si deflorator ducere nolit, debitis Juris mediis, etiam Excommunicatione compelli debet, *arg.* c. u. *de Adult. et stup.* quamvis finaliter cogi non possit, juxta dicenda infra *n.* 163.

112 Probatur etiam *secunda pars* de Foro interno, quia in hoc Foro etiam ante omnem Judicis sententiam quilibet injuste damnificans tenetur damnum restituere modo, quo potest, juxta omnes per vulgaria praesertim *c. fin. de Injur. et dam. dat.* et *l. un. C. de sentent. quae pro eo*: ergo si deflorator damnum injuste illatum pecuniis, aut facultatibus resarcire nequit, potest autem nubendo, ad nubendum tenebitur prout in simili cum aliis bene observat Layman *lib.* 5. *tr.* 9. *p.* 1. *cap.* 1.

113 Dicitur autem notanter, *si puella cognitionis notabiliter inferioris non est*: hoc enim si foret, ducere eam non teneretur, etsi dotare non posset, prout bene advertit Lugo *de J. et J. Disp.* 12. *sect.* 1. *num.* 18. Ratio est; quia nemo in Foro interno tenetur restituere, aut resarcire damnum cum longe majori suo detrimento, quam sit damnum, quod pars altera patitur, ut habet communis Theologorum apud Lug. *loc. cit.* sed si deflorator teneretur ducere puellam longe inferiorem, v. g. rusticanam, aut infimae sortis, cum ille sit de nobilissimo Stemmate, haud dubie longe majus pateretur detrimentum, quam sit damnum puellae per deflorationem illatum, uti consideranti patet: ergo. Satisfaciet itaque talis in Foro interno, si interea facit, quod potest, addito promisso aut firmo proposito reliquum pro resarcitione damni illati necessarium restituendi, quamprimum poterit, aut ad pinguiorem fortunam venerit.

114 Num autem etiam in Foro externo a ducendo excusetur, qui dotare non potest stupratam longe inferiorem, major apparet difficultas. Ad quam nihilominus *negative* respondendum videtur: Tum quia in Foro externo ratio *num. praeced.* posita, a ducendo excusans ad propositum non currit; cum injustus deflorator in hoc foro, etiam cum longe majori suo detrimento restituere, ac resarcire teneatur, quam sit damnum per deflorationem illatum, ut pote qui puellae maximam dotem jam habenti, et ob deflorationem nullum damnum patienti, aequalem maximam dotem restituere debet, si puella nubere eidem non vult, idque in poenam delicti per dicta superius *num.* 93. Tum quia alternativa obligatio injusto defloratori pro foro externo c. 1. *de Adult. et stup.* imposita est in poenam delicti, quae quamvis delicti Reum nullo excepto, consequenter etiam positum in Conclusione in Foro externo tenet, ita ut alterutrum praestare debeat, dotare nempe, vel si hoc non vult aut non potest, ducere debeat, *arg. cit. L.* 10. §. *fin. ff de Jure dot.* nisi puella ipsa nuptias recuset, vel, obligationem remittat.

Quaeritur IV. Ad quid teneatur, qui sub ficta spe, ac promissione Matrimonii foeminam inducit ad copulam? Resp. Talis in utroque Foro absolute tenetur eam ducere, nec satisfacit dotando seductam, etiamsi seducta non fuerit virgo, sed prius jam corrupta, dummodo hoc antea sciverit deceptor. Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. Disp.* 10. *num.* 3. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *nu.* 11. Sylvester *V.* *Luxuria. q.* 5. Navarrus *cap.* 16. *n.* 18. Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 3. Molina *tr.* 3. *Disp.* 106. *nu.* 3. Ledesma *de Matrim. q.* 45. *a.* 5. *dub.* 1. Coninck *Disp.* 22. *sect.* 8. *concl.* 1. Lugo *de J. et J. Disp.* 12. *sect.* 2. *n.* 20. Pirhing *de Adult. et stup. n.* 56. cum Communissima aliorum contra Perez *Disp.* 2. *sect.* 3. Ratio Conclusionis est; quia quandocunque inter aliquos intervenit contractus *do ut des, facio ut facias*, si una pars contractum implevit, tenetur etiam altera adimplere, etiamsi ficte contraxerit, seu promiserit; atqui in casu Conclusionis intervenit talis contractus; ergo si una pars foemina nempe contractum implevit, tenetur etiam pars altera adimplere, et quidem in specie id, quod promisit, Matrimonium nempe; consequenter non sufficit dotando, *cum aliud pro alio invito creditori solvi non possit*, *L.* 2. §. *Mutuum. ff. de Rebus credit.* Distinguunt Adversarii *Majorem*, si inde damnum alia ratione non reparabile secutum est, conceditur: si nullum secutum est damnum, vel tale, quod alia via resarciri potest, negatur. 115

Sed contra hanc distinctionem est *primo*, quod adimpleto ex una parte contractu *facio ut facias*, obligatio alteram partem ad reciproce adimplendum stringens non proveniat ex damno alteri secuto, sed ex natura contractus etiam ex altera parte ficte celebrati, item ex justitia commutativa, et naturali aequitate exigente, ut qui per contractum *facio ut facias* alterum ad faciendum inducit, videtque quod alter ad contractum et promissum ex parte sua adimplendum jam paratus existat, non possit hoc acceptare, quin obligationem contrahat vicissim adimplendi id, intuitu cujus alter suum promissum adimplevit, etiamsi hic alter ex facto suo penitus nullum passus sit, nec patiatur damnum. Imo etsi ex facto suo reportaverit commodum; ut si v. g. quis ita contrahat, *si tu hodie ambulas mecum ad has nundinas, ego cras ambulabo tecum ad illas*: ambulante enim ille hodie, tenebitur hic cras ambulare ad nundinas, etiamsi ille ambulando nihil neglexerit, nec damnum aliquod contraxerit, sed potius lucrum ex nundinis reportaverit. 116

Nec liberatur ab obligatione ex eo, quod ficte promittat, ac etiam contra obligationem interne protestetur: Tum quia acceptando alterius factum nonnisi sub conditione reciproci facti ab alio vicissim praestandi, impedire non potest, quin ex justitia et aequitate naturali oriatur obligatio reciprocae 117

praestationis: Tum quia protestatio illa, spontanea acceptatione facti ab alio non nisi sub conditione reciprocationis praestiti eliditur talis protestatio, uti bene advertit Layman *loc. cit.* et dicemus adhuc infra *num.* 125. quia ex justitia tenebatur vere promittere, et ficte promittendo, atque ita ad faciendum inducendo intulit alteri injuriam, quam exigente justitia utique resarcire debet reciproce praestando factum ficte promissum.

Dices cum Perez, talem commisisse quidem injustitiam, sed solummodo internam, seu secundum intentionem et affectum internum, non item externe, si, uti supponitur, nullum damnum alteri inde fuit secutum: ergo plus non requiritur, quam ut poenitentia doleat illam coram Deo; cum injustitia interna sine alterius laesione aut damno facta, plus non requirat; prout patet in simplici ficta promissione Matrimonii alteri facta, utpote quae licet injuste, ac cum injuria alterius sit facta, promittentem tamen ad ducendum non obligat, sed tantum ut de peccato doleat, prout ipsimet docuimus supra §. 1. *num.* 5. Resp. negando Ant. quia dum talis ficte promittendo inducit ad actum seu factum, jam hoc non amplius est et manet injustitia interna seu secundum intentionem vel affectum internum, sed evadit omnino externa inducens alterum ad actum seu factum externum, quod alias non fecisset, et non nisi sub conditione certae praestationis ab altero faciendae praestitit. Hinc negatur paritas in Consequenti assumpta; quia cum per fictam simpliciter promissionem Matrimonii ibi positam pars altera nullatenus inducebatur ad aliquid certum faciendum aut praestandum, neque vi illius promissionis aliquid praestitit, vel praestare debuit, uti supponitur, maxima inter hanc et illam promissionem apparet disparitas.

118 Instabis, dato, quod per copulam ficta promissione Matrimonii obtentam, alteri etiam externe inferatur injuria, tamen necesse non est illam resarcire ducendo deceptam, sed sufficiet, si pecuniaria vel alia satisfactione injuriam illam externam ad aequale compenset: ergo. Resp. negando ant. quia justitia commutativa non tantum exigit, ut aequale reddatur, sed ut id, quod debetur in specie reddatur, si reddi potest; quia juxta jam dicta, *aliud pro alio invito creditori solvi non potest*, uti expresse habetur *L.* 2. §. *Mutuum. ff. de Rebus credit.* Quae sicut quaevis alia Lex justa in utroque Foro obligat per dicta *Lib.* 1. *Tit.* 2. §. 7. *num.* 153. consequenter cum in specie debeat Matrimonium, utpote sub cujus promissione licet ficte, ac conditione puellam induxit ad actum seu factum, quod alias non praestitisset, nec de facto praestitit nisi sub conditione tacita vel expressa Matrimonii consequendi, Matrimonium, si potest, in specie reddere debet, nec satisfacit dotando, seu dando pecuniam, utpote quam illa non promisit, et ob quam illa factum non praestitit, nec forsan praestitisset.

119 Et hoc procedit, etsi foemina reciproce non promiserit Matrimonium, sed tantum sub spe aut promissione Matrimonii accepta usum corporis fecerit, consequenter vera Sponsalia defectu mutuae repromissionis non effecerit, Sanchez *loc. cit. num.* 4. Pirhing *h. t. num.* 46. cum communi aliorum pro Conclusione *numer.* 115. posita sententiam contra Manuel. in hoc singularem. Ratio est; quia in hoc casu etiam sine Sponsalibus oritur praefata obligatio ex contractu oneroso, *facio ut facias*, ex altera parte jam impleto.

120 Objicies cum Perez *loc. cit.* contra Conclusionem *num.* 115. positam. Qui sub ficta promissione Matrimonii deflorat puellam, non tenetur eam ducere ratione promissionis, quippe quae ficta et invalida est: nec ratione damni illati, utpote quod vel nullum est secutum, vel si secutum, alia via, uti supponitur, reparabile est: ergo nullo modo tenetur eam ducere. Resp. Decipientem in hoc casu non teneri quidem praecise ex promissione utpote ficta et invalida; nec praecise ratione damni dati, sed ex natura contractus onerosi innominati *facio ut facias*, juxta dicta supra *nu.* 115. *et* 116. Unde procedit quidem argumentum Perez contra Sanchez, qui licet nobiscum, et cum aliis *loc. cit. num.* 3. principalem radicem obligationis ducendi ponat in natura contractus innominati *facio ut facias*: tamen ab ea *nu.* 26. recedit, namque in damno dato ponit, dicendo, quod si puella damnum aliquod non patiatur, is qui sub ficta promissione Matrimonii eam carnaliter cognovit, ducere non tenetur, contra quod adhuc dicemus infra *num.* 122. *et seqq.*

121 Limitatur tamen Conclusio I. Si vir notabiliter excedat conditionem puellae, idque puella sciverit: ut si vir est Nobilis, puella vero rustici filia, Sanchez *loc. cit. num.* 5. Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 3. Navarrus *lib.* 16. *num.* 18. Pirhing *de Adult. et stup. nu.* 57. Sylvester ℣. *Luxuria. q.* 5. et alii communiter. Ratio est: quia, cum in tali facile suspicari potuerit, virum non nisi ficte promittere merito praesumitur, quod ex libidine potius, vel ex animo obtinendi ab eo pecunias, quam ex animo acquirendi Matrimonium, et contractum onerosum, *facio ut facias*, celebrandi, corpus praebuerit, consequenter ratio et fundamentum obligandi stupratorem ad Matrimonium desinit. Nec ordinarie auditur puella dicens: se non scivisse deceptionem, quia scire debuit, si scivit excessivam inaequalitatem; *scire autem et scire debere* paria sunt, *l. quod te.* 5. *ff. de Reus credit.*

122 Addit quidem Sanchez *loc. cit. n.* 21. quem sequitur Pirhing *de Adult. et stup. n.* 57. talem notabiliter excedentem non teneri, etiamsi puella nesciverit excessum, vel etiam juramento ita assecuravit puellam deceptor, ut vir prudens quoque prudenter crederet, eum vere promittere; quia, ajunt, talis non tenetur ratione promissionis, utpote fictae et invalidae: nec ratione damni illati; quia justitia non exigit, ut debitor etiam ex delicto plus restituat, quam aestimatur damnum illatum juxta communem; atqui plus aestimatur contractus Matrimonialis longe excedentis viri cum paupercula puella, quam damnum ablatae dolo virginitatis: ergo.

123 Verum huic opinioni Sanchez, et sequacium penitus non adhaerendum, sed tanquam probabilius tenendum videtur, quod si etiam notabiliter excedens deceptor ficte promittendo ita assecurat puellam, ut et ipsa, et quivis vir prudens credere possit, eum sincere promittere: ut si puella renitendo dicat; *ipse tantum fingit, vel vexat, quia, cum ego sim paupercula, ipse vero ditissimus, aut Nobilis etc.* vel, *quia ego sum de abjecto genere, v. g. lictoris, carnificis etc. filia; ipse vero honestorum parentum filius, esse ob inaequalitatem non poterit, quod Matrimonio copulemur, praesertim cum nec parentes ejus id concederent*: deceptor vero ad haec et similia respondent: *bene scio, quis sim ego, et quae tu; scio etiam omnes circumstantias, quod sis mihi longe inaequalis; Nihilominus quia tu prae caeteris mihi places, et ergo te specialem affectum habeo, assecuro te, promitto, imo juro tibi, quod nubere tibi velim, etiamsi strepitent, et summe contradicant parentes mei, et omnem favorem in futurum denegent etc. dummodo tu praebeas usum corporis etc.* Si tali, inquam, aut consimili modo deceptor assecurat puellam, ut nec ipsa, nec alius vir prudens de fraude prudenter suspicari possit; sicut etiam, quando puella excessum ignorat, consequenter

hoc ipso deceptionem advertere nequeat, tenetur deceptor deceptam ducere, postquam ipsa ex parte sua conditionem adimplevit, corpus sub praefata conditione praebendo: nec satisfacit dotando, nisi puella ad dotem consentiat. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *cap.* 1. *num.* 11. Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 3. Vasquez *in Moralib. de Restit. cap.* 3. § 1. *dub.* 3. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 11. *num.* 2. Navarrus, et teste Lessio *loc. cit.* multi alii Doctores. Probatur; quia in tali casu ratio et fundamentum *numer.* 115. positum aequaliter militat; nec adest ratio aut fundamentum in contrarium efficaciter quid probans. Argumentum enim Sanchez, et sequacium, nimium, id nempe probaret, quod ficta promissione Matrimonii usum corporis obtinens, etiam tunc non teneretur deceptam ducere, sed dotando satisfaceret, si decipiens esset aequalis, vel non multum majoris conditionis quam decepta: siquidem etiam tunc argumentari cum Sanchez sic liceret: deceptor non tenetur deceptam ducere vi promissionis, utpote fictae, consequenter nullae, nec ratione damni dati; quia nemo tenetur plus restituere quam damnum a se illatum aestimatur; sed damnum ordinarie majus et aliud non est, quam quod decepta tam commodas nuptias amplius acquirere non possit, quod damnum quia potest resarciri dotando, non tenebitur deceptam ducere, praesertim cum nubere alicui, et cum ea perpetuo manere, quae non placet, et a qua quis aversionem habet, longe majus videatur quam damnum deceptae in sola privatione commodarum nuptiarum consistens; quod quia dote competenti resarciri potest, decepta contenta esse debebit: si, ut Sanchez vult, obligatio ducendi descendit ex sola ratione damni dati, quod nemo cum majori damno resarcire debet.

124 Hinc negatur, quod in casu conclusionis, obligatio ducendi deceptam ex sola promissione vel ratione damni illati proveniant: cum juxta dicta *num.* 115. *et seqq.* et ipsum Sanchez *loc. cit. num* 3. principaliter proveniat ex natura contractus innominati, *facio ut facias*, et justitia commutativa exigente, ut si quis sive vere, sive ficte contractum talem cum alio ineat, et hic contractum promissum sub conditione tacita vel expressa reciprocae adimpletionis ex parte sua adimplere paratus existat, alter hoc acceptare non possit, quin naturali aequitate, ac justitia exigente obligationem contrahat adimplendi etiam id ipsum, intuitu cujus pars altera suum adimpleverat; etsi id se impleturum prius ficte promiserat, uti ad propositum bene etiam argumentatur Layman *loc. cit. num.* 11.

125 Confirmatur: si quis sub vera promissione Matrimonii obtinet usum corporis, a puella longe inferioris conditionis, tenetur eam absolute ducere, nec satisfacit dotando, ut Sanchez ipse, et omnes alii fateri debent: ergo etiam ficte promittens (casu quo puella fictionem advertere non poterat) postquam copulam a puella sub tacita vel expressa conditione Matrimonii concessam acceptat; quia id facere non potuit, quin obligationem ex justitia contraheret vicissim adimplendi id, cujus gratia puella corpus praebuit, nec relevatur ab illa obligatione, si interne contra eam protestatur, ex quo externa spontanea acceptatio copulae sub tali, et non alia conditione concessae, est contraria tali protestationi, eamque ex justitia et aequitate elidit; alioquin enim in quovis contractu oneroso libera decipiendi daretur facultas, uti *loc. cit.* bene advertit Layman.

126 Confirmatur ulterius; si sub ficta promissione copulam obtinens ex solo damno dato teneretur ducere deceptam, uti vult Sanchez, sequeretur, quod quando puella ex tali copula nullum pateretur damnum, deceptor etiam aequalis conditionis puellam ducere non teneretur; atqui sequela videtur omnino absurda, ergo, sequelam *Majoris* concedit Sanchez *loc. cit. num.* 21. ubi adhuc alias adducit *Minorem* ex consequenti negare debebit, quae tamen probatur, tum rationibus et fundamentis *num* 115. *et seqq.* positis, utpote aeque militantibus, si nullum, ac si aliquod damnum ex copula sub conditione promissi Matrimonii concessa sequitur. Tum ex eo, quod inde aperiretur via innumerarum deceptionum et fornicationum, cum non tantum leves et imbecilles, timoreque Dei ac virtute minus firmatae, sed etiam honestissimae virgines ac viduae, quae ad inhonesta nunquam adduci potuere, promissione Matrimonii plerumque inducantur; quo medio libidinosi liberrime ficta tamen uterentur, si scirent, quod ratione fictae promissionis in tali casu ad nihil obligarentur; imo jurare possent, quod nihil promiserint, uti vult Sanchez *loc. cit. num.* 27. Relinquo cujusvis considerationi, an non haec doctrina sit nutritiva peccatorum, consequenter in praxi minime tenenda.

Caeterum limitatur Conclusio *secundo*, quando foemina ex verbis, signis, aut aliis conjecturis potuit faciliter colligere fraudem, aut fictionem. Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 10. *num.* 7. Layman ubi supra *numer.* 11. Lessius *loc. cit.* num. 24. Sylvester *V. Luxuria. q.* 5. cum communi aliorum. Ratio est, quia hoc ipso, quod facile potuisset colligere fraudem, voluit decipi: paria autem sunt posse scire, et debere scire, *arg. l. quod te ff. de Reb. credit.* scienti vero, et consentienti non fit injuria neque dolus, *c.* 27. *de R. J. in* 6. 127

Limitatur *tertio*, si puella reciproce decipiat, jactando aut fingendo se virginem, cum non esset. Layman ubi supra, Lessius *loc. cit. num.* 30. Sanchez *loc. cit. num.* 21. Ledesma *de Matrim. q* 45. *a.* 4. *dub.* 1. Lessius *l.b.* 2. *cap.* 10. *dub.* 3. *numer.* 29. Corduba *Sum. q.* 49. Ludovic. Lopez, et alii communiter. Ratio est; tum quia datur compensatio injuriarum: Tum quia ob hanc causam solvi possunt vera Sponsalia juxta dicenda infra §. *VIII.* *a num.* 256. ergo etiam tolli, vel potius impediri potest obligatio ex ficta promissione consurgens. Imo ob hanc ultimam rationem ab obligatione nubendi excusatur deceptor, etsi puella eum vere non deceperit expresse dicendo, aut jactando se virginem, sed tantum tacendo, et probrum amissae virginitatis non manifestando (prout manifestare non tenebatur, cum nemo se ipsum diffamare obligetur) promissum acceptaverit, et corpus praebuerit. Doctores citati. In quo tamen casu deceptor eam competenter dotare tenebitur in utroque Foro, si foemina, quae communiter reputabatur virgo, inde diffamatur, et damnum patiatur. Less. *lib.* 2. *cap.* 10. *dub* 3. *num.* 30. Pirhing, Corduba, et alii, eo quod juxta dicta supra *num.* 71. quivis etiam sine promissione Matrimonii virginem vel veram, vel communiter putatam seducit, et dormit cum ea, tenetur eam ducere, vel dotare; talis autem fictus promissor vel maxime eam seducere videtur: ergo. Si vero inde damnum aliquod non sequatur, in Foro interno ad nihil tenebitur juxta dicta *num* 76. In Foro externo eandem, sicut etiam illam, quae reciproce virum decepit positive mentiendo se virginem, etiam ducere compelletur, nisi vir probet, eam virginem non fuisse; quia per dicta praesumptio stat pro puella, praesumiturque virgo ac decepta, nisi aliter probetur, juxta dicta *num* 84. et 85. 128

129 Limitatur Conclusio *quarto* : quoties intervenit, vel subsequitur circumstantia vel causa, ob quam juste solvuntur Sponsalia vere contracta, Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 10. *n.* 13. Laymann *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *cap.* 1. *nu.* 11. §. *fin.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 3. *nu.* 30. et alii, eo quod si non major, saltem videatur eadem esse ratio; ubi autem eadem est ratio, eadem est Juris dispositio, *arg. l. ideo ff. de Legib.* quia plane non apparet, cur si causa vel circumstantia aliqua sufficit ad tollendam, vel impediendam obligationem ex vera promissione provenientem, non sufficiat ad tollendam aut impediendam illam, quae occasione fictae promissionis ex contractu innominato *facio ut facias* provenit; cum aeque illa ac ista ex justitia, et aequitate naturali obliget : ergo. Porro causas ac circumstantias ob quas licet solvere Sponsalia, habes infra §. VII. et §. VIII. ubi per extensum quaevis declaratur.

130 Quaeritur V. An in casu, quo ille, qui sub ficta promissione Matrimonii foeminam carnaliter cognovit, ex aliqua causa vel circumstantia excusatur a Matrimonio, teneatur saltem eam dotare? Resp. I. Si fictus promissor ob culpam puellae liberatur ab obligatione eam ducendi, v. g. quia puella postea cum alio fornicatur, vel quia positive dixit, aut jactavit se virginem etc. non tenetur eam dotare, Sanchez *loc. cit.* n. 11. Layman *loc. cit.* *n.* 11. Lessius *loc. cit.* n. 29. et alii communiter. Ratio est; quia fictus promissor vi contractus innominati tantum tenebatur ad ducendum; ergo si foemina in culpa, vel causa est, quod eam ducere non teneatur, ad nil aliud tenetur; quia sicut *unum pro alio, invito creditori* solvi non potest, *l. 2. ff. de Reb. credit.* ita unum pro altero solvere invitus debitor cogi non potest, cum correlativorum eadem sit ratio ac disciplina, *arg. l. fin ff. de Acceptil. l. fin. C. de Indict. viduit.* Barbosa *de Axiomat.* vers. *Correlativa.*

131 Resp. II. Si foemina in culpa, et causa non est quod a nubendo excusetur deceptor, et si ex Matrimonio graviа orirentur scandala, tenetur eam ita dotare, ut damnum, si quod est illatum, sufficienter compensetur, ita sentire videtur Sanchez *loc.* cit. *n.* 9. et Doctores supra citati. Ratio est; quia, ut supponitur, injuste damnificavit : ergo tenetur damnum resarcire modo, quo potest, *arg. c. fin. de Injur. et damno dat.* cum Concordantiis: consequenter ei non potest nubendo, tenetur restituendo per dicta *num. III.* nisi damnum passa ipsamet indignam se reddat, sicque eximat damnificantem a restitutione, ob dicta *num. praeced* Confirmatur Conclusio ex dictis supra *num.* 71. *arg.* c. 1. *de Adult. et stup.* vi cujus quilibet virginem, quam seducit, tenetur ducere, vel dotare; atqui talis vel maxime virginem seduxit, qui sub ficta spe Matrimonii eam ad copulam persuasit : ergo.

132 Quaeritur VI. Ad quid teneatur Clericus, et maritatus, qui fingens se solutum, Laicum sub ficta promissione Matrimonii a foemina obtinet copulam? Respondetur teneri dotare puellam in tantum, in quantum requiritur et sufficit ad resarciendum damnum, si quod inde passa est decepta. Sanch *loc. cit. n.* 15. Sylvester vers. *Luxuria.* Ledesma *de Matrim. q.* 45. *a.* 4. *dub* 1. *ad Confirm. tertii.* Ratio est; quia omnis injuste damnificans tenetur ad restitutionem, *arg. l. un. C. de sentent. quae pro eo, et c. fin. de injur. et dam. dat. juncto can. si res aliena, cau.* 14. *q.* 6. ergo etiam positi in Conclusione. Quod si vero puella damnum exinde nullum patitur, ad nihil tenentur in Foro interno, bene tamen in Foro externo per dicta supra *num.* 93.

133 Quaeritur VII. Quis teneatur alimentare prolem, casu quo impraegnetur puella, et impraegnans non ducit impraegnatam, puta, quia vel non potest, vel non tenetur, vel inique recusat? Resp. quamvis satis communis sit DD. opinio, ut videre est apud Covar. *de sponsal p. 2. c.* 8. §. 6. *nu.* 19. Less. *lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 42. qui cum Glossa *in c. fin. de conversione infidelium* docent, hujusmodi prolem primo triennio ali debere a Matre, postea a Patre juxta vulgares versiculos e Glossa ibidem adductos:

Mater alit puerum trimo, trimoque minorem
Majorem trimo pascere, patris erit.

arg. l. Nec filium 9. *C. de Patria potest.* Rectius tamen dicitur, obligationem alendi prolem utrique parenti incumbere, ordine tamen successivo, ita ut prius teneatur pater, mater vero tantum in subsidium, si nempe pater ex defectu mediorum non potest, aut malitia non velit alimentare, et non alimenta prolem Barb. *in c. cum haberet* 5. *de eo, qui duxit in Matrim.* Sard. *de Aliment. Tit.* 1. *q.* 15. *num.* 11. Sancterell. *var. Resolut. lib.* 1. *q.* 35. Covarr. et alii *arg. cit. c. cum haberet* 5. *h.* t. Ad vulgares illos versiculos dicitur, esse ita intelligendos, quod cum proles ante triennium a mamma depelli tunc non consueverit, matri impositum sit praefato triennio lac praebere proli; non vero quasi Mater deberet etiam reliqua v. g. lectum, vestitum, habitationem etc. primo triennio praestare; ad haec enim omnino obligatur pater, et primum in defectu hujus Mater, prout bene advertunt laudati DD. verum de hoc amplius *lib. V. de Adult. et stup.*

Quaeritur VIII. Quid Juris, et quomodo compelli possit ac debeat, qui ob seductionem puellae ad nubendum obligatus, nubere renuit? Resp. ad hoc quaesitum patere §. *seq. num.* 152. 134

Et haec de defloratione, ac seductione foeminarum atque de obligatione inde proveniente, praesertim dote constituenda, paulo prolixius, et nonnunquam cum aliqua repetitione pro majore claritate dicta sint, eo quod materia haec in Foro tam quam in externo identidem recurrat; ob quam causam etiam breviter recapitulare placet dicta in hoc Paragrapho, ut in compendio habeatur notitia totius hujus materiae summae practicae.

Pro compendiosa itaque notitia notandum : in causa deflorationis aliter esse discurrendum, si fiat absque promissione Matrimonii, aliter si fiat sub spe, ac promissione Matrimonii. Et de utraque aliter pro Foro interno, aliter pro Foro externo.

Nam loquendo de casu, quo fit defloratio aut seductio sine spe aut promissione Matrimonii quoad Forum externum, si quis fraude, aut metu injuste incusso, aut importunis precibus virginem seducit, eam ducere, vel dotare tenetur juxta dicta supra *n.* 71. *et seqq.* Si vero puella virgo non est, nec pro tali communiter habetur, in Foro externo ad nihil tenetur *num.* 79. Sicut neque, si puella alias est malae famae, aut minus honestae vitae, *num.* 80. Nisi etiam haec ex tali seductione damnum revera pateretur *num.* 82. Qui seducit talem, quae virgo quidem non est, pro tali tamen communiter habetur, eam dotare, vel ducere debet, *num.* 83. Praesumitur autem quaevis virgo, *num.* 84. et seducta, *num.* 85. nisi contrarium probetur. Seducens absque promissione virginem veram, vel communiter putatam, non tenetur copulative eam ducere, vel dotare, sed sufficit, si ducat, aut dotet, *num.* 87. Quamvis si seducta, aut parentes ejus Matrimonium recusent, teneatur eam dotare. *num.* 89.

Dos seductae assignanda regulatur juxta facultates parentum, et qualitatem puellae, ac viri, quem

acquirere potuisset, *num.* 91. in Foro externo debet dotari seducta, etsi jam habeat dotem, *num.* 92. et licet damnum passa non fuisset *num.* 93. Si damnum majus est, quam dos, plus restituere debet, *num.* 94. *et seqq.* Puellae nobili, aut specialibus qualitatibus naturae ornatae, ordinarie plus restitui debet quam ignobili, aut abjectae. *numer.* 97. Caeteris paribus dives deflorator non tenetur plus dare defloratae, quam pauper, *num.* 99. *et seq.* Qui dotare non potest, tenetur puellam ducere, si se velit, vel dotare quantum potest, si puella nubere ei nolit, *num.* 100. *et seqq.*

Quoad Forum internum praecise attenditur damnum, quod puella ex injusta defloratione patitur, ita ut tantum restituere teneatur, quantum efficit damnum: si nullum damnum subsecutum est, ad nihil tenetur ante sententiam Judicis, *num.* 76. *et nu.* 102. *et seqq.* bene tamen post sententiam Judicis, *num.* 77. In Foro hoc satisfacit vir seductae aequalis, si eam nubere velit, nec tenetur eam simpliciter dotare, *num.* 105. Solis importunis precibus seducens, in Foro interno ante sententiam Judicis ad nihil tenetur, *num.* 107. Qui sub ficta spe aut promissione Matrimonii aliquam seducit, tenetur absolute eam ducere, *numer.* 115. *et seqq.* Nisi vir notabiliter excedat conditionem puellae, et hoc scivit puella, *num.* 121. Quod si tamen vir puellam sufficienter, v. g. juramento assecuret, quod non obstante disparitate conditionis eam ducere velit, si ad usum corpus praebeat, tenetur eam ducere, *num.* 122. *et seqq.*

§. V.

De Effectibus Sponsaliorum, praesertim de Obligatione eorundem; et modo compellendi obligationi satisfacere nolentes.

SUMMARIUM.

136 *Effectus Sponsaliorum qui?*
137 *Sponsalia quaevis etiam occulta obligant sub gravi culpa.*
138 *Etiam qui absque repromissione alterius promisit Matrimonium, tenetur promissum servare: Remissive.*
139 *Solvitur instantia contra obligationem Sponsalium.*
140 *Sponsalia obligant etiam, ne quid fiat, quod Matrimonium impedire posset.*
141 *Sponsalia obligant tempore ad nubendum praefixo Et num. seq.*
Dies interpellat pro homine. Ibid.
Mora sua cuilibet est nociva. Ibid
142 *Ex causa licet differre Sponsalia.*
143 *Si nullum tempus determinatum est, Sponsalia statim obligant.*
Obligationes indeterminate facta statim stringunt. Ibid.
144 *Probatur a paritate voti.*
145 *Solvitur instantia. Et num. seq.*
146 *Pignus vendere non potest creditor, nisi prius moneat debitorem. Ibid.*
147 *Probatur paritas voti.*
148 *Quare pecunia metuo accepta non statim iterum solvi debeat?*
149 *Si ex circumstantiis colligitur, alteram partem libere consentire in dilationem, differri potest Matrimonium.*
150 *Sanchez adversarius videtur nobiscum sentire.*
151 *Ex dilato Matrimonio multa oriantur peccata.*
152 *Recusans Matrimonium compelli potest et debet per debita Juris media,*
153 *Etsi Sponsalia juramento non sint firmata. Pacta et promissa servari debent. Ibid.*
154 *Objicitur instantia contra compulsionem ad nubendum. Et num. seq.*
155 *Obligationibus facti, si aestimationem recipiunt, satisfit praestando interesse.*
156 *Media compulsiva ad nubendum, quae? et quis ordo? Primo debet fieri admonitio.*
157 *Secundo possunt, et debent adhiberi carceres, aut aliae poenae, ante Censuras.*
158 *Quia hodie Excommunicatio non est ordinaria, sed extraordinaria ac subsidiaria poena.*
159 *Tertio, Excommunicatio.*
160 *Si Judex Ecclesiasticus carceres, aut brachium saeculare Ipsemet non habet, an teneatur ante Censuras invocare brachium Laicum?*
161 *Non tenetur: quamvis possit invocare; et invocatus Judex laicus assistere debet.*
162 *Excommunicatio ante carceres lata certo valet.*
163 *Renuens nubere finaliter cogi non potest, et ideo absolvi debet ab Excommunicatione.*
164 *Vel omnino non excommunicari, si ea nihil efficitur.*
165 *Non requiritur exacta probatio, sed sufficit arbitrium Judicis ad cognoscendum, ex futuro Matrimonio oriri scandala.*
166 *In Excommunicatione per annum insordescens processatur ut suspectus de haeresi: non procedit in causa Matrimoniali, nisi quis adigatur ad restitutionem, aut compensationem damni.*
167 *Remittens alteri obligationem nubendi potest exigere compensationem pecuniariam, si ex tali remissione damnum patiatur.*
168 *Prout ordinarie contingit.*
169 *Imo potest talem compensationem exigere, etsi nullum damnum patiatur. Et tribus num. seqq.*
173 *Licet minus, cui plus licet.*
174 *Solvuntur instantiae.*
175 *Compensatio pecuniaria pro dimissione tali debita, a quo, et quomodo taxanda?*

Notandum prius, plures ex Sponsalibus prove- 136
nire effectus, veluti I. Obligationem eadem adimplendi, et per consequens nihil faciendi, quod adimpletionem impedire potest. II. Inhabilitatem durantibus primis alia Sponsalia contrahendi. III. Impedimentum publicae honestatis. *De primo* effectu dicemus in praesenti: de *secundo* autem, et *tertio* in Tit. de Sponsa duorum.

Quaeritur itaque. I. An, quomodo, et quando 137
obligent Sponsalia? Resp. I. Sponsalia graviter obligant, ita ut in Foro interno mortaliter peccet, qui ea adimplere renuit, etsi clam nemine praesente, et ita contracta sint, ut nullatenus probari possint; nisi mutuo consensu dissolvantur, vel justa causa ea dissolvendi existat. Ita hodie cum D. Thom. *in* 4. *Dist.* 27. *q.* 2. *a.* 1. Covar. *p.* 1. *de Sponsal. cap.* 1. *num.* 2. Sanchez *de Matrim. lib.* 1. *Disp.* 27. *num.* 1. Laym. *lib.* 5. *t.* 10. *p. et cap.* 1. *n.* 3. communis, ac certa, caretque controversia, *arg. c. Ex litteris* 10. *h. t.* ubi mandatur Episcopo, ut eum, qui Sponsalia contraxit, ad nubendum prius *moneat; et si non acquieverit monitis, Ecclesiasticis Censuris compellat, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, et maritali affectione pertractet.* Quae Juris dispositio non tantum de Sponsalibus juratis (de quibus *loc. cit.* est sermo) sed etiam de non juratis intelligenda venit: Tum ob alia, quibus concor-

dari debent Jura v. g. can. *Atho.* 47. *cau.* 27. *q.* 2. ubi *omnibus modis* prohibetur, ne quis Matrimonium contrahat cum aliqua alteri jam desponsata; ita ut Matrimonium cum tali contractum Anathemate feriatur. concordant et idem probant c. *Praeterea.* 9. *et c. si inter* 31. *h. t. c. De illis.* 7. *de Despons. impub. p.* 1. *de Sponsa duorum.* Tum etiam ob rationem. Ratio enim Conclusionis de omnibus Sponsalibus in genere est; quia omnis promissio praesertim onerosa, ac mutua de re gravi, qualis utique est Matrimonium, graviter obligat, et in utroque Foro servanda est *c.* 1. *et* 3. *de Pactis.*

138 Ex hac ratione desumitur, quod etiam graviter obligetur quis ad nubendum illam, quae mutuo non repromisit, consequenter vera Sponsalia non contraxit, sed tantum promissionem acceptavit juxta dicta supra *n.* 17.

139 Nec obstat *L.* 1. *C. de Sponsal.* ubi dicitur: *Alii desponsata renunciare conditioni, et nubere alii non prohibetur.* Resp. enim textum illum intelligendum esse, quod *dissolutis Sponsalibus de futuro licitum sit alteri nubere*; prout in terminis ibidem explicat *Summarium*, et ita interpretari jubet concordantia Juris non tantum Canonici, sed et Civilis, *l. Juris gentium* 7. §. *Ait Praetor.* 7. *ff. de Pact.* ibi: *ait Praetor, pacta conventa, quae neque dolo malo, neque adversus Leges, Plebiscita, senatusconsulta, edicta Principum, ne que quo fraus cui eorum fiat facta erunt, servabo.* Quod si contendas, Sponsalia de Lege Civili non obligare: Resp. eam esse correctam a Jure Canonico per textus citatos *num.* 137. gravem obligationem manifeste indicantes.

140 Infertur: Sponsalia indirecte graviter etiam obligare, ne quis absque justa causa faciat quidquam quo impediri, aut plus justo differri possit Matrimonium ob Sponsalia debitum: eo quod universaliter omnis contractus non tantum obliget ad praestandum id, quod promissum est, sed etiam ad abstinendum ab omni eo, quod debitae executioni promissi adversatur, Palao *de Sponsalib Disp.* 1. *pun.* 7. *num.* 3. cum communi per vulgaria.

141 Resp. II. Si in Sponsalibus certum tempus determinatum fuit pro Matrimonio contrahendo, illud observari debet, nisi justa causa excuset. Ita communis, ac certa, caretque controversia, arg. *l. Solutam.* 85. *ff. de Solution.* ibi: *Solutum solvitur non minus quantitate quam die.* Ratio est: Tum quia *contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*, *c.* 85. *de R J. in* 6. Tum quia pacta justa servanda sunt, *l. penul. C. de Pactis.* Procedit Conclusio, etsi in hoc casu pars altera non urgeat; quia *dies statuta interpellat pro homine*, *c. fin. de Locat. Conduct* Hinc si ob culpabilem moram unius pars altera damnum patiatur, damnum ei resarciri debet; Nam *mora sua cuilibet est nociva*, *c.* 25. *de R. J in* 6.

142 Dicitur tamen notanter in Conclusione nisi *justa causa excuset*; cum enim ob hanc Sponsalia omnino solvi possint, *Ex litteris* 10. *h. t* ibi: *Nisi rationabilis causa obstiterit*; et magis patebit ex dicendis § *seqq.* multo magis ob eam differri poterunt

143 Resp. III. Si nullum tempus determinatum est, per se loquendo et ex natura sua Sponsalia statim obligant, ita ut quamprimum commode et humanitus fieri potest, adimpleri debeant, etiamsi ab aliqua ex spondentibus parte monitio, aut requisitio non fiat. Bosco *in Theolog. Sacram. p.* 5. *Disp.* 11. *sect.* 1. *Concl.* 2. *n* 19. Pontius *lib.* 12. *cap.* 5 Castro Palao *Disp* 1. *de Sponsal. pun* 7. Sporer ubi supra *n.* 410. Coninck *Disp* 22. *num.* 8. Ledesma *de Matrim. dub.* 15. et alii contra Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 28. *n.* 2. Pirhing *h. t. n.* 25. Diana *p.* . *tr.* 4. *Resolut.* 245. et alios referentes, nullam ex spondentibus partem antea teneri ad servandum Sponsalia, et ertu nubendum, quam cum pars altera id petat, et exigat. Probatur autem Conclusio nostra ex *l. In omnibus.* 14. *ff. de R. J.* ubi habetur: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, praesenti die debetur*, et *l. Eum qui* 41. §. *Quoties. ff. de V. O.* ibi: *Quoties autem in obligationibus dies non ponitur, praesenti die pecunia debetur etc. Verum dies adjuncta efficit, ne praesenti die debeatur.* Ex quibus ultimis verbis clare liquet, solam adjectionem diei, seu determinationem temporis (at non taciturnitatem alterius partis, ut vult Sanchez) facere, et efficere, quod *statim*, id est, pro prima opportunitatem non obligent Sponsalia; consequenter, si dies aut tempus determinatum non est, statim obligabunt.

Confirmatur a simili in voto, quod obligat pro prima opportunitate, nisi fuerit certus terminus praefixus; ut omnes etiam Adversarii admittunt, patetque ex illo Deuteronom. 23. v. 21. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Accedit ratio; quia alias, si votum sine determinatione temporis factum, non statim pro prima opportunitate obligaret, non posset designari tempus, quo obligare incipiat; consequenter nunquam obligaret. Et haec obligatio de voto maxime procedit in illo, quo quis pro toto vitae tempore ad aliquid se obligat. Hinc cum etiam Sponsus promittat toto vitae tempore conjugaliter vivere cum Sponsa, et vice versa haec cum illo, tenebitur pro prima opportunitate promissum adimplere. 144

Objicies cum Sanchez *loc. cit.* et sequacibus. In omni debito, cujus solutioni dies praefixa non est, debitor prius non tenetur solvere, quam fuerit requisitus a creditore *l. Debitores praesentes. C. de Pignor.* ergo; si nullum tempus Sponsalia adimplendi determinatum est, ea adimplere tamdiu non tenebitur una pars, donec ab altera requiratur. Nec valet paritas de voto assumpta, quia Deus per Legem suam illico, ac votum sine certo tempore emissum est, executionem exigit: quod cum non fiat in casu Sponsalium, paritas non currit. Resp. negando *Ant.* quia *cit. l. Debitores.* ex qua antecedens probare vult Sanchez, non de quovis debito, aut debitore, ut minus recte supponit Sanchez, sed solummodo de illis debitoribus, qui securitate debiti suis creditoribus pignora aut hypothecam dederunt, loquitur, et mandat, ut, si creditor talia pignora distrahere vult, prius denuntiet debitori, consequenter pro interno Sanchez nihil probat. Quod autem dicta Lex praecise de praefatis debitoribus loquatur, patet non tantum ex *Rubrica Tituli*, qui est de *Pignoribus et Hypothecis*, sed etiam ex ipso textu Legis, quem integrum exhibeo, et sic sonat. *Debitores praesentes prius denuntiationibus conveniendi sunt Igitur si conventi debito non satisfecerint, persequenti tibi pignora, aut hypothecas, quas Instrumento specialiter comprehensas esse, dicis, competentibus actionibus Rector Provinciae, auctoritatis suae auxilium impertiri non dubitabit.* Ex hoc textu clare vides, quod Lex non de omnibus, sed illis solis debitoribus, qui pignora dederunt, loquatur, et praecise disponat, creditorem pignora debitoris persequi non posse, nisi prius debitorem, si praesens est, denuntiatione moneat: consequenter pro interno Sanchez nihil probat. 145

Ad negatam paritatem de voto respondetur, quod, sicut Deus per Legem suam, voti adimpletionem statim exigit, sic pariter Sponsalium adimpletionem statim exigunt Sponsi (nisi de contraria voluntate eorum constet,) per Legem continuo clamantem, ut *in omnibus obligationibus, in quibus* 146

dies non apponitur, praesenti die debeatur, L. 14. ff. de R. J.

147 Dices; Verum quidem esse, quod praefata Lex loquatur de debitoribus pignus extradentibus; nihilominus quia doctrina in principio Legis tradita (*Debitores praesentes prius denunciationibus conveniendi sunt*) universalis est, etiam de aliis quibuscunque debitoribus intelligenda venit. Resp. Hanc instantiam nimium, consequenter nihil probare: probaret enim, quod etiam in casu, quo Sponsalibus certum tempus praefixum est, ad nubendum nulla pars prius obligaretur, quam ab altera requisita fuerit; cum prima illa citatae Legis universaliter loquentia verba hunc casum non excipiant. Si dicis, de hujusmodi Sponsalibus extare clare Jura alia *n.* 141. citata, quod tempore determinato obligent: vicissim dico, etiam pro illis Sponsalibus, quae sine determinatione temporis celebrata sunt, extare clara Jura *n.* 143. citata, quod videlicet statim, ac pro prima opportunitate obligent. Hinc, ut Jura Juribus concordemus, juxta *c. Cum expediat.* 29. *de Election.* in 6. dicere debemus, quod doctrina illa in principio Legis *Debitores* posita, praecise intelligenda sit de debitoribus, qui dederunt pignus: praesertim cum dubius textuum sensus etiam ex Rubrica bene desumatur juxta dicta *in Prooem. n.* 104. et Jus minus clarum per magis clarum interpretationem accipiat.

148 Instabis: quando de determinatione temporis ad solvendum, pecunia mutuo, aut quid aliud precario datur, non statim ad iterum reddendum obligat: ergo idem dicendum erit de aliis obligationibus. Resp. concesso *Ant.* negando consequentiam et paritatem. Disparitas est, quod si Mutuatarius obligaretur statim iterum reddere mutuum, quando accepit, mutuum inutile foret: quod quia in aliis non reperitur, paritas cum mutuo non currit.

149 Urgebis: quando nulla ex spondentibus pars nuptias urget, vel exigit, censetur quaevis obligationem pro prima opportunitate remittere, ac in dilationem consentire: ergo quamdiu non fit requisitio, Matrimonium licite differri potest. Resp. Distinguendo *Ant.* censetur remittere, si tales adsunt circumstantiae aut signa, ex quibus prudenter colligi possit, partem alteram dilationi consentire, conceditur: Censetur semper ac universaliter remittere, ex hoc solo, quod Matrimonium non urgeat, negatur.

Concedimus ergo ipsimet, quod, si ex circumstantiis prudenter colligi possit, partem alteram dilationi libere consentire, prout revera persaepe colligitur, licite differri possit Matrimonium: negamus autem ex taciturnitate alterius talem consensum semper praesumi posse; consequenter, donec requisitio fiat, obligationem ad Matrimonium actu ineundum non currere. Cum tacente parte altera continuo clamet pro illo Lex universim dicens, quod *in omnibus obligationibus ubi dies non apponitur, praesenti die debeatur, l. Eum qui. ff. de V. O.*

150 Imo fatetur Sanchez ipsemet cum Sequacibus, quod, si una pars aut obliviscatur, aut ex reverentiali, vel alio timore non audeat urgere, aut petere, ut juxta Sponsalium obligationem Matrimonium pro prima opportunitate contrahatur, licet revera id desideret; prout persaepe in foeminis contingit; pars altera in conscientia tuta non sit, si Matrimonium pro prima opportunitate actu contrahere negligit: ex quo utique liquet Sponsalia sine determinatione diei celebrata, per se et ex natura sua obligare, ut pro prima opportunitate Matrimonium contrahatur, etsi ab una partium non requiratur; nisi ex circumstantiis prudenter colligere liceat, eam dilationi consentire, aut nisi justa causa differendi existat, prout habet Conclusio.

151 Caeterum placuit sententiam Sanchezii prolixius impugnare, et Conclusionem nostram, firmare, quia teste experientia ex dilatione Matrimonii ob Sponsalia praecedentia debiti, plurima praejudicia, plurimaque oriri solent peccata praesertim fornicationum inter Sponsos, quae plane augeri videntur per sententiam dicentem, eos, qui Sponsalia contraxerunt, tam diu non obligari ad actu ineundum Matrimonium, quamdiu una ab altera ob id non requiritur. Quod etiam considerans S. Congregatio apud Gallemart ad *Concil. Trident. Sess.* 24. *c.* 1. provide sic statuit: *Monendi sunt Sponsi, ut factis Sponsalibus quamprimum contrahant Matrimonium per verba de praesenti coram Parocho, et testibus, ne Sponsae stupri periculum subeant.*

152 Quaeritur II. An, et quomodo compelli possit ac debeat is, qui vigore Sponsalium, aut ratione deflorationis, vel fictae promissionis ad Matrimonium ineundum obligatus, illud contrahere renuit, aut inique differt? Resp. Talem omnino posse, ac debere competentibus Juris mediis ad Matrimonium compelli, nisi rationabilis causa obstiterit. Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. Disp.* 29. *n.* 4. Bosco in *Theolog. Sacram. p.* 5. *Disp.* 11. *sect.* 1. *n.* 32. Gutierrez *Can. qq. lib.* 1. *cap.* 18. *n.* 10. dicens, sententiam Conclusionis universali totius Orbis praxi esse probatam. Castro Palao *de Sponsal. Disp.* 1. *pun.* 8. Covarruvias *de Sponsal. p.* 1. *cap.* 4. *n.* 3. Abbas *in c.* 2. *h. t. n.* 4. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *cap.* 1. *n.* 3. *ut* 4. Pirhing *h. t. n.* 17. cum communissima, et hodie certa aliorum, ita ut contraria opinio penitus derelicta, et universali Tribunalium praxi adversa sit. Probatur ex c. 2. *de Adult. et stup.* ubi ille, qui ob stuprum ad ducendam stupratam obligatus renuit nubere, jubetur excommunicari, et sic indirecte cogi ad nubendum: et *c. Ex literis.* 10. *h. t.* ubi Pictaviensi Episcopo expresse mandat Papa, ut Sponsalia adimplere renuentem compellat: ibi: *Fraternitati tuae mandamus, quatenus si hoc tibi constiterit, eum moneas, et si non acquieverit monitis, Ecclesiastica Censura compellas, ut ipsum (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, ut maritali affectione pertractet.*

153 Nec obstat, quod *cit. c.* 10. *h. t.* loquatur tantum de Sponsalibus juratis: Tum quia ibi tantum narratur facti contingentia, non autem disponitur, quod ex solo juramento consurgat vis aut potestas compellendi ad Matrimonium. Sanchez *loc. cit. n.* 4. Tum quia subsequens ratio Conclusionis procedit de omnibus etiam non juratis Sponsalibus; videlicet, quod etiam Ecclesiasticus possit ac debeat quemvis compellere ad reddendum cuique id, quod ei ex justitia debetur; etsi juramento aliquo obligatio contracta aut firmata non sit, *per vulgaria* potestque, et debet non tantum juratum, sed etiam simpliciter promittentem, aut contrahentem debitis Juris mediis ad observandum compellere, maxime ad instantiam partis, *c.* 1. *de Pact.* ibi: *Aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus (si se non cohibuerit) Ecclesiasticam sentiat disciplinam. Universi dixerunt, pax servetur, pacta custodiatur.* et c. 3. *eod.* ubi Summarium sic habet: *Judex debet studiose agere, ut promissa adimpleantur.* Ubi, ut vides, Jura de quovis etiam non jurato pacto loquuntur.

154 Objicies I. *c. Requisivit.* 17. *h. t.* ubi consultus Papa, quid faciendum de persona renuente adimplere Sponsalia etiam jurata, respondit: *Quod, cum libera debeant esse Matrimonia, monenda est potius, quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.* Resp. In hoc textu vel ly *potius* sumi pro *prius*, ut sensus sit: renuentem

nubere, potius, id est *prius* monendam esse, quam cogendam; coactionem vero sequi primam debere, monitione nihil efficiente; uti explicat hic Glossa v. *Cum libera. arg. can. Non invenitur.* 41. *caus.* 23. *q.* 4. vel textum loqui de casu, quo rationabilis causa obstat, ut si ex compulsione prudenter timenda forent gravia scandala, gravesque ac perpetuae inimicitiae; prout communiter interpretantur Doctores, et patet ex *ratione* textui subjuncta, videlicet; *quia coactiones difficiles solent exitus frequenter habere.* Et hac duplici responsione optime concordantur Jura, salvaturque justa Tribunalium praxis.

155 Objicies II. In obligationibus Facti nemo compelli debet, cum sufficiat, quod debitor interesse praestet, *arg. l. Stipulationes* 72. §. *Celsus ff. de V. O.* ergo nullus ad Matrimonium, utpote Factum aliquod compelli potest, sed sufficiet, si loco illius interesse praestet illi, cui promisit aut alias debet Matrimonium. Resp. cum Bosco *loc. cit.* Legem in antecedenti citatam locum non habere in iis, quae aestimationem non suscipiunt, qualia sunt Matrimonia, utpote spirituale quid. Hinc etsi Sponsus v. g. dicat et offerat se, quod loco Matrimonii debiti solit eidem certam Summam pecuniariam, et etiam reliquum praestare interesse, non tenetur Sponsa accipere, sed instare apud Judicem potest, ut mediis competentibus renuentem cogat ad nubendum. Nam autem, et quando pro remissione obligationis Matrimonialis pars una ab altera praetendere, vel accipere possit pecuniam, aut aliud temporale, dicemus infra *num.* 167. *et seq.*

156 Resp. II. Modus, et media, quibus renuens contrahere Matrimonium, ad quod vigore Sponsalium, aut alia ratione tenetur, compellendus est, sunt sequentia: videlicet, ut Judex renuentem ante omnia debito modo moneat, et adhortetur, adjunctis etiam minis, quatenus obligationi suae satisfaciat: Dein vero, si monitione nihil efficit, adhibere debet carceres, aut alias poenas corporis afflictivas (si eas adhibendi occasionem habet) ac tandem, si nec his aliquid efficit, censura Excommunicationis compellere debet. *Primam* partem, quod prius monere debeat renuens, tenet omnes ob textum clarum *c. Ex litteris* 10 *h. t.* ibi: *Moneas, et si non acquieverit monitis etc. compellas,* concordat *can. Non invenitur* 41. *cau.* 23. *q.* 5. ubi pro ratione et modo praescribitur, ut monitio severitatem praecedat.

157 *Secunda* pars, videlicet, quod monitione aut minis nihil proficiens possit ac debeat adhibere carceres, aut alias poenas docet Fagnanus *in c. Pervenit. de Adult. a. n.* 10. Barbosa *in Concil. Trident. Sess.* 25. *cap.* 3. *de Reform. n.* 19. Mar. Ant. Geno. *in Pact. Eccles. q.*780.*n* 3.Castro Palao *de Sponsal. Disp. t. pun.* 8. *n.* 2. qui cum communi et hodie certa asserunt, Judicem Ecclesiasticum in causis tam civilibus quam criminalibus ad se pertinentibus, omnino posse carceribus et aliis poenis corporis Laicos compellere, quin et debere hoc facere, antequam ad Censuras Excommunicationis aut Interdicti contra eos in praefatis causis procedat.

158 Eo quod licet olim de Jure communi censure Excommunicationis fuerit remedium ordinarium, quo pro executione sententiae suae uti debeat Judex Ecclesiasticus, *arg. c. Dilect. de Sentent. Excom. in* 6. districtio vero personalis, ac brachium saeculare fuerit remedium extraordinarium, seu subsidiarium, utpote tunc solummodo adhiberi solitum, quando Censuris nihil efficiebatur, uti *loc. cit. n.* 31. bene observat Fagnanus citans S. Congregationis Decretum: tamen hodie post Concilium Tridentinum res inverso ordine se habet, ita ut Censure Excommunicationis sit remedium extraordinarium secundarium, ac quasi subsidiarium; executio vero realis, aut personalis sit remedium ordinarium, ac primarium; hoc ipso, quod hodie Judex Ecclesiasticus Censuras adhibere non queat, quando executio realis aut personalis fieri potest; prout totum clare patet ex praefato *Concil. Trident. Sess.* 25. *de Reform. cap.* 3. ibi: *Quamvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticae disciplinae, et ad continendos in Officio populos valde salutaris, sobrie tamen, magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere quam salutem. Quapropter etc In causis Judicialibus mandatur omnibus Judicibus Ecclesiasticis, cujuscunque dignitatis existant, ut quandocunque executio realis, vel personalis in qualibet parte judicii, propria auctoritate ab ipsis fieri potest, abstineant se tam in procedenda, quam definiendo a Censuris Ecclesiasticis, seu Interdicto: sed liceat eis, si expediri videbitur, in causis Civilibus ad Forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus contra quoscunque etiam Laicos per mulctas pecuniarias, quae locis piis ibi existentibus, eo ipso quod exactae fuerint, assignentur, seu per captionem pignorum, personarumque districtionem per suos proprios, aut alienos executores faciendum, sive etiam per privationem beneficiorum, aliaque Juris remedia procedere, et causas definire. Quod, si executio realis aut personalis adversus eos hac ratione fieri non poterit, atque erga Judicem contumacia: tunc etiam eos Anathematis mucrone, arbitrio suo, praeter alios poenas ferire poterit. In causis quoque criminalibus, ubi executio realis vel personalis, ut supra, fieri poterit, erit a Censuris abstinendum: Sed si dictae executioni facile locus esse possit, licebit Judici hoc spirituali gladio in delinquentes uti; si tamen delicti qualitas, praecedente bina saltem monitione etiam per Edictum, id postulet.*

Tertia tandem Conclusionis *num.* 156. positae 159
pars, videlicet, quod monitis et aliis mediis nihil proficientibus, renitentem etiam Censura Excommunicationis ad nubendum compellere possit ac debeat Judex Ecclesiasticus, est communis, et hodie controversia caret, utpote comprobata universali Tribunalium praxi; patetque clare tum ex *c. Ex litteris.* 10. *h. t.* ibi: *Si non acquieverit monitis, Ecclesiastica Censura compellas, ut ipsam in uxorem recipiat:* Tum ex *Concil. Trident. loc. cit.* §. *Quod si executio etc.*

Sed quaeres, quid Juris, si Judex ipsemet pro- 160
prium saeculare brachium, aut familiam, qua renitentem capere, carcerare, aut personaliter perstringere posset, non habet? *An* tunc ante Censuram teneatur implorare Judicis laici brachium, aut familiam? An vero hoc neglecto statim valeat Censuras adhibere? Ratio dubitandi, et negativam tenendi, videlicet, quod Censuras adhibere non possit, nisi prius brachium saeculare Judicis laici imploret, esse videtur: Tum quia juxta dicta supra *num.* 158. universaliter loquendo post Concilium Tridentinum *loc. cit.* Excommunicatio non amplius est medium ordinarium, sed extraordinarium: Tum quia id ipsum insinuare videtur Concilium *loc. cit.* ubi dicitur, quod Judex Ecclesiasticus ante Censuram personarum districtionem per proprios, vel NB. *alienos executores* facere debeat. Favet etiam ratio Concilii Tridentini *loc. cit.* ad initium statim posita.

Nihilominus respondetur, Judicem Ecclesiasti- 161
cum in casu, quo ipse manu, aut familia armatis caret, pro executione sententiae suae non teneri implorare brachium Judicis saecularis, quamvis,

si id ei expedire videbitur, facere possit. Patet responsio ex saepe allegato textu Concilii Tridentini *Sess.* 25. *de Reform. cap.* 3. ubi tunc tantum a Censuris abstinendum vult, quando executio realis aut personalis ab *ipsis* Judicibus Ecclesiasticis *propria auctoritate fieri poterit*; ergo a sensu contrario si ab *ipsis propria auctoritate fieri non poterit*, abstinere non tenentur. Dein, quando praescribit districtionem personarum ante adhibitas Censuras per proprios, aut *alienos* executores faciendam, non dicit, quod ea a Judicibus Ecclesiasticis *necessario* fieri debeat, sed tantum *quod liceat eis, si expedire videbitur*; consequenter non tenentur: cum nemo teneatur uti privilegio sibi ad libitum concesso, praesertim si expedire non videtur, prout saepe contingit; cum ex eo, quod Judices Ecclesiastici invocent brachium Judicum laicorum, hi non raro praesumant petere revisionem Actorum, aut cavillare ejus sententiam, vel partes ad inobedientiam, et contumaciam excitare etc. Qui tamen Judices ad exhibendum brachium statim, ac invocantur, tenentur, et nolentes exhibere a judice Ecclesiastico spiritualibus poenis cogi possunt: Covarruvias *Pract. qq. q.* 10. *n.* 1. *arg.* c. 2. *de Maledicis*, et ibi Glossa v. *Contra* cum. juncto can. *Administratores* caa. 23. *q* 5.

162 Porro illud etiam observandum cum Barbósa *de Offic. et potest. Episc. Allegat.* 96. *n.* 39. et in Concil. Trident. *ubi supra n.* 157. Gutierrez. Marc. Ant. Genu. et aliis, quod, si Episcopus neglectis aliis mediis etiam ad manum habitis illico Censuras pro executione sententiae contra renuentem Reum adhibeat, illicite quidem, tamen valide agat, Censuraeque sic inflictae valeant, et vim suam habeant; uti cum aliis docet Barbosa *de Offic et potest. Episc. Alleg.* 96. *n.* 39. et in Concil. Trid *Sess.* 25. *de Reform cap.* 3. *n.* 21. ubi plures alios citat. Ratio est; quia Concilium *loc. cit.* non annullat Censuram latam contra modum ibidem praescriptum; sed tantum injustam, ac illicitam declarat: Nam universaliter textus praescribens modum in quavis executione facienda, hanc admittit interpretationem, quod executio aliter facta non subjaceat nullitati, *arg. l. A. D. Pio. §. In Vendicatione. ff. de Re judic.* et ibi Bartolus *n.* 8.

163 Quaeritur III. Quid Juris, si adhibitis omnibus mediis, etiam Censuris, Reus nihilominus renuat nubere? Resp. I. Talem finaliter non posse cogi ad nubendum? sed debere dimitti et absolvi; praesertim si advertatur magna animorum aversio, ita ut ex futuro Matrimonio timendae forent perpetuae inimicitiae, jurgia, scandala etc. Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 29. *n.* 4. *et* 8. Glossa *fin.* in c. 2. *de Adult.* Covarruvias *de Sponsal. p.* 1. *cap.* 4. *n.* 3. *et seqq.* Joan. Andreas in c. *Ex litteris.* 10. *h. t. n.* 12. et ibi Anchoranus *n.* 5. Gutierrez *de Juram. p.* 1. *cap.* 51. *n.* 4. cum communi aliorum, *arg.* c. *Requisivit* 17. *h. t* ibi: *Cum libera debeant esse Matrimonia, monenda est potius, quam cogenda: cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere*; quod intellige de finali et nimia coactione, juxta dicta supra et c. *Ex litteris* 10. *h. t.* ubi Censuris compelli jubetur renuens nubere, *nisi rationabilis causa obstiterit*: atqui revera videtur obstare ratio, si Judex ex circumstantiis prudenter colligere potest, praefatam animi aversionem: ergo: praesertim cum expediat, ut Ecclesia ad evitandum majus, admittat minus malum; majus autem videtur malum, oriri perpetuas inimicitias, ac jurgia, quam frangere Sponsalia. Accedit, quod Judex a coactione nimia et finali desistens prosit ipsi etiam Actori, utpote cui, quod damnum grave ex Matrimonio petito secuturum avertit, sicut prodest et favet denegans gladium petenti ad se occidendum, Sanchez *loc. cit.*

Imo ob dicta Jura et rationes Sanchez *loc. cit. n.* 4. *et* 7. plures alios citans, Covarruv. de Sponsal. *p.* 1. *cap.* 4. §. 1. *n.* 5. et alii volunt Judicem omnino abstinere posse a Censura, si prudenter praevidet, quod illa nihil efficiat, uti praevidere potest, si animi aversio nimia dignoscitur. 164

Porro. Non est absolute necesse, ut juridice 165
constet Judici de scandalo, aut alterius gravi mali periculo eventuro ex futuro Matrimonii contractu, sed sufficit, si Judex ex circumstantiis prudenter arbitretur, scandala, aut continuas inimicitias esse timendas. Sanchez *loc. cit. n.* 6. *arg.* c. *Requisivit h. t.* ibi: *monenda est potius quam cogenda*, et c. 2. eod.

Objicies contra Conclusionem, textum Concilii 166
Tridentini *Sess.* 25. *de Reform. cap.* 3. ubi ad finem de Excommunicatis sic habet: *Excommunicatos quicunque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacramenta, et communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur, sed si obdurato animo Censuris innexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tanquam de haeresi suspectum procedi possit*; ergo idem dicendum de illo, qui jam excommunicatus, ut nubat, nubere renuit, et in Excommunicatione insordescit. Resp. Hunc textum in causa Matrimonii, utpote in quo libertas de essentia est, *arg.* c. 17. *h. t.* cum concordantiis, non procedere; cum Jura ipsa velint, neminem finaliter esse cogendum ad Matrimonium, esseque abstinendum a Censuris, si rationabilis causa obstiterit per Jura supra *num.* 163. citata. Quibus accedit universalis Ecclesiae praxis et consuetudo, optima Legum interpres, *L.* 37. *ff. de Legib.* quae habet, ut dicta Concilii dispositio contra insordescentem in Excommunicatione, ob non contractum Matrimonium lata, minime observetur: quamvis observari possit ac debeat, si in causa Matrimoniali Reus excommunicatur ex eo, quod renuat seductae dare dotem, aut compensare damnum eidem per deflorationem injuste illatum; quia ad hoc finaliter cogi potest ac debet; cum ad hujus executionem libertas essentialiter non requiratur, uti ad Matrimonium. Et ex hoc discrimen inter coactionem ad Matrimonium, et coactionem ad dotandum, aut restituendum est bene notandum.

Quaeritur IV. An ex eo praecise, quod quis 167
obligationem nubendi, qua alter eidem ob Sponsalia obstrictus est, remittat, praetendere, aut pacisci possit compensationem pecuniariam, dicendo v. g. si mihi das centum aureos, remittam tibi obligationem mihi nubendi, quam per Sponsalia mecum inita, contraxisti, secus te non dimitto? Item an Judex ex eo praecise, quod quis nubere renuat, ad compensationem pecuniariam adigere renuentem valeat? Resp. Certum est, quod, si ex remissione talis obligationis pars remittens patiatur aliquod damnum v. g quia aeque commodas nuptias acquirere amplius non potest; vel quia jam multas fecit expensas, possit petere compensationem pecuniariam ab altera parte, causam resiliendi justam non habente, possitque, ac debeat Judex tali absque legitima causa nubere renuenti dictam compensationem imponere, Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 30. *n.* 14 Barbosa in c. *Gemmam h. t n.* 9. *et* 10. *casu* 4. *n.* 181. et alii. Videtur carere controversia: Imo tenetur talis ante omnem Judicis sententiam damnum injuste illatum resarcire: cum quivis injuste damnificans ad hoc teneatur, *arg. saepe cit. l. un. C. de sent. quae pro eo. et c. fin de injur. et dam.* Ratio patet: quia cum contrahens Sponsalia ex justitia teneatur servare fidem, et sine causa legitima eam non servans alteri faciat injuriam; ac insuper, uti

supponitur, injuste inferat damnum; utique pro hoc parti innocens satisfactionem praetendere poterit, et Judex, ut praestetur, mandare debebit, si Matrimonium, ad quod finaliter cogi *non* potest, sine legitima causa remittat; siquidem Judex ex officio tenetur compellere ad reddendum cuique quod suum est, et ex justitia debitum. Imo tenetur talis ante omnem Judicis sententiam damnum injuste illatum resarcire, cum quivis injuste damnificans ad hoc teneatur, per Jura primum citata.

168 Infertur, quod, quia ex dissolutione Sponsalium alteri parti praesertim Sponsae ordinarie aliquod consurgit praejudicium et damnum, utpote quae ex eo, quod jam aliquando fuerit alteri desponsata, non amplius ita aestimatur, sed jam aliqualiter vilipenditur, et suspicionibus subjacet, indeque nuptias aeque honestas ac commodas acquirere amplius nequeat, ordinarie pro remissione obligationis dictae, compensationem pecuniariam praetendere, ac pacisci, Judexque concedere possit: Imo sine causa resilientem ad eam compellere debeat; quamvis si pars innocens nimium praetenderet, moderari, ac arbitrio sub justam debitam quantitatem taxare posset, et deberet, nisi pars resiliens praetensioni etiam immodicae libere consentiret, *scienti enim et consentienti non fit injuria neque dolus* c. *scienti. de R. J. in* 6.

169 Resp. II. Etiamsi ex dissolutione Sponsalium pars innocens nullum patiatur damnum, potest nihilominus ab altera parte, quae sine legitima causa ab obligationis vinculo liberari vult, aut nubere renuit, satisfactionem praetendere, ac pacisci; potestque eam Judex non tantum concedere, sed etiam debet ad eam compellere Reum, *si nullam* aliam legitimam habet resiliendi causam, quam quia nubere huic, cui promisit, *non* vult, eamque aversatur. Hanc conclusionem docet Gobath *tr.* 10. *cas.* 4. *a n.* 177. eamque praxi plurium Dioecesium firmatam dicit; idem amplius *cas.* 6. *ibid. docet*: et ex consequenti idem tenent etiam omnes alii qui docent, quod Sponsalibus adjici possit poena solvenda ab eo, qui absque legitima causa a Sponsalibus resilit, probarique potest iisdem fundamentis, de quibus vide §. *seq. a n.* 188. si enim ante Sponsalia potest apponi poena, ne quis injuste resiliat, etiam potest post illam apponi, et dici: non te dimittam sine justa causa, nisi pendas mihi tot pecunias.

170 Confirmatur: potest pars innocens ex dissolutione Sponsalium nullum damnum patiens petere, ut absque legitima causa injuste resiliens, aut resilire volens corporaliter puniatur, imo etiam excommunicetur, debetque Judex ita petenti deferre, imo ipsa instantiam *non* faciente dictas poenas ex officio infligere per dicta supra *num.* 161. *arg.* c. *Ex litteris in h. t.* et *Concil. Trident. Sess.* 25. *de Reform. cap.* 3. ergo etiam poterit poenam pecuniariam pro sua satisfactione praetendere. Nam cui *licet, quod est plus, licet utique, quod est minus*, *l. Cui.* 53. *de R. J.* in 6. poena autem pecuniaria levior est quavis poena corporali, *l. In servorum.* §. *fin. ff. de Poenis.* consequenter potest etiam, quin et debet Judex ita petenti deferre, et nolentem adigere, ut injuste resiliens satisfactionem pecuniariam praestet parti innocenti; praesertim cum alias de Jure Judex *in* poenis infligendis semper, quantum fieri potest, debeat incipere a poena minori. *arg c. Veritatis*, juncta Glossa verb. *Excommunicationis. de Dolo et contum.* et *c. Quoniam, In aliis. ut lite contestata*, ac *l. Relegati. ff. de Poenis.* dictumque est amplius *Lib.* 2. *Tit.* 14. *de Dolo et contum.* §. 5. *n.* 128.

171 Confirmatur II. Potest juxta omnes pars innocens injuste resilientem accusare, item potest petere, ut carceretur, excommunicetur etc. ergo, ne hoc faciat, potest exigere pecunias; cum juxta communem DD. teste Gobath. *loc. cit. n.* 180. pro Jure accusandi liceat pacisci de Summa pecuniaria.

Confirmatur III. Qui absque legitima causa a Sponsalibus resilit, et nubere *renuit*, injuste agit, gravemque pretio aestimabilem infert injuriam parti innocenti, uti cum communissima aliorum bene docet Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 27. *n.* 2. eo quod omnis contractus, qualis etiam sunt Sponsalia, ex justitia obliget, per vulgaria: ergo pro satisfactione hujus injuriae competentem exigere potest, et Judex ad instantiam mandare debet satisfactionem etiam pecuniariam, cum universaliter injuriae illatae etiam satisfactione pecuniaria redimi, ac puniri possint ac soleant, ut patet *in* aliis contractibus, uti notat Sanchez ubi supra *n.* 14. 172

Confirmatur IV. praxi Tribunalium, qua constat, quod ab injuste resiliente petatur, et acquiratur compensatio pecuniaria, etsi de damno non doceatur. Gobath tres enumerat Dioeceses hanc praxin habentes. 173

Objicies. Matrimonium est quid spirituale, et aestimationem non recipit: ergo pro dimissione illius ab altero promissi exigi aut accipi nil potest. Resp. Concesso *Ant.* negando *conseq.* et suppositum; quia in tali casu pars innocens non petit aliquid principaliter pro Matrimonio dimittendo, sed vel pro damno emergente, vel (si hoc abest) pro injuria sibi illata aut inferenda, vel pro remissione Juris Reum accusandi, eumque poenis subjiciendi; quae cuncta aestimationem accipiunt. 174

Dices. Matrimonia debent esse libera, *arg.* c. *Gemmam. h. t.* atqui talia non essent, si nubere renuens sub poena pecuniaria ad illud adigi posset; cum talis timore poenae Matrimonium coactus iniret: ergo. Ad hanc Instantiam patebit § *seq. n.* 191. et 194.

Interim notandum, quod, si nullum ex dissolutione Sponsalium sequatur damnum parti innocenti, satisfactio pecuniaria pro sola injuria ob injustam Sponsalium fractionem illata, debeat esse moderata, et non excessiva; consequenter non arbitrio petentis, sed Judicis pro diversitate personarum, ac circumstantiarum prudenter taxanda; nisi forsan pars resiliens libere consentiat plus aequo petenti parti innocenti; quia cum quivis rerum suarum moderator et arbiter existat. *l. In re mandata. C. Mandati.* utique plusquam debet, libere dare potest, et forsan idem facit, ut cito liberetur a vinculo et vexa, aut ut alteri, cui vult, cito nubere valeat. Nec exinde ulla irrogatur ei injuria; cum *Scienti et consentienti non fiat injuria neque dolus*, c. *Scienti.* 27. *de R. J. in* 6. 175

§. VI.

De Arrhis, Poenis, et conditionibus Contractui Sponsalitio appositis.

SUMMARIUM.

176 *Arrha quid? quomodo differat a Poena?*
177 *Arrha licite apponitur Sponsalibus.*
178 *Et quidem in quavis quantitate et specie?*
179 *Injuste resiliens perdit Arrham, nubens vero illam iterum acquirit.*
180 *Nisi aliud habeat consuetudo.*
Arrha esse non praesumitur, nisi exprimatur. Ibid.
181 *Accipiens Arrham in duplo restituere debet, si injuste resilit.*

182 *Nisi sit minor aetate.*
183 *Possunt convenire partes, ut in quadruplo restituatur.*
184 *Utraque pars dare, et accipere potest Arrham.*
185 *Justa ex causa resiliens non in duplo, sed in simplo restituere tenetur Arrham.*
186 *Imo nec in simplo, si pars altera culpabiliter ponat causam, quod Matrimonium non sequatur.*
187 *Secundum aliquos non liceat apponere poenam sponsalibus.*
188 *Probabilius est contrarium.*
189 *Quia non est contra Jus naturale.*
190 *Nec contra humanum.*
191 *Nec contra rationem Legis.*
192 *Probatur ex Jure Civili.*
193 *Non est contra Jus Canonicum. Et num. seq.*
195 *Probatur ulterius, et solvitur instantia. Et nu. seqq.*
197 *Probatur a paritate Arrhae.*
198 *Probatur ulterius ex utroque Jure.*
199 *Solvuntur objectione. Et num. seq.*
201 *De conditionatis Sponsalibus, si Papa dispensaverit. Remissive.*

176 Quaeritur I. An, et quomodo in contractu Sponsalitio possit tradi Arrha, et ad quem pertineat Matrimonio secuto, vel non? Ante Responsionem notandum *Arrham* ad propositum esse id, quod traditur Sponso, vel Sponsae in argumentum seu signum, atque firmationem Sponsalium contractorum Bosco statim infra cum aliis. Est autem inter *Arrham et poenam* haec differentia, quod *Arrha* sit aliquid traditum, amittendum, vel restituendum ab eo, qui injuste resilit. *Poena* vero sit aliquid in futurum primum solvendum ab injuste resiliente, ut cum Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. Disp.* 35. *n.* 4. et aliis bene observat Bosco *in Theolog. Sacram. Disp.* 11. *sect.* 1. *Concl.* 11. *n.* 1 9. *H. N.*

177 Resp. I. Licite et valide in contractu Sponsalitio tradi, et accipi possunt Arrhae Sanchez *loc. cit. n.* 2. ubi dicit, convenire in hoc Doctores. Bosco *loc. cit. Concl.* 10. Pirhing *h. t. n.* 25. Castro Palao *de Sponsal. Disp.* 1. *punc.* 12. § 1. *n.* 4. Alciat. Bartol. cum communi et certa aliorum, ob clara Jura *l. Arrhis.* 3. *et l. Mulier.* 5. *C. de Sponsalibus*, ubi ad longum disseritur de *Arrhis*, simulque disponitur, quando et quomodo sint restituendae.

178 Resp. II. *Arrhae* tradi possunt in quavis quantitate, ac specie, v. g. etiam fundus, domus etc. arrhae loco tradi potest. Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 35 *n.* 9. et 12. Bosco *loc. cit. n.* 318. Hostiensis *in Summa de Sponsal.* § 1. *n.* 1. Covarruvias *de Matrim. p.* 2. *cap.* 3 § 7. *n.* 11. Castro Palao *loc. cit. n.* 6. et alii sat communiter contra Joan. Andream *in c. Gemma.* 19. *h. t. n.* 19. et ibidem *Abbatem n.* 8. ac alios volentes quod, si Arrhae tanta sit quantitas, ut considerata qualitate personarum timor eam amittendi adigat ad Matrimonium, ea non licite, nec valide apponi valeat. Probatur autem Conclusio nostra ex eo, quod Leges *num. prae cit.* allegatae traditionem Arrhae concedentes, universaliter ac indistincte loquuntur, uti legenti patet, consequenter indistincte ac universaliter intelligi debeant, *arg. l. De pret. o. ff. de Public. in rem act.* Confirmatur, juxta Leges *n.* 177. allegatas potest convenire, ut resiliens a Sponsalibus Arrham in triplo, vel quadruplo restituat; quin laedatur necessaria libertas Matrimonii: ergo etiam ab initio tanta quantitas Arrhae tradi potest. Eadem Conclusio magis adhuc firmabitur ex conclusione *n.* 188. ponenda, ubi dicemus, etiam Poenas apponi posse Sponsalibus solvendas ab *injuste* resiliente.

Resp. III. Arrham, quam in contractu Sponsalitio quis tradit, ipso facto perdit, si injuste a Sponsalibus resilit; Matrimonio autem secuto denuo acquirit, Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 36. *n.* 2. Covarruvias *de Matrim. p.* 2. *cap.* 3. §. 7. *n.* 13. Sylvester v. *Sponsalia. q.* 9. *arg. cit. L.* 3. *et L.* 6. *C. de Sponsal.* Ratio est; quia Arrha traditur in signum, et quasi pignus futuri Matrimonii, sicut traditur in contractu venditionis; ergo, sicut si quis a contractu venditionis sine legitima causa resilit, Arrham perdit, *pr. Instit. de Empt. vendit.* et econtra illam contractu adimpleto iterum acquirit, pariter de Arrha in signum Matrimonii tradita dicendum erit. 179

Observat tamen bene Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *cap.* 1. *n.* 8. consuetudine receptum esse in pluribus locis, praesertim Germaniae, quod etiam secuto Matrimonio Arrha aliquando tradita non amplius restituatur, sed maneat recipienti, sicut jocalia, et alia ex Sponsalitia largitate invicem donata, quae caeteroquin ab Arrhis in hoc distinguuntur, quod non dentur in signum aut pignus futuri Matrimonii, sed in signum affectus vel amoris: imo quando quid datur, et non exprimitur, quod detur in signum seu pignus Matrimonii (*auf die Ehe*,) censetur ex Sponsalitia largitate datum, ut bene advertit Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 35. *n.* 1. et sequitur Bosco *loc. cit. n.* 122. *ac alii* 180

Resp. IV. Quando unus solus tradit Arrham, et recipiens illam injuste resilit a Sponsalibus, in duplum restituere debet, id est, Arrham quam accepit, et insuper tantundem de Patrimonio suo, Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 36. *n.* 7. Pirhing *h. t. n.* 25. Abbas *in c. Gemma h. t. n.* 8. Layman *loc. cit.* et communis aliorum, *arg. L. Mulier.* 5. *C. de Sponsal.* ubi Summarium sic habet: *Qui contraxit Sponsalia, et ea non vult exequi: si est aetatis legitimae, Arrhas, quas accepit, restituet duplicatas.* Concordat textus statim adducendus. 181

Dicitur autem notanter in Conclusione: *Nisi sit Minor*; quia limitationem hanc citata Lex ipsamet apponit, tam in Summario, quam textu: in Summario illis verbis: *Si minor, solum, quas accepit.* in textu Legis vero illis verbis: *Mulier Juris sui constituta, Arrharum Sponsalium nomine usque ad duplum teneatur, id est, quod accepit, et aliud tantundem, nec amplius, si post completum vigesimum quintum annum, vel post impetratam veniam aetatis hujusmodi Arrhas accepit. In simplum autem, id est, tantummodo in id, quod accepit, si minoris aetatis est.* Et haec de Jure, ac seclusa speciali conventione. 182

Nam possunt convenire inter se Sponsi, quod Arrhae etiam in majori quantitate, v. g. in triplo, vel quadruplo restituantur, uti aperte habetur citata *L. Mulier.* ibi: *Nisi specialiter ex communi consensu inter contrahentes de quadrupli ratione placuerit.* 183

Resp. V. Si uterque contrahentium Arrhas dedit, ac recepit (prout bene fieri posse docet Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 35. *n.* 13. Bosco *loc. cit. n.* 321. et alii; cum leges absolute loquantur) tunc injuste resiliens perdit, quas dedit, et debet restituere, quas accepit. Sanchez *loc. cit. Disp.* 36. *n.* 9. Bosco *loc. cit.* Pirhing *h. t. n.* 25. et alii, *arg. cit. L. Mulier* 5. *C. de Sponsal.* ubi universaliter dupli restitutio imponitur accipienti Arrhas, si injuste resilit: quae restitutio observatur, si modo in Conclusione posita fit. Limita Conclusionem in Minore, uti *n.* 181. 184

Resp. VI. Quae dicta sunt de amissione Arrhae ac restitutione in duplum intelligi debent, si injuste quis resilit a Sponsalibus: siquidem quando ex justa ac legitima causa id facit, Arrham, quam dedit, non perdit, nec receptam in duplum restituere tenetur, sed satisfacit, si, quod accepit, resti- 185

tant. Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 36. *n.* 4. dicens, ita docere universos, Layman *loc. cit. n* 8. Engel *h. t. n.* 7. cum communi, *arg. l. Arrhis* 3. *C. de Sponsal.* Ratio est; quia cum amissio Arrhae traditae, et in duplo restitutio acceptae constituta habeatur in poenam: poena autem esse non possit, ubi non est culpa *l. Sancimus.* 22. *C. de Poenis*, palam est, eum, qui legitima ex causa, adeoque absque culpa resilit, praefatam poenam non incurrere, consequenter nec Arrham traditam amittere, nec receptam in duplo restituere debere, sed satisfacere, si, quod recepit, restituit.

186 Imo si pars Arrham tradens, culpabiliter ponat causam, quod Matrimonium non sequatur, aut recipiens Arrham juste resilire possit, v. g. quia est in culpabili mora Matrimonium contrahendi, et interea alteruter Sponsorum moritur; vel quia Sponsa fornicatur, aut alias injuste ponit impedimentum Matrimonii, acceptam Arrham etiam in simplo restituere non tenetur, sed retinere potest tam cum recipiens, quam haeredes ejus Sanchez *lib* 1. *Disp.* 36. *a. n.* 4. Sylvester v. *Sponsalia q.* 9 *dicto* 4 et Glossa *in l. Arrhis, in l. Mulier, d. Sponsal. arg. cit. l. Arrhis. C. de Sponsalibus*: ubi postquam statuit Legislator, ut Arrhae, Sponsaliorum nomine datae, si interea Sponsus, vel Sponsa decesserit, restituantur, statim addit: *nisi causam, ut nuptiae non celebrarentur, defuncta persona jam praebuit.* Ratio est, quia, cum talis persona sit in culpa, quod Matrimonium non sequatur, merito sentit poenam, amissionem nempe Arrhae: sancitur enim, *ibi esse poenam, ubi et noxa est, cit. l. Sancimus C. de Poenis.*

187 Quaeritur II. An Sponsalibus etiam apponi possit *Poena Conventionalis* solvenda ab eo, qui ab illis resilit: v. g. an Sponsi tali, aut simili modo convenire possit? *Quicunque inter nos a Sponsalibus resilit, teneatur alteri in poenam solvere* 100. *florenos.* Ratio dubitandi, ac negativam tenendi est, quod utrumque Jus talem appositionem poenae prohibere, ac irritare videatur, addita causa: quia *libertas debet esse in contrahendo Matrimonio*, quae libertas laederetur per poenae appositionem, dum multi timore solvendae poenae appositae Matrimonium inirent, quod absque poena neutiquam contraherent. Videamus textum utriusque Juris: nam Jure Civili *l. Mulier.* 5 *C. de Sponsal.* expresse ita statuitur: *Extra definitionem Legis hujus, si cautio poenam stipulationis continens fuerit interposita, ex utraque parte nullas vires habebit, cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat*: cui concordat *l. Titia* 134. *ff. V. O. ubi contra bonos mores et inhonestum esse dicitur, vinculo poenae Matrimonia adstringi sive futura, sive jam contracta* Jure Canonico idem videtur statutum *c. Gemma* 29 *h. t.* ubi contra appositionem poenae in Sponsalibus factam ita definit Papa: *Cum itaque libera Matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio propter poenae appositionem sit merito improbanda, mandamus, quatenus si est ita, eundem, ut ab extorsione poenae desistat, Ecclesiastica censura compellas* Propter haec itaque Jura et rationes eorum ad Quaestionem negative respondet Sanchez, et addit (sed male) ita docere Omnes, docet tamen idem communissima Doctorum, ut Abbas *in c. Gemma* 29. *h. t.* et ibi Barbosa *n.* 1. Joan. Andreas *n.* 9. Covarr. *de Sponsal. p.* 2. *cap.* 3. §. 7. *n.* 7. Sanchez *de Matrim. lib.* 1. *Disp.* 30. *n.* 2. Gutierrez *de Matrim. cap.* 17. *per tot.* et ut dixi communissima aliorum: qui tamen fere concordi rationem differentiae, cur liceat apponere Arrham, et non poenam, istam assignant; quia, cum Arrhae illico et actu traduntur, maturiori Consilio traduntur: poenae vero, quia primum in futurum solvendae apponuntur, facilius et inconsiderate promittuntur solvendae; eo quod quilibet proclivior sit (ait ex Bart. Barb. *loc. cit. n.* 3.) ad verba ex ore, quam ad pecunias de crumena depromendas. Et hinc putant, laedi libertatem Matrimonii per appositionem poenae, non item Arrhae, verum his non obstantibus,

188 Resp. Itaque, licitum, et validum est, in Sponsalibus apponere poenam solvendam ab eo, qui ab eis injuste resilit. Ita docet Bosco in *Theolog. Sacram Disp.* 11 *de Matrim. sect.* 1. *Conclus* 11. ubi Conclusionem insigniter probat; eandem sententiam tanquam probabiliorem defendit Pontius *de matrim. lib.* 12. *cap* 19. *num.* 8. Eandem sequitur Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *cap.* 1. *num.* 8. Coninck *Disp.* 22. *dub.* 5. Engel *h. t.* Diana *p.* 3. *tr.* 4. *et resolut.* 211. eidem adhaerere videtur Suarez *Tom.* 2 *de Relig. lib.* 2 *de Juram. cap.* 23 *n.* 5. *in fine.* Vasquez *in Opusc. de Testam. cap.* 3. *n.* 28. Castro Palao *de Sponsal. Disp.* 1. *pun.* 9 *n.* 4. Gobath *Tr.* 10. *casu* 4 *n. n.* 172. Barbosa *in c. Gemma* 29. *h. t. n.* 8. *et* 9. Perez *de Matrim. Disp.* 7. *sect.* 1. *n.* 6. Godofr. *in l. Titia ff. de V. O. §. quia inhonestum*, et alii, ut proin male dicat Sanchez *loc. cit.* contrarium docere universos.

189 Probatur. Nec Jure naturali, nec positivo prohibitum est apponere poenam, nec quis resiliat a Sponsalibus: ergo. Non Jure naturali, uti fatentur omnes etiam Adversarii, clareque patet: tum quia ostendi non potest: tum quia ipsemet Deus injuste resilienti apponit poenam, et quidem aeternae damnationis, atque Ecclesia poenam pecuniariam, carceris, et excommunicationis infligit, qui utique contra Jus naturae non faciunt.

190 Neque Jure positivo: Et quidem non Jure Civili per Leges n. 187. citatas: quia illae Leges tantummodo loquuntur de tempore antiquo Romanorum, consequenter de appositione poenae, ne quis etiam juste resiliat: sciendum namque, quod tempore antiquo quivis pro libitu licite ac valide, adeoque juste potuerit resilire non tantum a Sponsalibus *L.* 1. *C. de Sponsalibus*, ibi: *Alii desponsata renunciare conditioni, et nubere alii non prohibentur*: sed etiam ipsum Matrimonium jam rite contractum dissolvere, dummodo resiliens vellet subire poenam a Lege resilientibus statutam, videlicet amittere Arrham, dotem, et donationem propter nuptias, prout ex Toto *Tit. ff. de Divortiis*, et *l. Neque* 14. *C. de Nuptiis.* ubi libertas non tantum contrahendi, sed etiam dissolvendi Matrimonium statuitur. Hinc ne ista a Jure concessa libertas a Sponsalibus, et Matrimonio pro libitu licite ac valide, sicque juste resiliendi per appositionem poenarum minueretur, prohibuerunt Jura n. 189. citata alias, quam Legibus positae sunt, opponere poenas, ne quis etiam juste resiliat: quibus concordat etiam *L.* 2. *C. De inutili stipulatione*, ibi. *Libera Matrimonia ab initio esse placuit: ideoque pacta, ne liceret divertere, non valere, et stipulationes, quibus poenae irrogarentur ei, qui, quaeve divortium fecisset, ratas non haberi constat* et *l. Si stipulatio* 19 *ff. de V. O.* ubi etiam ratio ulterior additur: *Qui contenti esse debemus poenis Legum comprehensis.* Quoniam vero ista libertas pro libitu, et sine legitima causa a Sponsalibus et Matrimonio resiliendi per Legem Evangelicam, et SS. Canones est sublata, ita ut sine legitima causa etiam a Sponsalibus licite ac juste resilire nullus possit, allegatae hactenus Leges Civiles pro moderno tempore non quadrant, aut plus non probant, quam quod non liceat apponere poenam, ne quis etiam juste, seu ex legitima causa per Canones approbata resiliat.

191 Confirmatur. Ratio Legis antiquae prohibentis alias quam Legis apponere poenas, fuit, ut conservetur plenissima libertas semper et pro libitu,

valide ac licite dissolvendi Sponsalia ac Matrimonium, prout patet legenti textum: atqui haec ratio Legis universim de facto cessat; cum dicta plenissima libertas de facto sit sublata, et translata in necessitatem moralem nubendi, nisi legitima causa caeneset; ergo cessat etiam Lex ipsa dictam appositionem poenae prohibens; quia ratione Legis universim cessante, cessat Lex ipsa, *arg. l. In omni. ff. de Adopt.* cum ratio Legis sit anima Legis, *l. Cum ratio. ff. de Portion.*

192 Confirmatur II. Ex recentiori dispositione Juris Civilis *Novell.* 18. *Leonis Imperatoris*, ubi expresse conceditur, licitumque et validum agnoscitur, apponere poenam, ne quis injuste a Sponsalibus resiliat: placet adducere totam *Novellam* ita sonantem: *In omnibus rebus, et dictis, quod praestantius sit seligi, reprehendendum non est. Atque tunc quidem, ut aliquid sequare aut declinandum censeas, non eorum, qui aliquid aut faciunt, aut dicunt, habenda ratio: sed eorum, quae fiunt ac dicantur, cognoscendus status est. Idcirco quod consuetudini placuit, ut in Sponsaliorum reprobationibus poenae imminerent iis, qui reprobare instituerent, id in legis auctoritatem collocamus Arbitror enim, id, quod consuetudini visum est, ea lege, quae de hujusmodi rebus lata est, nihil improbabilius esse, ac res ipsas referre in melius. Nam quum lex Arrhae perditione, aut in duplum restitutione solam temeritatem puniat, haec definitum pactoque constitutum in Sponsaliorum rescissione subire damnum vult. Ac sane, ne (ut fieri assolet) Sponsalia sursum deorsum ferantur, hoc mihi (quemadmodum dixi) majorem obtinere vim videtur. Solus enim Arrhae perditio, quae in eum, qui dedit, ne Sponsalibus non acquiescit; constituta est: ejusque in duplum restitutio, quam mulctam is, qui Arrham cepit, deindeque in pacto convento non persistit, sustinet, ob propter poenae levitatem ad pactorum rescissionem: qui id facere cogitan, facilius ferantur, facit. At ex pacto definitae poenae gravius damnum sibi obvenire videns inconstans ille tardior omnino ad divellenda Sponsalia fiet. Quod nunc nos etiam nuptialibus contractibus magis conducibile fore animadvertentes, quod ex consuetudine fieri solet, in legitimam constitutionem traducimus. Ex arrhae siquidem perditione faciles Sponsaliorum eversiones video: ex poenae persolutione non item Nam gravius dispendium (pacto enim constituta poena arrha major prorsus atque gravior est) vel invitum inhibens, animi inconstantiam acquiescere illis, quae antea de Sponsalibus placuerunt, compellet Sic igitur quod a consuetudine confirmatum est, quemadmodum hactenus, ita deinceps et obtineto, et causas dijudicato: tum etiam qui Sponsalia evertit, poenae ex actione feritor.*

193 Probatur, quod neque Jure Canonico sit prohibitum, quia, si in hoc Jure esset prohibitio, esset in *c. Gemma.* 29. *h. t.* atqui in hoc capitulo non prohibetur. quia ibi est sermo de Sponsalibus invalidis, utpote infra septennium celebratis, a quibus quia juste resilire quivis poterat, merito Papa improbavit poenam eis ad hoc appositam, ut illam solvere teneretur resiliens.

Nec dicas rationem ibidem appositam, videlicet, quia libera debent esse Matrimonia, militare universaliter; quia hoc statim *num. seq.* improbabimus.

194 Probatur: si ex Juris ratione desumeretur prohibitio appositionis poenae solvendae ab eo, qui injuste resilit, esset: quia per hanc laederetur libertas ad Matrimonium requisita, prout fatentur uno ore Adversarii, eo quod hanc rationem tam Leges Civiles, *L. 5. C. de Sponsal. et l. Titia ff. de V. O.* quam Jus, Canonicum *cit. c. Gemma.* 29. *h. t.* allegant; atqui ex hac ratione minime desumitur dicta prohibitio; quia contractis rite Sponsalibus in Lege Evangelica nulla pars libertatem amplius habet a Sponsalibus pro libitu resiliendi; cum, uti omnes etiam Adversarii concedunt, Sponsalia sub peccato mortali, adeoque sub poena aeterna obligent; consequenter Sponsis libertatem moralem Matrimonium contrahendi, vel recusandi adimant, eisque necessitatem moralem nubendi imponant: ergo.

195 Confirmatur: Deus et Ecclesia gravioribus poenis, quam sit illa pecuniaria a sponsis conventionaliter sibi mutuo imposita, cogunt et adigunt Sponsos ad Matrimonium ineundum, et tamen inde non tollitur, nec laeditur libertas ad illud requisita: ergo neque per poenam minorem, *arg. L.* 22. *ff. de Adult.* Probatur *Ant.*; Deus et Ecclesia sub poena aeterna ad id Sponsos obligant; Ecclesia insuper sub poena corporali carceris v. g. item sub poena Excommunicationis ad idem adigunt per dicta supra a *n.* 157. quaevis autem harum poenarum gravior est, quam praefata pecuniaria; cum utique poena aeterna major sit temporali, uti patet, et corporalis major pecuniaria, *arg. l. In servorum §. fin. ff. de Poenis.* Excommunicatio autem gravissima sit in Ecclesia poena.

196 Nec dicas. Plures homines plus timere amissionem pecuniariam, quam poenam aeternam, vel excommunicationem: consequenter plus laedi libertatem ad Matrimonium requisitam, per poenam illam, quam istam. Nam contra est, quod hoc prorsus per accidens, et imprudenter fiat, quod Jura non respiciunt, nec attendunt; uti bene advertit Bosco *de Matrim. Disp.* 11. *Concl.* 11. *n.* 338. Nam de Jure quivis magis praesumitur timere culpam saltem mortalem quam poenam. Covarruvias *de Matrim. p.* 2. *cap.* 3. §. 5. *n.* 4. dicens propterea eum, qui etiam gravi metu adactus juravit, gravem assumere obligationem, praesumi potius illam gravem obligationem subire voluisse, quam ficte jurare, et peccare.

197 Confirmatur ulterius. Juxta ipsos etiam Adversarios licitum est, Sponsalibus apponere Arrham in quavis gravi quantitate, v. g. 1000. aureorum, et convenire, ut in triplo vel quadruplo reddatur ab injuste resiliente, per dicta supra *n.* 178. *et seqq. arg l. Mulier.* 5. *C. de Sponsal.* atqui haec tripli vel quadrupli redditio ab injuste resiliente praestanda, est vera poena; prout etiam *L.* 5. *poena* vocatur: ergo licet apponere poenam, consequenter appositione poenae non tollitur requisita a Matrimonium libertas. Nec juvat dicere, poenam nomine Arrhae appositam, non tollere, aut minuere libertatem, bene vero poenam conventionalem simpliciter appositam: quia hoc ridiculum, et gratis dictum videtur, uti post Gonick bene notat Bosco *loc cit. n.* 339. cum non minus quis metuat illud triplum nomine Arrhae reddere, quam ratione poenae solvere.

198 Probatur tandem Conclusio positive ex Jure. Jus positive concedit apponere poenam Sponsalibus: ergo non prohibet. *Ant.* probatur ex recentissimo Jure *Novell* 18. *Leonis Imperatoris*, quam habes supra *n.* 192. Haec *Novella* tam clara est, ut revera videatur cessare ratio dubitandi de Jure Civili; imo etiam de Jure Canonico; cum ubi casus vel materia in Jure Canonico est obscura, *in* civili autem clara, uti in praesenti (cum citata Novella clarissimam contineat dispositionem, ex *c. Gemma* vero non nisi obscure disponatur de materia controversa) etiam in foro Canonico juxta Jus Civile causa decidatur: prout docuimus in *Prooemio.* §. 13. *n.* 225. *arg. c. de Novi operis nuntiat.* ibi: *Sicut Leges non dedignantur SS. Canones*

imitari; sie sacrorum statata Canonum Prinsipom Constitutionibus adjuvantur.

199 Dices cum Zoesio *h. t. n.* 82. Novellam Leonis aon obligare, imo oeque esse uso receptam ipso etiam tempore Leoois. Resp. cum Boseo *loc. eit. n.* 334. Zoesinm hoc dicere quidem, sed noa probare. Et certe quis *credat* illam Novellam nec tempore Leonis aan esse receptam: cum dietus Imperator in allegata Novella oon semel, sed tertio de eonsuetudine tunc jam *vigente*, cui cooformem edidit legem, meotionem faciat.

200 Objicies priocipaliter contra Conclasionem nu. 188. positam. Haec Conclusio est cootra communiasima sententiam Doctorum, justa dicta *n.* 187. ergo oon est amplecteoda, eom ia hujusmodi controversia materiis utique securius, imo prudeutius videatur, communissimam sequi Doctorum, quam tantum aliqoos. Resp. concesso *Ant.* negando *conseqq. arg. L.* 1. §. 6. *C. De vetere Jure enucleando*, ibi. *Sed neque ex multitadinem Auctorum, quod melias et aequias est, judicatote; cam possit unius forsan, et deterioris sententia, et multos et Majores ia oliqua parte superare.* Hinc juxte Menochiam *de Praesumpt. lib.* 2. *praesumpt.* 71. *n.* 39. oon dicitur communis opinio, quae plures Doctores pro se asserentes habet, nulla disputatione praemissa, sed perfunctorie (ut ajunt) per transeonam, illam sequentes. Quare optime etiam Navarrus *in Summa cap.* 27. *n.* 289. ait: commauniorem exiatimari opinionem approbatam a sex DD. ex professo rem tractantibus, quam a quiuquaginta sola priorum auctoritate ductis. Hinc quia nostra Conclusio a DD. n. 188. eitatis, praesertim a Boseo viro celeberrimo insigniter discussa est, *et* esaminata, eam de *communi* opinione Doctorum esse, *merito* dicere possumus, praesertim cum tantis Juris *et* rationis nitatur fundamentis, quod difficulter solveodae videantur.

Ad alia fuodameota Adversariorum *n.* 187. posita jam patet ex dictis: sicut etiam ad disparitatem inter *Arrham et Poenam* allegatam *num. citato.* Quibus accedit, quod juxta ipsos etiam adversarios liceat apponere Arrham ia quavis quaotitate longe majori, quam sit poene Cooventionalis; ergo si metus amittendi illam otpote majorem quantitatem non tollit libertatem requisitam, aeque tollet metus incurreodi istam quippe mioorem, *arg. l. ut. l.* 22. *ff. de Adult.* Item quod juxta Adversarios et clarum textum *l.* 5. *C. de Sponsal.* liceat Arrham sommae quantitatis ia poena quadruplici postea restitueodi apponere; ergo oibil facit differentia *n* 187. allegata, quod *Arrhae* statim tradantur, *Poenae* vero tantum promittaotur: eum quadrupli restitutio Arrhae etiam tantum promittatur.

201 Quaeritur III. Quid Juris de Sponsalibus conditionatis: praesertim si Papa dispeosaverit? Ad hoc quaesitum patebit iofra *Tit.* 5. *de Conditionibus appositis.*

§. VII.

De Causis dissolveodi Spoosalia. Io specie de mutuo Cooseosu, Recessu uoius, Abseotia, aut Dilatione aimia, Ingressu ia Religionem, Ordine, et Votis.

SUMMARIUM.

202 *Recensentur breviter causae dissolvendi Sponsalia.*
203 *Sponsalia puberum etiam jurata mutuo consensu dissolvi possunt.*
204 *Non item impuberum.*
205 *Non tantum valida, sed etiam licite solvuntur Sponsalia mutuo consensu.*
206 *Dummodo talis consensus sit liber a fraude, dolo, et metu gravi incusso.*
207 *Doctrina practica.*
208 *An requiratur auctoritas Judicis?*
209 *Discessus unius a Sponsalibus sive justus, sive injustus, praebet etiam alteri causam discedendi.*
210 *Quamvis, si alter injuste recedat, eum dimittere non teneatur.*
211 *Potest unus Sponsorum tacite vel expresse recedere.*
212 *Solvuntur etiam Sponsalia, si unus Sponsorum sine licentia alterius discedit.*
213 *Et diutius abest.*
214 *Etiamsi ex causa utili, vel necessaria absit.*
215 *Solvuntur instantiae ex Jure Civili.*
216 *Sponsalia possunt contrahi cum praefixione termini ad differendam,*
217 *Et ad extinguendam obligationem*
218 *Quando sponsalia fiant absque praefixo termino, quid Juris?*
219 *Si praefigitur terminus ad differendam obligationem, non solvuntur illo elapso.*
220 *Bene vero si ad extinguendam apponatur.*
221 *Solvitur instantia. Et num. seq.*
222 *Tempus non currit impedito*
223 *Per professionem Religiosam solvuntur Sponsalia.*
224 *Nisi fiat in fraudem ac injustum alterius detrimentum, quod aliter quam per Matrimonium reparari non potest.*
225 *Per solum ingressum ia Religionem, Professione non secuta, solvuntur Sponsalia ex parte manentis in saeculo.*
226 *Non item ex parte ingredientis. Et num. seq.*
228 *Per susceptionem Ordinum Majorum.*
229 *Non item Minorum dissolvantur Sponsalia.*
230 *Post Sponsalia contracta Sponsus licite non potest suscipere Ordines sacros. Et num. seq.*
232 *Solvitur instantia.*
233 *Votum ingrediendi Religionem post Sponsalia licite emittitur quidem, sed non illico solvit Sponsalia ex parte voventis,*
234 *Bene tamen ex parte alterius.*
235 *Emissum post Sponsalia votum suscipiendi Ordines sacros non solvit Sponsalia ex parte voventis, bene autem ex parte alterius.*
236 *Idem est de voto continentiae. Et num. seq.*
238 *Solvuntur objectiones. Et duobus num. seq.*
Promissum non frangit, qui in melius mutat: quomodo intelligendum. Ibid.
239 *Vinculis duobus concurrentibus fortius ligat.*
240 *Votum suscipiendi Ordines sacros, aut continentiae, quid efficiat ex parte promittentis.*
241 *Votum praecedens Sponsalia dissolvit illa.*

Quaeritur I. An Sponsalia rite contracta, justa de causa iterum dissolvi possint? Resp. Affirmative. Patet inductione: Solvuntur enim 1. mutuo consensu. 2. Recessu unius a Sponsalibus. 3. Per absentiam unius ex Sponsis. 4. Per dilationem nimiam. 5. Per ingressum in Religionem. 6. Per susceptionem Ordinis sacri. 7. Secundum aliquos etiam per votum ingrediendi Religionem. 8. Per Matrimonium. 9. Per Fornicationem unius. 10. Per supervenientem mutationem in bonis animi, Corporis, famae, aut fortunae. 11. Per Impedimentum superveniens. De septem primis in hoc, de reliquis *seq.* §. *agemus.* 202

Quaeritur II. An, et quomodo Sponsalia dissolvi possint consensu mutuo? Resp. I. Sponsalia etiam 203

juratu puberum valide solvi possunt mutuo consensu. Communis ac certa. Ratio est; quia omnis contractus ex natura sua solubilis (cujusmodi sunt etiam Sponsalia, *c. 2. h. t. cum concord.*) mutuo consensu factus, eodem iterum solvitur, *arg. c. 1. de R. J. in 6.* ibi: *Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Enim vero *Nihil tam naturale est, quam eo genere quidquam dissolvi, quo colligatum est. l. Nihil. 35. ff. de R. J.* cum Concordantiis. Nec obstat, quod juramento sint firmata, *arg. c. Praeterea. h. t.* et notat Summarium ac Glossa ibidem. Ratio est: Tum quia juramentum est tantum accessorium: *Accessorium autem naturam sequi convenit principalis. c. 42. de R. J. in 6.* Tum quia sortitur conditiones actus, cui apponitur, *c. quemadmodum, de Jurejur.* Sponsalibus autem, ut cuivis alteri promissioni tacite haec semper inest conditio, *nisi is, cui promittitur, remittat, aut mutuo consensu solutio fiat.*

204 Dicitur autem notanter in Conclusione *puberum*; quia Sponsalia impuberum, ante annos pubertatis mutuo consensu solvi minime possunt, textu expresso *c. De illis. 7. de Despon impub.* prout magis dicemus *Tit seq. de Desponsation. impub.*

205 Resp. II. Non tantum valide, sed etiam licite solvi possunt Sponsalia libero consensu mutuo, Bosco *de Matrim. Disp. 11. sect. 2. Concl. 1. n 5.* citans Communem, Sanchez *de Matrim. lib. 1. Disp. 52. n. 2.* et Canonistae communiter, *in c. 2. h. t.* per Jura *n.* 203. citata. Ratio est; quia nullo Jure prohibitum est, mutuo consensu dissolvere Sponsalia; consequenter licitum est: nam juxta commune axioma allegatum a Glossa *in c. Inter corporalia. ¶ Non in venitur de Translat. Episc. Concessum intelligitur; quod expresse non prohibetur, arg. can. Jam nunc. caus. 28. q. 1.* ut *c. 1. de Procurat. in 6*

Nec obstat *c. 2. h. t.* ubi Papa ait, *ne deterius contingat, tolerari posse*, quod mutuo consensu dissolvantur; quo dicendi modo satis indicat, id saltem licitum esse, *arg. c. Cum jam dudum. 18. de Praeb.* Praesertim, quia ibidem etiam vult, quod *prius commonendi sint, et omnibus modis inducendi, et praestitam fidem observent.* Resp. enim, Papam ibi ita locutum fuisse ad tollendam speciem mali, ac vitandum scandalum plebis arbitrantis, mutuo consensu resilientes Sponsos, fidem datam, et juramentum violare, prout ibidem observat Abbas, Innocentius, et alii communiter. Firmatur responsio ex hoc ipso *c. 2. h. t.* ubi Papa dicit, tolerari posse talem dissolutionem Sponsalium *ad instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, et postea eandem sibi remittunt*; atqui contractus societatis non tantum valide, sed etiam licite mutuo consensu solvi potest: ergo.

206 Resp. III. Ad hoc, ut Sponsalia mutuo consensu dissolvantur, debet consensus ex utraque parte esse liber a fraude, dolo, et metu gravi injuste incusso; secus dissolutio valida non erit. Castro Palao *de Sponsal. Disp. 1. punc. 17. n. 2.* Sanch. *loc. cit. n. 3.* Bosco *loc. cit. n. 7.* Sporer *in Theolog. Sacrament. p. 4. cap. 1. sect. 2. n.* 236. Pihing *h. t. n.* 41. cum Communi. Ratio est; quia remissio hujus, et cujusvis juris est quaedam species donationis, quae debet esse libera.

207 Infertur, illum minime tutum esse in conscientia, qui, ut a Sponsa remissionem obtineat, v. g. vel magnum terrorem incutit, dicendo: *nisi me dimittas, et si te ducere debebo, dire te tractabo; ut mancipium te habebo, nullum amorem, nec unquam serenum vultum exhibebo etc.* vel, si eam dolose, et fraudulenter decipit dicendo v. g. se hoc aut illo morbo, aut defectu laborare; se patrimonio privatum fuisse; se officium illud, ob quod illa spondebat, amplius acquirere non posse etc.

Resp. IV. Quamvis ad dissolvenda mutuo consensu Sponsalia de Jure non requiratur auctoritas Judicis (nullibi enim in Jure requiritur) nihilominus, ut cum aliis bene advertit Laymann *lib. 1. tr. 10. p. 1. cap. 2. n. 1. ad finem.* multarum Ecclesiarum consuetudo est, ut Sponsalia publice coram Parocho celebrata, non dissolvantur, nisi causa prius per Episcopum cognita, idque ne lites, et controversiae inter partes emergant; dum una pars objicere posset, se non libere sed fraude deceptam, aut metu injuste incusso adactam ad dissolutionem consensisse. Imo in variis Dioecesibus, ut Frisingensi expresse cautum habetur *in Rituali cap. IX. Membro I. §. 7. n.* 3. ut non tantum Sponsalia coram Parocho publice contracta, sed etiam contracta secreto quidem, sed postea evulgata, non nisi auctoritate publica per Officialem solvantur; de quo nisi authenticis litteris doceant Sponsi, ad nova sponsalia cum alio vel alia, contrahenda non admittantur. 208

Quaeritur II. An, et quando recessus, seu discessus unius a Sponsalibus praebeat alteri causam recedendi ab iisdem, ac eadem dissolvendi? Resp. Quando una pars a Sponsalibus sive juste, sive injuste recedit, etiam altera pars recedere potest. Tambur. *tr. 3. cap. 5. §. 1. n. 2.* Sporer *in Theolog. Sacram. p 4. cap. 1. sect. 2. n.* 257. cum communi. Ratio patet; quia si una pars juste recedit, jam hoc ipso solvit Sponsalia, et tribuit alteri parti potestatem pariter recedendi, vel potius ipso facto liberat eam ab onere et obligatione eidem nubendi: si vero injuste recedit, procedit illud vulgatum, *Frangenti fidem, fides frangatur eidem, arg l. qui fidem. 16. de Transact.* cum concord. quod procedit, etsi quis fidem suam juramento firmarit, Barbosa *de Axiomat. Jur. v. Fides. n. 10.* Tuschus *Litt. F. Concl. 337. n.* 3. per Jura supra *n.* 203. allegata. 209

Quod autem pars innocens discedere non teneatur, sed injuste resilientem tenere possit obligatum, ita ut hic teneatur eidem volenti adhuc nubere, tenent Doctores citati, cum Communi et certa. Ratio est: tum quia poenas suas Auctores tenere debent, *c. quaesivisti. De his, quae fiunt a major. part. cap.* Tum quia *Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest, l. Non fraudantur ff. de R. J.* 210

Caeterum potest quis explicite, et implicite, seu expresse, et tacite recedere a Sponsalibus. *Explicite* recedit, quando verbis expressis asserit, nolle se amplius huic nubere, aut fidem sponsalitiam servare. *Implicite* vero, quando ita se gerit, aut tale quid agit, quod ipso facto Sponsalia, aut Matrimonium recusare merito censeatur: utroque in casu potest relictus quoque, si vult, Sponsalia solvere, vel, si alter injuste recessit, eum obligatum tenere, juxta dicta. Porro implicite, tacite, aut interpretative quis recedit in plerisque casibus sequentibus, praesertim vero *per dilationem nimiam*, aut *profectionem in Regionem aliam*; de quibus statim infra. 211

Quaeritur III. An, et quando per absentiam Sponsi dissolvantur Sponsalia? Resp. I. Quando Sponsus absque licentia Sponsae in aliam terram animo non amplius redeundi se confert, solvuntur Sponsalia ex parte alterius. Bosco *in Theolog. Sacram. p. 5. Disp. 11. sect. 2. Concl. 9.* Sanchez *lib. 1. Disp. 54. n. 6.* Castro Palao *de Sponsal.* Barbosa, et Canonistae communiter *in c. De illis. h. t.* ibi: *De illis autem qui praestito juramento promittunt, se mulieres ducturos, et postea eis incognitis dimittunt terram, se ad partes alias transferentes, hoc tibi volumus innotescere; quod liberum erit mulieribus ipsis (si non amplius in facto processum) se ad alia vota transferre.* Ratio est; quia talis ita discedens censetur renuntiare juri suo. 212

213 Resp. II. Etiam tunc solvuntur Sponsalia, quando quidem non cum animo emanendi, sed tamen sine spe brevi redeundi in aliam terram discedit. Doctores citati, cum Communi aliorum, *arg. cit. c. De illis. 5. h. t.* Ratio est: tum in praecedendi Conclusione allegata: tum quia aequum non est, quod Sponsa tam longum ac incertum teneatur expectare reditum Sponsi cum periculo amittendi alias commodas nuptias, et propriae incontinentiae; praesertim, cum ad id, ut supponitur, se non obligarit.

214 Nec limitanda est Conclusio in casu, quo Sponsus ex causa necessaria cogitur diutius abesse, vel ex causa voluntaria, utili tamen, diutius abest (prout plures Doctores limitant, *arg. l. Saepe. ff. de Sponsal.*) eo quod dispositio Juris Canonici *cit. c. De illis. 5. h. t.* illimitata, ac universaliter loquatur, consequenter illimitata intelligenda veniat, *arg. c. Quia circa. 22. de Privileg.* praesertim cum etiam de his casibus militet rationes Conclusionis *num. praeced.* positae: quibus accedit, quod in tali casu videatur intervenire notabilis mutatio, ob quam etiam sine culpa unius emergentem ex parte alterius solvantur Sponsalia per dicenda infra *num.* 235. *et seqq.*

215 Objicies Varias Leges Civiles, in quibus certum annorum spatium determinatur, quod Sponsi invicem exspectare teneantur, ut *L. 2. C. de Sponsalibus*, ubi statuitur, Sponsum absentem intra eandem provinciam biennio esse exspectandum, *L. 2. vero de Repudiis*, sancitur, esse triennium exspectandum, si extra Provinciam abest, et *l. Saepe. 17. de Sponsal.* decernitur, adhuc diutius exspectandum esse, si unus ex Sponsis ob causam necessariam abest, ibi: *Saepe justae ac necessariae causae non solum annum, vel biennium, sed etiam triennium, et quadriennium, et ulterius trahunt Sponsalia, veluti valetudo Sponsi, Sponsaeve, vel mores parentum, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes, quae ex necessitate fiunt.* Ad has Leges varie respondent Doctores, aliis dicentibus, esse illas correctas a Jure Canonico *c. 5. h. t.* Aliis vero volentibus, eas etiamnum vigere, et observandas esse, ut videre est apud Sanchez, et alios *nul* 212. citatos. Sed aliter Resp. Citatas Leges ad praesens minime esse attendendas. Ratio est; quia praedictae Leges praefatum tempus solummodo ad hoc determinant, ut Sponsa possit dissolvere Sponsalia, *retentis Arrhis, et donatis ob nuptias*: haec enim si retinere non volebat, poterat quivis Sponsorum, quovis die, et tempore, pro libito, suoque dissensu suo Sponsalia contracta iterum solvere *per leges num.* 190. *citatas*: cum vero haec Lex per Canones sit sublata, priores vero non loquantur de casu nostro, minime attendendae erunt hae Leges, ita *loc. cit.* cum aliis Castro Palao. Quantum autem tempus requiratur, ut Sponsa dissolvere queat Sponsalia, relinquendum videtur arbitrio Judicis, uti cum aliis notat, et in praxi observari asserit Sporer *loc. cit. n.* 245. ubi tamen etiam observandum, quod Sponsus, si est in propinquo, requiri et admoneri debeat, ut intra certum tempus nubat. Sanchez *loc. cit. n.* 11.

216 Quaeritur IV. An, et quando per *nimiam dilationem* dissolvantur Sponsalia? Ante responsionem notandum, quantum ad circumstantiam temporis varie posse contrahi Sponsalia. I. Absque determinatione certi temporis ea adimplendi. II. Cum praefixione certi temporis aut termini, quod rursus duplici modo contingere potest. *Primo modo* potest praefigi terminus non ad finiendam, sed tantum ad differendam obligationem contrahendi Matrimonium, ita ut usque ad illum terminum nulla pars obligetur, nec cogi valeat ad nubendum alteri; bene autem eo elapso, consequenter per lapsum hujus termini non finiatur, sed potius firmetur, et absoluta evadat obligatio nubendi; eo fere modo, quo quis alteri dat mutuum certo termino ad solvendum praefixo; hujusmodi enim terminus minime apponitur ad finiendam, sed ad differendam obligationem solvendi, ita ut intra illum solvere non teneatur, bene tamen illo elapso; consequenter per lapsum talis te temporis non extinguatur, sed firmetur, et absoluta evadat obligatio solvendi, et exinde ad id cogi valeat, *arg. l. Continuus. §. Secundo. ff. de V. O* et *l. Celsus. 23. §. 1. ff. de Receptis, qui Arbit.*

Altero modo potest praefigi terminus ad finiendam, seu extinguendam obligationem Matrimonium amplius contrahendi, ita nempe, ut si usque ad illud tempus non contrahatur Matrimonium, quaevis pars ex Sponsis ab obligatione sit libera. Et de hac termini praefixione loquitur *c. Sicut. 22. h. t.* et *l. Fidejussor. §. fin. ff. Mandati.* Exemplum est in obligatione Horarum Canonicarum, solvendi vota temporanea etc. obligatio quippe recitandi Horas Canonicas finitur cum ipso die, sive culpabiliter, sive inculpabiliter omittantur; ut proin quivis dies censeatur praefixus ad finiendam obligationem. H. N. 217

Resp. I. Si Sponsalia absque termini praefixione contracta sunt, et una pars adimplere illa velit, ac instet, altera vero eadem hic et nunc adimplere recusat, et sine legitima causa differat, potest pars adimpletionem volens statim resilire. Patet conclusio ex dictis *a. n.* 143. *et seqq.* ubi probavimus Sponsalia ita contracta statim obligare; consequenter si obligationi huic satisfacere sine legitima causa recusat unus Sponsorum, censetur resilire, et hoc ipso etiam alteri praebere facultatem resiliendi vide dicta *a. n.* 143. 218

Resp. II. Quando terminus praefigitur *primo modo*, non nequiquam solvi possunt Sponsalia ex eo, quod intra illum terminum Matrimonium contractum non sit, sed manet obligatio, sive dein culpabiliter, sive inculpabiliter Matrimonium secutum non fuerit. Bosco in *Theolog. Sacrament. p. 5. Disp. 11. sect. 2. Conclus. 2. n.* 52. Sanchez *lib. 1. Disp. 5.* Abbas, et Canonistae alii in *c. Sicut. 22. h. t.* cum Communi, et certe aliorum, *arg. l. Continuus §. Secundo. ff. de V. O* et *l. Celsus. 23. ff. de Recept. qui arbit.* Ratio est; quia, uti in dicta *l. Celsus* innuitur, per hujusmodi praefixionem termini duplex consurgit obligatio, una absolute contrahendi, altera tali tempore contrahendi, ita ut si tali tempore non contrahat, ille, per quem stetit, teneatur nihilominus primo opportuno tempore adhuc contrahere; cum cessante obligatione tali tempore contrahendi non cesset obligatio altera, absolute nempe nubendi, quae juxta dicta *n.* 143. stringit, quamprimum fieri potest. 219

Resp. II. Si *secundo modo* praefigitur terminus, 220 et termino praefixo Matrimonium non contrahitur, solvuntur Sponsalia, et tollitur obligatio ex parte utriusque, sive culpabiliter, sive inculpabiliter ex parte unius, vel utriusque contractus Matrimonii non sequatur. Bosco *loc. cit. n.* 52. Dicastillo, et alii. Est tamen ex parte contra Sanchez *lib. 1. Disp.* 53. *n.* 6. et alios volentes, si ex culpa tantum unius veniat, quod Matrimonium non sequatur; altera vero pars ad nubendum parata fuisset, tolli obligationem praecise ex parte innocentis, non autem nocentis. In quo consentit Layman *lib. 5. tr. 10 p. 1. cap. 2 n.* 16. Item docet Sanchez *loc. cit. n.* 7. ex nulla parte tolli obligationem, etsi stet per unum, quo minus Matrimonium contrahatur, si hic sine culpa est: in quo tamen Layman, ac alii dissentiunt.

221 Probatur nostra Conclusio universaliter ex *cit. c. Sicut. 22. h. t. et l. Fdejussor. §. fin. ff. Mandati.* Ratio est; quia *contractus ex conventione Legem accipere dignoscuntur c. Contractus* 6. *de R. J. in* 6. *et l. 23. ff. de Reg. Jur.* consequenter, cum, uti supponitur, contrahentes expresse convenerint, quod si usque ad certum terminum, Matrimonium non sequatur, utraque pars maneat libera ab obligatione, sic erit, etsi ex causa et culpa unius venerit, quo minus Matrimonium sequeretur, *arg. cit. l. Contractus. 23. ff. de Reg. Jur.*

222 Nec dicas cum Sanchez *loc. cit.* Nemo debet ex malitia sua commodum reportare. *c. Sedes et c. Plerumque. de Rescript.* ergo saltem ille non liberatur ab obligatione, qui ex gravi culpa sua Matrimonium impedit. Resp. enim *Ant.* verum esse, nisi ex ipsa natura certae obligationis, aut vi conventionis specialis aliud permittatur, uti in praesenti. Et patet a pari v. g. in horis Canonicis, quas licet aliquis malitiose aliquo die omittat, non tenetur altero die obligationem praeteritae diei resarcire, ac Horas bis recitare, etsi forsan ex malitiosa sua omissione commodum reportarit. Accedit, quod talis praeter peccatum mortale teneatur resarcire damnum alteri parti exinde secutum; consequenter commodum magnum reportare non videatur, uti bene observat Bosso *loc. cit. n.* 54.

223 Objicies Regulam 41. Juris in 6. *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerit faciendum*: ergo saltem tunc non solvuntur Sponsalia cum *secundi modi* praefixo termino contracta, quando alteruter ad nubendum praefixo termino paratus, fuit legitime impeditus; praesertim cum universaliter loquendo tempus non currat legitime impedito: *arg. c. Quia diversitatem* 5. *de Concess. Praeb. et l.* 1. *§. fin. C. de Annal. Praescript.* Resp. Regulam, et Jura allegata procedere de casu, quo tempus aliquod a Jure est praefixum, poenaque Juris, facultatisve, aut alterius privatio per Legem decreta est; non item si ex privata contrahentium voluntate, ac conventione; ex hac enim contractus Legem accipiunt etiam contra Juris dispositionem, *arg. cit. l. Contractus.* 24 *ff. de R. J.* ibi: *Contractus quidam, dolum malum duntaxat recipiunt: quidam dolum, et culpam; dolum tantum, depositum, et precarium: dolum, et culpam, mandatum, commodatum, venditum et c. sed haec ita, nisi nominatim convenit, vel plus, vel minus in singulis contractibus: nam hoc servabitur, quod initio convenit; legem enim contractus dedit.* Hinc ut bene advertit Layman *loc. cit.* frequenter contingit, contractus ex conditione fieri, ut nisi certo tempore perficiatur, nullus sit; etsi neutrius culpa intervenerit.

224 Quaeritur V. An, et quomodo Sponsalia solvantur per ingressum in Religionem? Resp. I. Per ingressum in Religionem Professione secuta solvi Sponsalia, certum est Omnes. Ratio patet; quia per Professionem Religiosam solvitur etiam ipsum Matrimonium *ratum, c. ex publico. 7. de Convers. Conjug.* ergo multo magis Sponsalia de futuro.

225 Limitatur tamen Conclusio in casu, quo quis ingrederetur ac profiteretur in fraudem, et damnum alterius, puellae v. g. prius jam sub spe Matrimonii violatae, vel etiam impraegnatae, quod damnum aliter, quam per Matrimonium subsequens reparari non potest, Sporer *in Theolog. Sacram. p.* 4. *cap.* 1. *sec.* 2. *n* 245 Sanchez *lib.* 1. *Disp* 44. *n* 3. citans alios. Ratio est; quia omne etiam solemne votum, ac juramentum de re illicita est nullum, nullamque parit obligationem, *arg. c. Quanto. de Jurajur. et c. Non est. de R. J. in* 6. ibi: *Non est obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum*: atqui in tali casu Professio tanquam votum esset de re illicita; cum ex justitia ad damnum resarciendum obligatus, Religionem ingredi et profiteri licite non possit; si post ingressum, aut Professionem damnum resarciri non amplius potest, per ea, quae diximus *Lib. 3. Tit. 31. de Regul.* §. 3. n. 72. *et* 73. et magis adhuc dicetur infra: ergo. Accedit, quod talis Professio etiam sit nulla ex defectu acceptationis. Constat enim ex dictis *Lib. 3 Tit. 31. de Regul. n.* 167. ad valorem Professionis necessariam esse acceptationem ex parte Religionis: haec autem illicitam Professionem acceptare non potest, nec acceptare censetur, cum nullus illicite agere praesumatur, nisi probetur, *arg. c. fin. de Praesumpt.* Hinc, si quis ita fraudulenter ingrederetur Religionem, celans grave alterius damnum, non nisi per Matrimonium reparabile, procul dubio ejici posset, et ad instantiam alterius dimitti deberet.

226 Dicitur tamen notanter; *si damnum aliter, quam per Matrimonium subsequens reparari non potest*, quia si damnum alia via reparare potest, et vult Sponsus, licita ac valida erit Professio. Nec obstat illud, quod ex *l.* 2. §. *Mutui ff. Si certum petat.* unum pro alio invito creditori reddi non possit; talia autem debet Matrimonium: ergo. Resp. enim dictam dispositionem Juris non procedere in casu praesenti, utpote ubi Jus ipsam obligationem in specie debitam per Professionem tollit, c. 2. *et 7. de Convers. Conjug.* cui proin debitum in specie Matrimonium non obstat, nisi praecise ratione damni inde consurgentis, quod quia alia ratione reparari potest, et, ut supponitur, reparatur, non habet, quod aliud praetendat damnum passa.

227 Resp. II. Solo ingressu in Religionem, etiam Professione non secuta solvuntur Sponsalia saltem ex parte illius, qui in saeculo remanet, ita ut illico, si velit, alteri nubere valeat. Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 42. *n.* 2. Sporer *loc. cit. n.* 247. Innocentius *in c. Veniens. qui Clerici vel voventes*, et ibi Anchoranus n. 1. Joan. Andreas n 2. item Navarrus *cap.* 22. *n.* 26. Sylvester ℣. *Sponsalia q.* 10. casu 2. Layman *lib. 5. tr.* 10 *p.* 1. *cap.* 2. n. 3. cum Communi aliorum contra Durandum, et alios apud Sanchez Ratio est: Tum, quia hoc ipso, quod quis ingreditur Religionem, censetur voluntatem mutasse, et Sponsalibus ac juri suo renuntiasse; quod facere quivis potest per vulgaria. Tum quia accedente notabili mutatione ex parte unius, solvuntur Sponsalia, et tollitur obligatio *ex parte* alterius pee dicenda *a num.* 255. atqui per ingressum in Religionem fit notabilis mutatio ex parte ingredientis, cum grave foret, et dedecorosum foeminae, si teneretur adhuc nubere ei, qui jam fuit Monachus; econtra viro, si teneretur ducere fuitam Monialem. Tum quia nulla pars praesumitur in Sponsalibus se obligare ad exspectandum, donec Novitiatus finiatur. ergo.

228 Resp. III. Per ingressum in Religionem Professione non secuta, non solvuntur Sponsalia, nec tollitur, sed manet obligatio ex parte ingredientis, ita ut si remanens in saeculo exspectare, et eum adhuc habere velit, egrediens teneatur eam ducere Castro Palao *de Sponsal. Disp* 1. *pun.* 18 *n.* 3. Engel *h. t.* §. 3. *n* 7. Layman *loc. cit* Pont. *de Matrim. lib.* 12. *cap* 10. *n.* 3. Sylvester ℣. *Sponsalia q.* 10. *cas.* 4, Sporer *loc cit. n* 248 Pirhing *h. t. n.* 50. cum Communi aliorum contra Sanchez *lib* 1. *Disp.* 42. n. 4. volentem, etiam ex parte ingredientis dissolvi Sponsalia, saltem si bona fide ingrediatur Probatur Conclusio nostra: solus ingressus in Religionem nec ex natura sua, nec ex jure aliquo positivo solvit Sponsalia: ergo. Non ex natura, cum Novitius possit egredi, et Sponsalia implere. Nec Jure positivo;

quia nullum allegari potest: nam c. 2. *et 7. h. t. cum concord.* loquuntur de sola Professione; quae Juris dispositio in favorem Professionis concessa, quia est odiosa, utpote in praejudicium alterius vergens, extendi non debet ad solum ingressum: *Odia enim restringi convenit*, c. *Odia* 15. *de R. J. in* 6.

229 Confirmatur. Omnia vota tolluntur per Professionem Religiosam; non item per Novitiatum, aut solum ingressum; nam tempore Novitiatus manent adhuc suspensa, ergo etiam, licet per Professionem solvantur Sponsalia, non solvuntur per solum ingressum: cum non sit major ratio, cur per Novitiatum solvantur Sponsalia, et non alia vota. Nec est paritas de remanente in saeculo, et ingrediente; quia ex parte hujus, non item illius fit notabilis mutatio, ob quam merito solvuntur Sponsalia ex parte remanentis in saeculo.

230 Quaeritur VI. An, et quomodo dissolvantur Sponsalia per susceptionem Ordinum? Et an licitum sit post Sponsalia Ordines suscipere? Resp. I. Per susceptionem Ordinis sacri, seu *Majoris*, non item Ordinum *Minorum* dissolvuntur Sponsalia. Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 47. *numer.* 1. Bosco *loc. cit.* cum Communi, et certa aliorum. Ratio de Majoribus Ordinibus patet; quia Ordo sacer est impedimentum dirimens Matrimonium, *arg. c. Presbyteris, dist.* 27. consequenter dissolvens Sponsalia, cum eorum adimpletio per susceptionem Ordinis sacri fiat impossibilis, ad quod nemo tenetur. c. *Nemo* 6. *de Reg. Jur. in* 6.

231 Ratio secundae partis est; quia Ordines Minores non repugnant cum Matrimonio: potest enim Minorista licite et valide nubere consequenter etiam tenetur, si spopondit. Notat tamen Tanner *de Sponsal. Disp.* 8. *tr.* 4. *q.* 1. *n.* 53. Gobath *tr.* 10. *casu* 8. *numer.* 321. Sporer *loc. cit. numer.* 256. quod, si Sponsus inscia ac invita Sponsa Minores Ordines suscipiat, solvantur Sponsalia saltem ex parte Sponsae, ita ut haec alteri pro libito nubere possit. Ratio est: Tum quia talis hoc ipso, quod suscipiat Ordines Minores, censeatur velle eum tempore etiam Ordines Majores suscipere (ordinarie enim Minores per talem non suscipiuntur, nisi cum intentione suscipiendi etiam Majores) sicque statum Matrimonio repugnantem assumere; consequenter remittere Sponsae jus et obligationem: Tum quia videtur notabilis mutatio, et magna inconstantia Sponsi, si post Sponsalia suscipit Ordines, et post hos iterum nubere vult; ob hujusmodi autem mutationem solvuntur Sponsalia juxta dicenda infra n. *num.* 255. ergo.

232 Resp. II. Quamvis juxta dicta Ordo sacer Sponsalia dirimat, tamen post ea contracta licite non suscipitur. Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 47. *num.* 3. Castro Palao *de Sponsal. Disp.* 1. *pun.* 19. Rebell. *lib.* 4. *de Matrim. q.* 9. *sect.* 5. Coninck *Disp.* 23. *dub.* 3. *numer.* 25. Engel *h. t. num.* 8. Pirhing *h. t. n.* 57. cum aliis contra Navarrum *cap.* 22. *num.* 15. Layman *loc. cit. num.* 7. Gobath, Pontium *lib.* 22. *cap.* 11. *nu.* 3. et alios: Ratio Conclusionis est, quia nec Divino, nec naturali, nec humano Jure conceditur Sponso, quod post contracta Sponsalia possit Ordines sacros suscipere, sicut concessum est ingredi Religionem: ergo etsi eos valide suscipiat, tamen peccat, et illicite agit, utpote sine titulo aut privilegio gravem injuriam tertio, Sponsae nempe inferens, et fidem in materia gravi violans. Nec valet argumentari a Professione Religiosa ad Ordinem sacrum, quia disparitas inter utrumque expresse habetur in Jure, *Extravag. Antiquae. Joannis XXII. de Voto, et Voti redempt.* ubi cautum habetur, quod per Ordines sacros Matrimonium non dirimatur, uti per Professionem; et causa additur: *cum nec Jure Divino, nec per sacros Canones reperiamus hoc statutum.*

Confirmatur praxi Dioecesium, qua constat, quod 233
ante Ordinationem inquiri soleat, an nullus fecerit Sponsalia? quod signum est, Episcopus nec velle, nec licite posse ordinare aliquem Sponsalibus adstrictum. Confirmatur ulterius ex toto *Tit. de Obligatis ad ratiocinia non ordinandis.* ubi universaliter prohibetur, ne quis in praejudicium alterius, cui aliqua obligatione adstrictus est, ordinetur; ergo neque Sponsus in praejudicium Sponsae, cui adstrictus est, licite ordinari poterit.

Objiunt cum Adversariis principale et unicum 234
fundamentum, videlicet, quod, sicut in quovis voto, sic etiam in Sponsalibus contineatur tacite imbibita illa conditio: *Nisi quid perfectius, seu statum perfectiorem elegero*; atqui status Clericalis est nobilior Matrimoniali, ergo. Resp. negando, quod illa conditio tacite insit Sponsalibus; quia inest tantum votis, seu promissionibus Deo factis, non item factis homini: alias enim posset quis cuncta promissa etiam jurata homini facta ex illa tacita conditione negligere, quod falsissimum est, uti late ostendit Castro Palao *Tract. de Juram.* Et patet in exemplo, quo vellet quis dare, vel vovere Deo equum, quem alteri jam promisit. Certe enim id non liceret, nec valeret, utpote tertio injuriosum, licet alias Deo, aut piae causae dare equum sit perfectius, quam dare homini. Aliud est in votis, utpote in quibus Deus ipse promissarius est, qui utique remittit, vel remittere censetur votum minus perfectum, si loco hujus perfectius praestatur. Cur autem liceat Religionem ingredi cum praejudicio Sponsae, causa non est, quia Religio est status perfectior, sed quia a Jure concessum est.

Quaeritur VII. An etiam, et quomodo per 235
votum ingrediendi Religionem, aut suscipiendi Ordinem sacrum, vel etiam per votum simplex castitatis dissolvantur Sponsalia? Resp. I. Quamvis licite et valide quis vovere possit ingredi Religionem, tamen per talem votum non illico solvuntur Sponsalia ex parte utriusque, sed tantum ex parte non voventis. *Prima pars*, quod licite et valide vovere quis possit Religionem, et in ea profiteri, est certa apud omnes, hoc ipso enim, quod post Sponsalia quis possit licite ingredi Religionem, etiam id vovere potest.

Secunda pars, quod per tale Religionis votum non illico solvantur Sponsalia ex parte utriusque, tenetur a Castro Palao *de Sponsal. Disp.* 1. *punc.* 20. *num.* 4. Tamb. *lib.* 8. *num.* 7. Sporer *loc. cit. num.* 252. et aliis contra Layman *loc. cit. num.* 4. et alios. Ratio est; quia bene fieri potest, ut quis vovens Religionem nullibi suscipiatur, vel susceptus tempore Novitiatus iterum egrediatur, casu quo cum cesset obligatio voti, subintrat obligatio servandi Sponsalia; si pars in saeculo remanens adhuc exspectet, et eam habere velit: prout in simili supra *num.* 226 diximus de ingrediente Religionem absque praecedente voto. Confirmatur; quia solammodo ipsi actuali Professioni Jura attribuunt vim solvendi Sponsalia ex parte utriusque, sicut et Matrimonium *ratum*, *arg. c.* 2. *et* 7. *de Convers. Conjug.* ergo ad votum ingrediendi, ac profitendi, Juris dispositio, utpote odiosa et in praejudicium tertii vergens extendi non debet, *arg. c. Odia de R. J. in* 6.

Caeterum, quod ex parte remanentis in saeculo per simile votum solvantur Sponsalia, tenent Omnes; hoc ipso enim, quod quis licite voveat assumere statum Matrimonio repugnantem, censetur renuntiare

Sponsalibuc, et juri ex iis sibi acquisito, consequenter partem alteram reddit liberam ab obligatione, ita, ut si velit, cuivis alteri nubere valeat; quamvis etiam, si velit, exspectare possit actualem Professionem, et ea non secuta compartem suam ad Matrimonium urgere per dicta *num. praeced.*

236 Resp. II. Votum suscipiendi sacros Ordines potest quidem ex parte validum et licitum emittere, id tamen illicitum et invalidum est, quatenus praejudicat Sponsae: nec Sponsalia ex parte utrinsque dissolvit. Hanc Conclusionem tenent Omnes *nu.* 230. citati, docentes, Sponsum non posse licite suscipere sacros Ordines; consequenter nec vovere, quod in praejudicium Sponsae eos suscipere velit. Conclusio probatione non indiget, cum necessario sequatur ex Conclusione *num.* 230. posita; hoc ipso enim, quod Sponsus licite non possit suscipere Sacros Ordines, votum illos suscipiendi, et valide emittere non potest; quia votum de re illicita non licitum, nec validum est, *arg. c. Quanto de Jurejur.* Notat tamen Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 47. *num.* 4. per tale votum solvi Sponsalia ex parte Sponsae, eo quod Sponsus merito censeatur ei remittere jus suum, et renunciare Sponsalibus: Quamvis enim tale votum sit nullum, ipse tamen, quantum est in se, intendit et vult assumere statum Matrimonio repugnantem, consequenter juri ad hoc renuntiare; ut proin Sponsa cognito tali voto pro libitu possit alteri nubere, *arg. c. Veniens, qui Clerici vel voventes*, vel ita voventem ad eidem nubendum adigere.

237 Resp. III. Quamvis post Sponsalia jam contracta possit quis ex parte licite et valide vovere perpetuam continentiam, tamen hoc continentiae voto, quantum praejudicat comparti ex sponsis, non valet, nec dirimit Sponsalia ex parte voventis, bene vero ex parte alterius. Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 46. *numer.* 9. Barbosa *in c. Veniens, qui Clerici vel voventes. num.* 2. et ibi Abbas *num.* 5. Ancharanus *nu.* 2. Joan. Andreas *num* 3. et Canonistae ibidem communiter, item Layman *loc. cit. num.* 6. Castro Palao *loc. cit. num.* 6. Engel *h. t.* §. 3. *nu* 9. cum communi aliorum, contra D. Thomam *in* 4. *dist.* 38. *q.* 1. *a.* 3. *Quaestiun.* 2. *ad* 3. et plures alios apud Sanchez. Probatur conclusio, quod non dirimat Sponsalia ex parte voventis, ex *cit. c. Veniens.* 5. *Qui Clerici, vel voventes*: ubi Papa post Sponsalia ita voventem puniri jubet. Ratio est; quia tale votum, in quantum est in praejudicium et injuriam tertii, non est Deo gratum, nec ab eo acceptatur; sicut non acceptaret votum, quo quis voveret Deo, aut causae piae offerre domum, quam prius alteri jam promiserat, et ad quam alter jus jam habet: hinc, quia vovens continentiam prius jam, ut supponitur, promisit corpus suum alteri parti, haecque habeat jus ad illud, Deus votum, quo sibi in praejudicium et injuriam hujus promittitur tale corpus, non acceptat, consequenter quantum alteri praejudicat, non valet, nec quidquam efficit.

238 Probatur *altera pars* Conclusionis videlicet, quod tale votum dissolvat Sponsalia ex parte non voventis ex *cit. c. Veniens, qui Clerici, vel voventes*: ubi tacite approbatur, quod vir cognito voto continentiae a Sponsa emisso, alteri nupserit; quod facere non potuisset, si per votum Sponsae Sponsalia ex parte sua soluta non-fuissent. Ratio est, quia *in praeced. Conclus.* quia videlicet talis merito censetur renuntiasse Sponsalibus, et juri sibi ex illis quaesito. Et ideo hanc partem Conclusionis, teste Sanchez *loc. cit. numer.* 5. tenent Omnes.

Objicies contra utramque Conclusionem *num.* 235. 239
et *num.* 236. positam illud Tritum ex *c. Pervenit.* 3. *de Jurejur. Promissum non infringit, qui in melius illud mutat*, sed qui vovet sacros Ordines, aut perpetuam castitatem, promissum Matrimonium, seu Sponsalia in melius mutet; cum juxta omnes status Clericalis, et virginalis sit perfectior; ergo. Unde ex hoc communiter docent Doctores, Sponsalia habere tacite imbibitam illam conditionem: *nisi quid perfectius, seu statum perfectiorem elegero.* Resp. Illud ex *c.* 3. *de Jurejur.* desumptum procedere, ubi utrubique idem promissarius est; consequenter talis commutatio de voluntate creditoris fiat, uti fit, dum votum minus perfectum in perfectius mutatur; in his enim idem promissarius, et creditor Deus est; qui utique concedit, quod loco imperfectioris ei praestatur perfectius. Secus est in promissis in favorem hominum factis: utpote quibus meliora non semper placent, *l. Mutuum.* 2. §. 1. *ff. de Reb. credit.* praesertim, si non idem promissarius, et creditor est. Ad illam conditionem, quae dicitur tacite imbibita, jam patet ex dictis *num.* 232.

Objicies II. Quando duo vincula incompatibilia 240
concurrunt, tunc fortius praevalet, *arg. c. Si inter. h. t.* atqui vinculum Religionis ex voto proveniens est fortius vinculo fidelitatis ex Sponsalibus consurgente: ergo Resp. *Majorem* esse veram, quando utrumque vinculum validum est: Secus si unum est invalidum, uti in praesenti est votum suscipiendi sacros Ordines, aut continentiae in quantum alteri praejudicat.

Instabis. Ex hoc sequeretur talia vota a Sponsis 241
facta ex toto esse inania, utpote invalida, ac illicita; *Sequela* videtur esse contra Jura *arg. c. Quidam. c. Placet de Convers. Conjug.* Resp. negando *Sequelam*: quia talia vota non ex toto, sed solummodo in tantum sunt invalida, illicita, ac inania, in quantum praejudicant tertio, uni nempe ex Sponsis: de reliquo in quantum sine praejudicio tertii observari possunt, licita omnino, et valida erunt: ut proin quamvis illicite, et invalide agat, qui ita vovet sacros Ordines, aut continentiam, quod etiam invita altera parte velit suscipere Ordines; eaque repulsa, seu in Matrimonium non acceptata continentiam servare, uti bene observat Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 46. *num.* 10. per hujusque disputata, tamen valebunt hujusmodi Sponsorum vota, in quantum sine praejudicio alterius observari poterunt, ut proin vi talis voti omnino teneatur Sponsus suscipere Ordines, aut abstinere a nuptiis, et servare castitatem, si alter consentit. *Secundo* debet tale votum perfecte adimplere mortua sua comparte. *Tertio*, si continentiam vovit, debet a petendo debito abstinere, donec cum eo dispensetur, *arg. cit. c. Quidam, et c. Placet. de Convers. Conjug.* ibi: *Eo quod licet votum ejus usquequaque non tenuerit eatenus tamen obligatorium est, quatenus se poterat obligare.*

Quaecunque autem hactenus diximus, intelli- 242
genda sunt de votis subsequentibus Sponsalia jam contracta; si enim tale votum praecedit, et Sponsalia primum subsequuntur, certum ac indubitatum est, quod ratione talis voti Sponsalia sint nulla, et invalida, uti eum omnino bene advertit Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 46. *numer.* 3. quia tunc Sponsalia continent rei illicitae promissionem, quae utique non obligat. De quo magis infra *Tit. VI. Qui Clerici, vel voventes.*

§. VIII.

De reliquis Causis solvendi Sponsalia, ob Matrimonium, vel Sponsalia posteriora, Fornicationem, Impedimentum, vel alias mutationes supervenientes emergentibus.

SUMMARIUM.

242 *Per Matrimonium solvuntur Sponsalia cum alio contracta.*
243 *An autem, et quando per Sponsalia posteriora? Remissive.*
244 *Per fornicationem sive a Sponso, sive a Sponsa post Sponsalia commissam, solvuntur ex parte innocentis, non vero nocentis. Et num. seq.*
Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes ibidem
245 *Delicta suos debent tenere auctores, nec ex eis quis debet facere meliorem suam conditionem.*
246 *Propter fornicationem sponsae praecedentem Sponsalia, potest Sponsus dissolvere Sponsalia. Et num. seq.*
248 *Non item Sponsa ob praecedentem fornicationem Sponsi. Et duobus num. seqq.*
251 *Nisi Sponsus cum pluribus fornicationem commisisset, aut ex una prolem jam haberet.*
252 *Ob fornicationem Sponsae etiam vi oppressae Sponsus juste solvit Sponsalia.*
253 *Sicut etiam ob oscula, tactus impudicos ab eadem sive ante, sive post Sponsalia admissos.*
254 *Non tamen econtra id potest Sponsa, nisi Sponsi tactus sint frequentes.*
255 *Generalis Regula, quandonam superveniens mutatio notabilis praebeat causam solvendi Sponsalia.*
Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum. Ibid.
256 *Quis, et quomodo judicare debeat de tali mutatione?*
257 *Quid Juris in dubio?*
258 *Mutatio corporis notabilis censetur quivis morbus incurabilis: num etiam morbus gallicus?*
259 *Item superveniens notabilis deformitas corporis, aut amissio membri.*
260 *Nec non sterilitas Sponsae aut impotentia rite congrediendi ex parte Sponsi.*
261 *Ob Mutationem notabilem in bonis fortunae solvi possunt Sponsalia, etsi contingat absque culpa. Et nu. 263.*
262 *Ex eo, quod unus Sponsorum evadat ditior, non solvuntur Sponsalia.*
263 *Si ambo Sponsi ad paupertatem veniunt, ambo resilire possunt.*
264 *Etiam ob jacturam futurorum bonorum fortunae solvuntur Sponsalia.*
265 *Etiam ob notabilem mutationem animi, v. g. supervenientem infamiam solvuntur Sponsalia.*
266 *Idem ob morum asperitatem.*
267 *Nec non ob inimicitias, aut discordias, odia, aut scandala inter ipsos Sponsos.*
268 *Aut eorum Consanguineos timenda.*
269 *Horum omnium ratio.*
270 *Sola contradictio parentum non est sufficiens causa solvendi Sponsalia.*
271 *Solvitur instantia.*
Multa fieri prohibentur, quae, si facta fuerint, obtinent firmitatem. Ibid.
272 *Matrimonium cedens in dedecus Familiae, ac gravem injuriam parentum, contradictione parentum dissolvi potest.*
Promissio mala, seu mali non obligat. Ibid.
273 *Matrimonium cum notabiliter inaequali ordinarie infelices sortitur exitus, ideoque ejus promissio ordinarie solvi potest. Et num. seq.*
275 *Episcopus (ordinarie loquendo) non potest dispensare in Denuntiationibus cum notabiliter inaequalibus.*
276 *Bene vero potest, imo tenetur dispensare, si parentes contradicunt, aut injuste impedire conantur Matrimonium inter aequales, aut non multum inaequales.*
277 *Contradictio parentum, consanguineorum, aut aliorum conjuncta minis de exhaereditando, privando officiis etc. dat facultatem resiliendi: et cui? Et nn. seq.*
279 *Minae de exhaereditando usque ad legitimam, aut negandi omne auxilium, vel dotem usque ad mortem, praebent alteri parti causam resiliendi. Et num. seq.*
281 *Nisi tempore contractus haec jam praevidisset, aut scivisset.*
282 *Pars illa Sponsorum, quae minas de exhaereditando, aliove gravi malo patitur, non potest resilire, si ei nihilo minus nubere velit, compars.*
283 *Probatur ratione*
284 *Et absurdis aliis sequentibus. Et num. seq.*
285 *Absurda semper, et ubique sunt vitanda.*
286 *Si pars minas patiens non posset a comparte statui conformiter sustentari, resilire poterit.*
287 *Observatio practica quoad hoc.*
288 *Inferuntur variae doctrinae practicae usque ad num. 291.*
293 *Si quis minas et effectum earum, aliudve malum fortunae ex Matrimonio secuturum praevidit, et tamen illud promisit, promissis stare tenetur.*
294 *Ob superveniens impedimentum dirimens solvuntur Sponsalia.*
295 *Tenetur tamen impedimentum ex sua culpa ponens procurare dispensationem.*
269 *Etiam propriis magnis expensis.*
297 *Quae tamen raro sunt necessariae.*
298 *Solvitur instantia.*
299 *Causae resiliendi tempore Sponsaliorum jam existentes, sed latentes, et postea innotescentes, efficaces sunt.*
300 *Limitatur in fornicatione Sponsi antecedente.*
301 *Qui defectu occulto nocivo, vel Matrimonium notabiliter difficilius reddente laborat, tenetur manifestare, aut a Matrimonio abstinere.*
302 *Secus, si defectus non nocet, vel tam difficile Matrimonium non reddit.*
303 *Imo tali minori defectu laborans, potest cogere compartem ad servanda Sponsalia.*
304 *Qui sciens defectum in aliquo, tamen cum ipso Sponsalia facit, censetur renuntiare juri suo.*
305 *Sicut etiam qui post patefactum defectum occultum fornicatur cum eo.*
306 *Limitatur pro Foro interno.*
307 *Solvitur objectio.*
308 *Ad solvenda Sponsalia ex justa causa per se non requiritur auctoritas Judicis.*
309 *Bene vero per accidens.*
310 *Et de Jure speciali Dioecesium, praesertim Frisingensis, quando Sponsalia sunt publica.*
311 *Quando causa dissolvendi est dubia, etiam de Jure communi requiritur auctoritas Judicis.*
Nemo est Judex in propria sua causa. Ibid.
312 *Ad probandam dissolvendi causam, quae est impedimentum dirimens, vel impediens, sufficit confessio utriusque Sponsi.*
313 *Imo unius Matrimonium affectantis.*
314 *Et fama legitime probata.*

315 *Sufficit etiam testimonium unius extranei, etsi inhabilis.*
316 *Dummodo jurato deponat, et non sit persona vilis. Et num. seq.*
318 *Quomodo habere se debeat, qui scit occultam impedimentum inter Sponsos?*
319 *Unus testis sufficit, etsi Sponsalia sint jurata.*
310 *Contra Matrimonium jam contractum unus testis non sufficit.*
321 *Si causa dissolvendi non est aliquod ex impedimentis Matrimonii, tunc ad eam probandam requirantur duo testes, aut alias plena probatio.*
322 *Qui resilit justa de causa proveniente ex alterius culpa, ad nullas tenetur huic impensas; quin potius hic obligatur illi ad expensas.*
323 *Neque tenetur ad expensas alteri, qui ex justo alterius causa proveniente resilit.*
324 *Solvitur Objectio.*

242 Quaeritur I. An, et quomodo Sponsalia contracta dissolvantur per subsequentia *alia* Sponsalia, vel Matrimonium cum alio contracta? Resp. I. Quamvis illicite quis contrahat Matrimonium post Sponsalia cum alia contracta, nihilo minus tale Matrimonium valet, et Sponsalia priora dissolvit. Est certa apud Omnes, textu claro *c. Si inter.* 31. *h. t. et c.* 1. *de Sponso duorum.* Et hoc intellige *Primo*, etsi priora Sponsalia juramento fuerint firmata; ut expresse habetur *cit. c.* 31. *h. t.* ibi: *Sive sit juramentum interpositum, sive non.* Intellige *Secundo*, quod etiam tali Matrimonio postea per mortem alterius soluto non amplius obligent praecedentia Sponsalia; quia obligatio semel extincta non amplius reviviscit, *arg. l. Qui res.* §. *Aream. ff. de Solut.* ibi: *in perpetuum enim sublata obligatio restitui non potest*: et amplius probat Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 48. Caeterum ei, qui post Sponsalia contracta cum alia illicite contrahit, *ex violatione fidei poenitentia injungenda est*, ut dicitur *cit. c. si inter.* 31. *h. t.* et c. 1. *de Sponsa duorum*, ibi: *Poenitentiam agere debet de fide mentita.*

243 Resp. II. *An*, et quomodo dissolvantur Sponsalia per posteriora, vide infra *Tit. IV. de Sponsa duorum.*

244 Quaeritur II. An, et quomodo solvantur Sponsalia ob fornicationem, et tactus impudicos? Resp. I. Si Sponsus vel Sponsa post Sponsalia cum alio vel alia fornicatur, solvuntur Sponsalia etiam jurata ex parte Innocentis, non item Nocentis. Bosco *loc. cit. Conclus.* 8. Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 55. *nu.* 1. Sporer *p.* 4. *cap.* 1. *sect.* 2. *n.* 271. Abbas in c. *Quemadmodum de Jurejur.* et ibi alii Canonistae cum communissima, et hodie certa aliorum. *Prima pars*, quod solvantur ex parte Innocentis expresse deciditur *c. Quemadmodum.* 25. *de Jurejur.* ubi ratio additur: Tum quia quivis sub hac tacita conditione censetur spondere; *nisi contra fidem Sponsalia egerit*: Tum quia ob fornicationem a thoro rejici potest conjux; ergo multo magis Sponsa: nam (uti ibidem additur) *Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.*

245 *Altera pars*, quod ex parte nocentis non solvantur Sponsalia, consequenter is adhuc teneatur nubere innocenti parti, si haec velit, caret omni controversia. Et ratio est: Tum quia *peccata suos auctores tenere debent, c. Quaesivit. De his, quae fiunt a majore parte.* Tum quia *Nemo ex delicto meliorem suam conditionem facere potest, l. Non fraudantur. ff. de R. J.* simulque, *quod statutum fuit ad poenam, trahi non debet ad gratiam, c. Inter corporalia, de Translat. Episc.*

246 Resp. II. Propter fornicationem Sponsae Sponsalia praecedentem, e Sponso tamen ignorantam solvuntur Sponsalia: non item ob praecedentem fornicationem Sponsi. Primam partem tenent Bosco *in Theolog. Sacram. p.* 5. *Disp.* 11. *sect.* 2. *Concl.* 8. Sanchez *loc. cit. Disp.* 63. *num.* 3. Castro Palao *de Sponsal. Disp* 1. *punc.* 29. *n.* 4. Gutierez *de Sponsal. et Matrim. cap.* 34. *num.* 2. Ledesma *de Matrim. q.* 43. *a.* 3. *cau.* 5. *et alii.* Ratio est: quia in Jure paria sunt aliquid supervenire, et praecedere ignoranter: res enim dicitur fieri, quando innotescit, *c. Pastoralis, de Except.* Item quia paria sunt in Jure non esse, et non apparere, *l. Duo sunt ff. de Testament. Tut.* et *l. In lege. ff. de Contrah. Empt.* ergo a sensu contrario paria sunt esse et apparere. Accedit, quod universaliter loquendo emergente notabili mutatione solvantur Sponsalia per dicenda *a. nu.* 258. Atqui praecedens fornicatio Sponsae, ante Sponsalia ignorata, et post illa primum cognita causat notabilem mutationem ex parte Sponsae. Tum quia ex tali notitia Sponsa juxta communem aestimationem notabiliter, evadit vilior: Tum quia probrosum est viro, corruptam ducere; et prudenter magni fit, virginem pro Sponsa, et futura uxore habere: Tum tandem, quia vir notabile damnum incurrit; cum ex eo, quod ducat corruptam, fiat irregularis, utpote Bigamus, *toto Tit. de Bigamis non ordinand.* ergo.

Dices: hanc Conclusionem esse contra *c. Quemadmodum*, 25. *de Jurejur.* ubi ita habetur: *Si quis juravit, se ducturum aliquam in uxorem, non potest opponere fornicationem praecedentem, sed subsequentem, et ducat eam in uxorem.* Resp. Textum hunc esse intelligendum de praecedente fornicatione a Sponso prius jam cognita, in quo casu ipsi diximus, Sponsalia ex nulla parte solvi; quia ut bene ibidem advertit Glossa ℣. *Praecedentem*, si quia scienter fecit Sponsalia cum prius corrupta, censetur mores illius approbare, consequenter non potest eam amplius reprobare, *arg. can. Horrendus.* 17. *cau.* 32. *q.* 5. Secus est, si prius ignoravit; quod enim ignoravit, non approbavit: cum juxta Tritum, *nihil volitum, nisi praecognitum.* Hinc sicut juxta dicenda infra *num.* 249. potest quis ob alias causas prius ignoratas, et post Sponsalia cognitas dissolvere Sponsalia, sic etiam poterit ob fornicationem Sponsae. 247

Alteram partem Conclusionis tenent etiam Sanchez *loc. cit. num.* 9. ubi eam tanquam certam pronuntiat, Bosco *loc. cit. num.* 122. Castro Palao *loc. cit. num.* 7. Gutierez *loc. cit. nu.* 62. Pontius *lib.* 12. *cap.* 18. Coninck *Disp.* 23. *dub.* 7. *num.* 62. contra Navarrum *cap.* 22. *n.* 27. Ratio est; quia juxta communem aestimationem hominum (quae in hoc maxime attendenda est) non ita ignominiosum est, nec ita praejudiciosum foeminae, si nubat viro, qui prius aliam cognovit. 248

Dices: juxta Jura, et rationes *num.* 246. allegatas paria censentur nunc esse, et nunc apparere; atqui ob fornicationem Sponsi subsequentem potest Sponsa dissolvere Sponsalia; ergo etiam ob antecedentem, post Sponsalia autem primum apparentem. Resp. Jura, et rationes allegatas procedere, quando est eadem ratio, idemque inconveniens, sive praecedat, sive sequatur causa dissolvendi, uti est in lepra v. g. morbo gallico etc. at in fornicatione praecedente et subsequente viri non est idem inconveniens; nam si post Sponsalia contingit, est contra fidem Sponsalium, ob quam violatam Jura Sponsae tribuunt facultatem dissolvendi Sponsalia. *c. Quemadmodum. de Jurejur.* Secus est, si praecedit. 249

Dices: Eandem disparitatem in foemina fornicante esse: ergo nulla solutio. Resp. concesso *Ant.* negando *Conseq.* quia fornicatio Sponsae ante Sponsalia, consequenter sine violatione fidei facta continet aliam causam solvendi Sponsalia, videlicet, notabilem mutationem ex parte foeminae emer- 250

gentem per dicta *num.* 246. quae mutatio, cum in viro prius fornicante non censeatur adesse, juxta dicta *numer.* 248. *praeced.* sufficiens disparitas adhuc adest inter praecedentem fornicationem Sponsi, et Sponsae.

251 Illud tamen cum Castro Palao *loc. cit. numer.* 8. Sanchez *loc. cit. num* 10. Pontio *loc. cit. cap.* 18. *nu.* 2. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *cap.* 2. *num.* 11. et aliis notandum, quod, si vir cum pluribus fornicatus esset, ita ut valde vitiosus isto modo cognoscatur, possit propterea Sponsa id prius ignorans solvere Sponsalia, quia in talibus circumstantiis etiam in viro prudentum judicio censetur notabilis adesse mutatio.

Idem foret, si vir ex praecedente etiam unica fornicatione prolem haberet. Castro Palao *loc. cit. num.* 9. Coninck *loc. cit. nu* 62. et alii; idque ob rationem citatam; praesertim quia inde etiam redditur Matrimonium difficilius ob alimentationem prolis, et multas discordias exinde oriri solitas.

252 Resp. IV. Ob fornicationem Sponsae praecedentem, et consequentem Sponsalia, vir solvere potest Sponsalia, etsi Sponsa vi fuerit oppressa. Bosco *loc. cit. n.* 15. Sanchez *loc. cit. Disp.* 55. *n.* 7. Layman *loc. cit.* Navarrus *cap.* 22. *n.* 27. ✠. *Nono.* Sylvester ✠ *Sponsalia. q.* 10. *casu.* 7. *arg. can. Raptor.* 33. *cau* 27. *q.* 2. et ibi Glossa ✠ *Noluerit.* Ratio est; quia etiam per talem fornicationem Sponsae fit notabilis mutatio ex parte Sponsae. Accedit, quod raro inferatur tanta vis puellae, quin ejus saltem aliqualis consensus aut minor debito accedat cautela: vel resistentia. Putat nihilo minus Layman cum Sanchez *loc. cit.* quod, si aperte constet, Sponsam absque omni culpa esse, non posse resilire virum; cum ex tali violentia tantum dedecus viro non nascatur, ipsaque puella ex hoc ipso honestissima cognoscatur.

253 Resp. V. Etiam ob oscula, amplexus, aut tactus impudicos a Sponsa libere admissos, vel exercitos sive post, sive ante Sponsalia exercitos, Sponsus solvere potest Sponsalia. Bosco *loc. cit. nu.* 123. Layman *loc. cit. n.* 11. Sporer *in Theolog. Sacram p.* 4. *cap.* 1. *sect.* 2. *n.* 273. et alii. Ratio est; quia etiam in tali casu respectu Sponsae censetur adesse notabilis mutatio, censeturque talis foemina impudice vivere, ut proin eam merito horrere possit Sponsus.

254 Sponsi tamen oscula, et tactus impudici cum altera commissi ante Sponsalia non dant Sponsae causam sufficientem ad solvenda Sponsalia. Imo nec post illa, nisi fuerint frequentes. De antea factis patet; quia nec ipsa fornicatio praecedens id praestat, per dicta *numer.* 248. De postea autem factis docet Sanchez *loc. cit. Disp.* 55. *num.* 5. Bosco *loc. cit. num.* 125. Layman *loc. cit. n.* 11. Sporer *loc. cit. num.* 273. et alii; quia in viro tales actus ita probrosi non sunt, ac in foeminis, nec tam facile impudicae vitae notam incurrunt, nisi sint frequentes; uti bene limitant DD. citati, et merito; quia frequentia talium actuum post Sponsalia a Sponso cum alia habitorum, justum causat horrorem in Sponsa, estque contra *Regulam desponsationis*, fidelitatem nempe debitam, ob quod cuivis innocenti ex Sponsis licitum est resilire, teste clero *cit. c. Quemadmodum. de Jurejur.* ubi habetur in Sponsalibus tacitam hanc conditionem contineri: *Nisi contra Regulam desponsationis venerit.*

255 Quaesitur III. An, et qualiter solvantur Sponsalia per supervenientem mutationem corporis, fortunae, animi etc. Resp. I. Generaliter loquendo quandocunque post contracta Sponsalia ex parte unius intervenit notabilis, vel talis mutatio, ut si illam pars altera scivisset, aut praevidisset, Sponsalia non contraxisset; vel ex qua Matrimonium redditur notabiliter difficilius, licitum est parti uni ab altera parte mutationem hujusmodi patiente resilire, Abbas in c. *Quemadmodum.* 25. *de Jurejur. num.* 10. Sanchez *lib* 1. *Disp.* 62. *n.* 3. Bosco *loc. cit. Concl.* 4. Engel *h. t. num.* 11. Pirhing *h. t. nu.* 63. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *cap.* 2. *nu.* 18. cum communissima aliorum, *arg. cit. c. Quemadmodum* 25. *de Jurejur.* ubi ob hujusmodi mutationes facultas resiliendi alteri parti conceditur. Ratio est; quia promissio non obligat ultra intentionem promittentis, siquidem *Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum*, *arg. c. fin. de Praeb.* in his videlicet, quae dependent ab intentione agentium, uti Sponsalia. Atqui Sponsi non aliter invicem promittunt Matrimonium, quam sub hac tacita conditione: *Si res in eodem statu permanserit*, seu, *si notabilis mutatio non emerserit*, cum citatis bene observat Abbas *loc. cit. arg. cit. c. Quemadmodum. de Jurejur.* et *c. Per vestras de Donat. inter virum et mulier.*

Quandonam autem in specie sit censenda mutatio hujusmodi notabilis, standum judicio prudentum, praesertim Judicum, et assertioni promittentis, praecipue jurantis; adeo, ut, si Sponsus vel Sponsa jurato affirmet, quod Sponsalia minime fecisset, si talem mutationem futuram praevidisset, aut culpam occultam jam existentem prius scivisset, eidem in utroque Foro fides adhibenda sit, si judicio prudentum consideratis circumstantiis verisimile sit, eam non fuisse promissuram, casu quo ea scivisset, aut praevidisset, Sanchez *loc. cit Disp.* 62. *n.* 6. Layman *loc. cit. num.* 18. Navarrus *n.* 18. Sporer *loc. cit.* et alii. Ratio est; quia in his, quae ad animum pertinent, et hominibus non innotescunt, neque testibus probari possunt, ut sunt intentio interna, scientia, ignorantia etc. standum est juramento asserentis, Doctores citati post Covarruviam *lib.* 2. *Variar. Resolut. cap.* 10. *numer.* 1. §. *Tertio.* Mascardus *de Probat. Concl.* 45. *nu.* 48. *et Concl.* 94. *n.* 5. *arg. c. Pastoralis. de Except.* ibi: *Nisi is, qui voluerit opponere, fidem faciat juramento se postmodum ad notitiam illius venisse.* 256

Porro si quis dubitat, an contraxisset, pro utroque Foro praesumi potest, eum non fuisse contracturum, si mutatio talis sit, quod ob eam alii prudentes non contraherent. Bosco *loc. cit. nu.* 120. *ad finem*, reddens bonam rationem, quia fortissima praesumptio desumitur a communiter, et ordinarie accidentibus. 257

Resp. II. Inter corporis mutationes notabiles, ob quas a Sponsalibus resilire licet, sunt praeter alias etiam in specie sequentes. I. Si quis ex Sponsis fieret leprosus, vel paralyticus, vel oculos, vel nasum amitteret, Omnes teste expresso *c. Quemadmodum.* 25. *de Jurejur.* Idem est de aliis hujusmodi contagiosis, aut incurabilibus morbis, v. g. *epilepsia*, vel si os male oleat, et curari non possit, Layman *loc. cit.* Sanchez *loc. cit. Disp.* 57. *num.* 2. et alii communiter. Ratio est; quia de similibus idem est judicium, *arg. c. Translato de Constit.* Idem a fortiori dicendum, *si quidquam ei turpius evenerit*, uti habetur *cit. c. Quemadmodum.* Huc referunt DD. communiter etiam *morbum gallicum*: Verum quia morbus hic hodie a peritis Medicis perfecte et radicitus curari solet, ex eo solo causa solvendi Sponsalia non consurgat: praesertim, si dicat infirmus, se absque culpa eum contraxisse, esseque paratum ad curam et ejus expensas. 258

II. Licet resilire ob supervenientem, alterius, praesertim Sponsae, notabilem corporis deformitatem, aut membri amissionem, v. g. oculi etiam unius, vel auris, pedis, manus etc. Sanchez *loc. cit. Disp.* 57. *n.* 4. Layman *loc. cit. num.* 18. Innocentius *in cit. c. Quemadmodum.* et ibi Hostiensis, Sporer *loc. cit.* 259

num. 29. et alii. Ratio est; Tum quia etiam in talibus revera adest notabilis mutatio: Tum quia ratio ob quam in c. *Quemadmodum*, oculorum, seu nasus amissio praebet causam resiliendi, est, ne Sponsi ad invicem concipiant horrorem, et propterea a corpore sibi licito satisfactionem non habentes, aut horrorem concipientes, quaerant aliam occasionem, vel certe non sine gravi incontinentiae periculo, gravique onere perpetuo vivere debeant; atqui hae rationes militant etiam in casu quo notabilis corporis deformitas supervenit: ergo idem de ea dicendum, ubi enim *eadem ratio*, *eadem est legis dispositio*, *arg. c. Inter alia de Translat. Episc.*

260 III. Ob sterilitatem Sponsae, aut impotentiam, aut inhabilitatem rite congrediendi ex parte Sponsi. Menochius *Consil.* 786. *num* 12. cum communi ac certa. Ratio patet; quia Matrimonium principaliter institutum est ob generationem prolis per vulgaria.

261 Resp III. Circa mutationem in bonis fortunae solvuntur Sponsalia ex parte unius per supervenientem alterius gravem inopiam; vel si Sponsus valde dives etiam absque culpa sua vergat ad gravem inopiam, aut gravissimam patiatur jacturam bonorum, v. g. injuria belli, incendii, furti etc. vel si Sponsa promissam dotem afferre non amplius possit. Sanchez *lo cit. Disp.* 59. Layman *loc cit. num.* 18. Menochius *de Arbitrar. lib.* 2. *cent.* 5. *casu* 455. *num.* 6. et alii communiter ob rationem saepe allegatam; quia prudentum judicio censetur intervenire gravis ac notabilis mutatio. Accedit, quod in specie dotis promissio fuerit conditio, sub qua fuit promissum Matrimonium; consequenter illa non impleta, cessat promissio, *c. De Illis.* 3. *de Condit. apposit.*

262 Non autem una parte, Sponsa v. g. in suo bonorum statu permanente, si pars altera ex inopinato notabiliter fieret ditior, v. g. ex haereditate, possit propterea haec ab illa resilire, major est controversia. Affirmant Hurtado *Disp.* 2. *de Matrim. Diff.* 25. Perez *Disp.* 9. *sect.* 11. sed rectius negant Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 59. *num.* 6. Gutierez *de Sponsal. et Matrim cap.* 31. nu. 4. Castro Palao *de Sponsal. Disp.* 1. *punct.* 28. *n.* 5. Coninck *Disp.* 23. *dub.* 8. *num.* 29. Ratio est; Quia, cum pars altera non sit effecta deterioris conditionis, non potest privari jure suo. Nec obstat subito supervenienos fortuna: Tum quia alias etiam dissolvere quis posset Sponsalia ex eo; quia alia longe pulchrior, aut ditior ei vellet nubere, quod est contra communissimam Doctorum, et receptam praxim: Tum quia etiam in aliis contractibus, v. g. emptionis, quando aliqua res, v. g. equus justo pretio fuit emptus, debet actu tradi, licet pretium equi usque ad tempus traditionis creverit, Sanchez *loc. cit.*

263 Illud etiam circa supervenientem paupertatem observandum, quod, si ambo Sponsi post Sponsalia ad paupertatem deveniant, v. g. tempore belli, utraque pars a Sponsalibus pro libito resilire possit, ita, ut in hoc non detur compensatio paupertatis unius cum paupertate alterius. Castro Palao *de Sponsal Disp* 1. *pun.* 28. *num.* 4. Pontius *lib.* 12. *cap.* 17. *num* 8. Sporer *loc. cit. num.* 281. Bonacina, Tamburinus et alii, per Jura *num.* 255. allegata. Ratio est; quia, dum ambo ex statu honestiori ad paupertatem deveniunt, in ambobus contingit notabilis, et talis mutatio, ut ex hac ipsa minus apti sint ad onera Matrimonii sustinenda. Nec obstat, quod alias duo pauperes Sponsalia contrahentes resilire nequeant, sed ad nubendum obligentur. Nam contra est; quod, cum horum nullus patiatur aliquam mutationem, possint ambo sustinere Matrimonii onera pro conditione status pauperis (in quo jam prius tempore Sponsaliorum fuere) mendicando v. g. etc.

Resp IV. Non tantum ob supervenientem gra- 264
vem jacturam bonorum, aut paupertatem actu jam praesentem, sed etiam futuram, imminentem, ac prudenter timendam, v. g. *Exhaeredationem* parentum, consanguineorum, aut privationem Officii jam habiti, aut certae spei ad acquirendum, habet pars altera, mutationem non patiens, justam causam Sponsalia dissolvendi. Castro Palao *loc. cit. num.* 4. citans Seraphinum *Decis* 1258. *n.* 1. *et* 2. Pontius *lib.* 12 *cap* 17 *n.* 8. et alii. Ratio est, quia non tantum praesens malum, sed etiam prudens, ac in virum constantem cadens timor futuri ac imminentis mali causat notabilem rerum mutationem, *arg. c. Requisivit.* 17. *h. t.* consequenter sufficiens est ad resiliendum per dicta *num.* 255. Praesertim cum hodie in contrahendis Matrimoniis summe respiciatur non tantum ad bona praesentia, sed etiam certo, aut probabilissime obventura, ita ut saepe alteruter Sponsorum neutiquam contraheret, nisi spem prudentem futura bona acquirendi a comparte haberet. Verum de hoc amplius infra nu. 270. *et seqq* ubi de contradictione parentum, ac consanguineorum, minisque eorum de exhaeredando specialiter dicemus.

Resp V. Etiam ob notabilem mutationem ani- 265
mi, seu animorum juste solvuntur Sponsalia ex parte alterius. Omnes teste Palao *lo. cit. pun.* 27. *nu.* 7. Ratio est; quia bona animi praeferuntur bonis corporis, per vulgaria: ergo si ob horum mutationem licet resilire, etiam ob illorum licebit: argumento a *Minori* ad *Majus* desumpto conformiter *Auth. Multo magis. C. de SS. Eccles.* Patet etiam inductione, sic enim I. Ex parte innocentis solvuntur Sponsalia, si alicui ex Sponsis emergat gravis infamia, ob furtum, homicidium, adulterium, aut alterius criminis gravis, Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 57. *num.* 2. Palao *loc. cit.* Bosco *in Theolog. Sacram. p* 5 *Disp.* 11. *sect.* 2. *Concl.* 10 *num.* 153. cum Communi. II. Si Sponsus cognoscatur esse ebrietati, aut lusui multum deditus, Castro Palao *loc. cit.* Sporer *loc. cit.* n. 280 Gobath *tract.* 10. *casu* 8. *n.* 337.

III. Si in eodem deprehendatur notabilis morum 266
asperitas, aut saevitia. Gutierez *de Sponsal. et Matrim. cap.* 32. *num.* 1. Sanchez *loc. cit. Disp.* 58. *num:* 1. Bosco *loc. cit.* Abbas *in c. Veniens, Qui Clerici, vel voventes num.* 2. Palao *loc. cit.* cum communi et certa: ubi etiam specialis ratio est; quia ob hanc causam conceditur Matrimonii divortium, c. *Ad litteras. de Restitut. spoliat.* ergo multo magis dissolutio Sponsalium, *arg.* c. *Quemadmodum de Jejur.* quia *turpius ejicitur, quam non admittitur hospes*, ut ibidem dicitur. Nec obstat c. *Veniens.* 5. *Qui Clerici vel voventes*, ubi mulier recusans Sponso nubere ex eo, quod plura audiverit de severitate illius, dicitur violare votum, et jubetur puniri. Resp. enim cum Glossa ibidem communiter recepta: illius foeminae timorem fuisse vanum ac inanem, nec fuisse viri severitatem probatam.

IV. Si capitales ac graves inimicitiae, odia, et 267
extraordinariae animorum aversiones inter ipsos oriantur Sponsos. Gutierez *loc. cit num.* 2. Sanchez *loc. cit.* n. 3. Navarrus *cap.* 22. *num* 27. *casu* 11. Palao *loc. cit. n.* 7. Sylvester *V. Sponsalia q.* 10. *casu* 8. Gobath *tract.* 10. *casu* 8 *n.* 337. Diana *p.* 11. *tr.* 2. *Resolut.* 70 cum Communi ob rationem specialem *c.* 2. *et c. Requisivit.* 17. *h. t.* ne videlicet alias ex Matrimonio infelices sequantur exitus, continua aut frequentia jurgia, lites, scandala etc. Facit huc Decisio S. Congregationis apud Dianam, et Gobath. *loc. cit.* dicens, *quod, si unus Sponsorum ita incipiat abhorrere ab altero, ut serio dicat, se nulla quidvis*

pati, quam huic conjungi, *a coactione Judex desistere debent.* Attendere tamen Judex debet, ne interveniat simulatio, utpote quae in hoc puncto persaepe contingit, quamvis sine peccato mortali eam facere nunquam possint Sponsi, nec eam absque peccato gravi suadere valeant Advocati, multo minus Confessarii, eo quod Sponsalia sub gravi culpa obligent, nisi legitima resiliendi habeatur causa per dicta supra *num.* 137.

268 V. Solvuntur Sponsalia ob graves aut capitales inimicitias, odia, aut scandala inter parentes, aut consanguineos Sponsorum. Sanchez *loc. cit. Disp.* 14. *num.* 3. Castro Palao *loc. cit.* Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *cap.* 2. *num.* 18. Felinus *Consil.* 46. *num.* 21. Navarrus *cap.* 16. *nu.* 18. cum Communi *arg. c. Cum in tua h. t.* ibi: *De fama vel scandalo.* Monet tamen merito Sanchez, Castro Palao, et alii *loc. cit.* Judices, et Confessarios, ut caute procedant, et non facile vel statim credant, eo quod ad declinandum Matrimonium premissum saepe fiant falsae simulationes, jactentur minae, terroresque opponantur discordiarum, atque scandalorum pericula, quae tamen experientia teste, quando deferbuit primus impetus, et Matrimonium fuit celebratum, in nihilum recidunt, animique facile reconciliantur atque sedatur tempestas; praesertim, si ipsi conjuges ad invicem sunt bene concordes. Et certe raro contingit, quod ob Matrimonium contractum, inter parentes et consanguineos Sponsorum tantae inimicitiae, vel scandalorum aut discordiarum pericula immineant, quae ad dissolvenda Sponsalia sufficiant, ut proin (excepta notabili disparitate status, de quo infra *num.* 272. *et seqq.*) Judex rarissime, et non nisi bene consideratis circumstantiis, causaque vere cognita ex hoc capite pro Sponsaliorum dissolutione judicare debeat; cum ordinarie pericula, ut allegantur, non subsistant, nec quodvis scandali, aut discordiarum periculum sufficiat, consequenter plerumque pars altera certo jure suo privari non debeat, *arg. c. In pari.* 65. *de Reg. Jur. in* 6.

VI. Solvi subinde possunt Sponsalia ob constantem ac justam contradictionem conjunctam gravibus minis, praesertim de exhaeredando. Verum de hoc specialiter statim infra *num.* 270. *et seqq.*

269 Caeterum ratio universalis et ulterior omnium harum Sponsalia dissolvendi causarum est illa, quam dedimus, et ex Jure probavimus *num.* 255. *et numer. seqq.* Cui accedit, quod, si ob allegatas resilire non liceret, ordinarie grave nimis ac durum foret parti innocenti tale Matrimonium inire, ac plerumque infelices sequerentur exitus, ob quos vitandos, Sponsaliorum dissolutio conceditur, *c.* 2. *et* 2. *Requisivit.* 17. *h. t.*

270 Quaeritur IV. An, et quando constans contradictio parentum, vel consanguineorum, vel aliorum, e quibus unus Sponsorum multum dependet, una cum gravibus, minis, praesertim de exhaeredando, totaliter derelinquendo, Officio privando, aut negando etc. sufficientem causam praebeant ad solvenda Sponsalia? Placuit hanc causam per speciale Quaesitum specialiter examinare; quia in praxi frequentissime occurrit, et nisi bene, consideratis considerandis a Judice examinetur, facile ansam praebere potest, graviter praejudicandi partibus. Resp. I. Absolute, ac simpliciter loquendo, sola contradictio parentum aut aliorum non praebet sufficientem causam dissolvendi Sponsalia, etiam absque eorum praescitu et consensu inita. Haec Conclusio hodie communis est, et certa praxi Tribunalium Ecclesiasticorum, atque consuetudine, quae est optima legum interpres *c. Cum dilectus.* 8. *de Consuetud.* *et L.* 37. *ff. de Legib.* comprobata. Patetque ex dictis supra *num.* 25. *et seqq.* ubi diximus, et probavimus, valere Sponsalia etiam absque consilio, praescitu, et consensu parentum inita; consequenter etiam non obstante horum dissensu obligare; cum parentes solo suo dissensu facere, aut impedire non possint, quod proles eorum liberentur ab illo, ad quod sub peccato mortali tenentur; prout tenentur ad Sponsalia valide contracta, ut cum aliis bene advertit Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *cap.* 1. *n.* 14.

Non obstat, quod regulariter loquendo teneantur saltem ante Sponsalia petere consilium parentum, sicque absque praescitu eorum spondendo peccent, et Sponsalia illicita contrahant. Nam contra est, quod multa illicite fiant, facta tamen valeant; siquidem *multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem, indeque licite observari possunt et debent*, ut cum aliis bene observat Layman *loc. cit.* patetque in Matrimonio illicite contracto, et aliis. Accedit, facile contingere posse, quod parentes injuste contradicant; ergo absolute loquendo sola contradictio parentum ad solvenda Sponsalia non sufficit. Hinc Resp. II. Licet Sponsi sine praescitu parentum Sponsalia contrahentes ordinarie peccent juxta dicta *num.* 24. tamen, si sint inter se aequales, vel saltem non multum dispares, Sponsalia valent et obligant, debentque executioni mandari, non obstante contradictione parentum; imo peccant parentes conando impedire tale Matrimonium. Guttierez *loc. cit. num.* 29. Layman *loc. cit. num.* 14. §. *Quamvis.* et alii. Patet Conclusio tum ex *num. praeced.* tum ex eo, quod, licet promissio modo illicito, insciis nempe parentibus et inconsultis, sit facta, sicque illicita exstat, utpote peccaminosa ac illicita, tamen quia est de actu licito, et, quia consideratis etiam circumstantiis licite fieri potest; valet et obligat; consequenter parentes peccant impedimento liberos ab eo, ad quod sub peccato tenentur. 271

Resp. III. Si futurum inter Sponsos Matrimonium vergit in opprobrium parentum, ac dedecus familiae, parentesque exinde multum indignantur, offenduntur, contristentur etc. uti ordinarie contingit in casu notabilis disparitatis Sponsorum, tunc contradictio parentum non tantum justa fieri potest, sed etiam facta sufficientem praebet causam dissolvendi Sponsalia: imo in tali casu Sponsalia ex se censentur nulla ac invalida. Guttierez *lib.* 1. *Con qq cap.* 20. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p* 1. *cap.* 1. *num.* 14. §. *Enimvero.* Menochius *Consil.* 69 Sporer *in Theolog. Sacram. p.* 4. *cap.* 1. *sect.* 2. *n.* 203. Gobath *Tr.* 10. *casu* 3. *n.* 105. *et* 106. Ratio est; quia in tali casu Matrimonium esset contra pietatem et charitatem parentibus et consanguineis debitam; imo etiam contra justitiam, utpote in praejudicium aliorum inique vergens, consequenter illicitum, atqui ad Matrimonium illicite, seu cum peccato contrahendum nemo potest obligari: Nam *in malis promissis fidem non expedit servari*, *c. In malis.* 69. *de R. J. in* 6. *Impia enim est promissio, quae scelere completur*, ut dicitur *can. In malis.* 5. *cau.* 22. *q.* 4. unde ibidem dicitur: *In malis promissis rescinde fidem.* Concordat *l. Juris gentium* §. *Generaliter. ff. de Pactis*, et *L. Generaliter.* 26. *ff. de V. O.* ibi *Generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti.* 272

Quod autem sit contra pietatem et charitatem, quin et contra justitiam alicui indigno, aut indigne cum probro, ac dedecore parentum nubere, patet ex *l. un. C. de rapt. virg* Et ratio est; quia parentibus et propinquis probrum, ac dedecus inique inferre, eosque graviter ac injuste offendere, et contristari contra charitatem ac pietatem eis debitam est, per se, quae Theologi communiter de quarto Praecepto Decalogi scribunt. Imo quia

etiam in eorundem detrimentum vergit, cum exinde Famil·a maculam contrahat, minus aestimetur, et ab aliis horreatur, etiam iniuriosum, et consequenter contra justitiam est.

273 Infertur I. cum praefatis Doctoribus, ordinarie loquendo in casu, quo Sponsalia fiant cum indigna parte, aut magna vel notabili cum disparitate, ut si quis de nobili stemmate Matrimonium promittit puellae plebeiae, aut econtra, Sponsalia non nulla esse, aut contradictionem parentum vel consanguineorum sufficientem praebere causam eadem dissolvendi, ob Jura et rationes allegatas. Quibus accedit, quod cum Sponsalia inter notabiliter inaequales, aut cum indigna ordinarie proveniant ex lascivo amore, qui utpote caecus praevidere non permittit sequentia inde plurima mala, ordinarie etiam infelicem exitum in Matrimonio habeant, subsequentibus plerumque continuis dissidiis, litibus, jurgiis ac scandalis inter ipsosmet, qui caeco amore seducti Matrimonium inaequale contraxerunt (quod ipsum ad dissolvenda Sponsalia jam sufficientem causam praebet, *arg. c. Requisivit. h. t.* et per dicta supra *numer.* 267.) Postquam enim amor ille ardens et caecus post immodicam libidinem in Matrimonio brevi tempore deferbuit, incipit notabilitas dignior tunc primum serena mente clare videre stultitiam, quam commisit, praejudiciumque, ac probrum, quod sibi et aliis intulit, indeque amor vertitur in odium et aversionem ita ut etiam incipiat compartem contemnere, vilipendere, aversari, indignari, suum et compartis scelus detestari, secutumque inde effectum Matrimonii maledicere; ut majori odio habere, quam prius amor erat.

274 Et hoc plurimis confirmari posset exemplis tam sacris quam profanis: sufficiat exemplum Amonis, qui, licet ingenti aestu amoris libidinosi deperiisset Thamar sororem, tamen postquam *concubuit cum ea, exosam eam habuit Amon odio magno nimis: ita ut majus esset odium, quo oderat eam, amore, quo eam dilexit, Lib. 2. Reg. cap* 13. ℣. 15. Sic etiam Joanne II. Regina Neapolitana licet ingenti amoris libidinosi aestu deperiret Joannem Carazolum Rofeum ignobili genere ortum, cumque in Matrimonium duceret, tamen ob conditionis imparitatem eum brevi contemnere, et tanto odio habere caepit, ut illum etiam trucidari jusserit, prout *loc. cit.* refert Mancelius. Plura de disparitate Matrimonii vide apud Tiraq. *de Legib. Connubii, leg.* 5. Huc quadrat etiam illud Ovidii.

Si qua voles apte nubere, nube pari.

275 Infertur II. cum Guttierez *loc. cit. nu.* 10. *et* 23. Menoch. *loc. cit.* et aliis, in casu, quo Nobiles cum ignobilibus, aut alias notabiliter dispares insciis, aut invitis parentibus Sponsalia faciunt, Episcopos non debere, imo nec licite posse gratificare Sponsis, dum remissionem ob disparitatem in Denuntiationibus petunt, illam ordinarie allegando causam, quod parentes ex Denuntiationibus in notitiam venientes sint injuste impedituri Matrimonium, ac libertatem status de Jure eis debitam impedituri. Cum enim parentes in tali casu juste impedire ac contradicere valeant, Ordinarius omittendo Denuntiationes, hoc jure eos non privare, sed potius eodem pro libitu utendi liberam facultatem habeant Denuntiationes praefatas fieri curare debet; praesertim, cum ipsis liberis exinde nulla irrogatur injuria, utpote qui in parentibus obtemperare, et tale Matrimonium omittere tenentur, nec ab aliis (ut supponitur) sibi magis conducente Matrimonio impediuntur. Quin imo notant citati Doctores, quod Reverendissimi Ordinarii etiam prohibere teneantur, ne quis ex Parochis assistat Matrimonio, cum quo parentes graviter contrarios agnoscit. Ratio est; quia concedere nequit, quod Matrimonium illicite, ac cum peccato contrahatur, uti sic fieret, juxta dictum 272. Plura vide apud Guttierez *loc. cit.*

Has tamen doctrinas e n. 272. limita conformiter doctrinae n. 123. positae.

276 Infertur econtra III. Posse, imo debere Reverendissimo Ordinario in Denuntiationibus dispensare, quando contradicunt parentes, et varia impedire conantur, aut minantur, Sponsalia etiam insciis, ac invitis parentibus inter aequales tamen, vel saltem non multum, nec notabiliter inaequales contracta, eo quod, licet tales insciis, ac inconsultis parentibus contrahendo Sponsalia ordinarie peccent, juxta dicta *numer.* 24. tamen post ea jam contracta ad eadem servanda graviter obligentur, juxta dicta *num.* 27. ita, ut tam ipsi non observando, quam parentes impediendo gravia committerent peccata, quae, si per dispensationem in Denuntiationibus evitare valet Ordinarius, utique dispensare potest, et tenetur, praesertim si etiam videt periculum esse, ne Sponsalibus, de futuro Matrimonio palam factis, parentes, consanguinei, aut alii uni ex Sponsis mortem, aut aliud grave malum inferant, quae pericula plerumque illico evanescunt, si Matrimonio jam contracto parentes et alii videant, rem jam esse factam, nec ullum amplius contra eam esse remedium.

277 Resp. IV. Si contradictio parentum aut consanguineorum (a quibus certo speratur notabilis haereditas) conjuncta est cum seriis et justis minis ex tuto exhaereditandi aliquem Sponsorum, si huic, cum quo Sponsalia contraxit, nubat, habet pars altera justam causam dissolvendi Sponsalia, casu quo alias haereditas notabilis esset speranda. Hanc Conclusionem tenent Omnes numer. 264. citati. Probaturque fundamentis ibidem positis. Et hic solum notanda verba, *cum seriis ac justis minis*: quia, si probabiliter constat, minas non serias, sed tantum ad terrendum intentatas esse, utique sufficientes ad solvenda Sponsalia non sunt: sicut, nec, si seriae quidem, sed non justae existunt; prout forent, si parentes minitarentur exhaereditare prolem, si cum altero aequali, vel saltem notabiliter inaequali, post Sponsalia jam contracta Matrimonium, ad quod juxta dicta *num.* 271. jam tenetur, contrahat, hoc ipso enim, quod minae in tali casu sint injustae, inefficaces existunt, consequenter timendae non sunt, cum ex eo, quod quis invitis parentibus nubat alicui digno, et aequali, aut saltem notabiliter non inaequali, de Jure nulla proles ex toto exhaereditari possit, per dicta *Lib.* 3. §. *XV. a. n.* 499.

278 Aliud foret, si minae exhaereditandi provenirent a consanguineis; cum enim horum haeres necessarius Sponsus consanguineus lateralis non existat, consequenter absque omni causa exhaereditari valeat, *per dicta lib. III. Tit. XXVI. de Testam.* §. *XIII. de Haeredibus*. etiam in tali casu minae eorum merito timendae forent, et consequenter sufficientem resiliendi causam alteri parti praeberent per dicta *n.* 264. Et itidem ob paritatem rationis dic, si alii minantur privationem Officii jam habiti, aut negant aliquod conferre, quod alias conferrent, si huic non nuberet, cum tamen pars altera ob possessionem et spem talis Officii Sponsalia contraxerit, non contracturus cum illo, si scivisset, quod tale Officium compars amitteret, vel non acquireret.

279 Resp. V. Etiamsi parentes solum minentur, vel efficaciter minari possint exhaeredem facere prolem usque ad Legitimam, si huic etiam digno et

aequali, aut non multum dispari nubat, habet pars altera justam resiliendi causam, si ex tali exhaereditatione notabilem jacturam pateretur compars. Hanc Conclusionem ex consequenti docere tenentur omnes, qui tenent, Sponsum resilire posse a Sponsa, si haec salva dote promissa, ac debita patiatur damnum notabile in bonis, quae pro dote non promisit. Et sunt Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 59. *n.* 4. Castro Palao *de Sponsal. Disp.* 1. *punc.* 28. *num.* 3. Abb. *in c. Quemadmodum* 10. *de Jurejur.* Navarr. *cap.* 22. *nu.* 27. Sylvester *V. Sponsalia. q.* 10. *casu* 9. Gutierez *cap.* 33. *num.* 4. *et alii.* ob rationem jam saepe allegatam; quia privatio spei certae circa bonum notabile, etsi de Jure non debitum, intuitu cujus Sponsalia contrahi prudenter praesumuntur, facit notabilem mutationem; consequenter sufficienter praebet resiliendi causam per dicta *num.* 264.

280 Idem ob Juris et rationis paritatem dic, si parentes serio et juste minantur, nec dotem, nec aliud quidpiam dare proli, casu quo huic nubat, supposito, quod alias dos, aut alia a parentibus proli nubenti tradenda essent quid notabile; quia si modicum foret, utique curandum et attendendum non esset, hoc ipso, quod notabilem mutationem non causet.

281 Verum Conclusiones, et inde sequentem doctrinam a *nu.* 277. positas limita in casu, quo alter haec omnia praesidit, aut praescivit, praesertim si tempore contractus Sponsalitii expressit, *etiamsi parentes, aut consanguinei tui nihil tibi dent, vel te exhaereditent, aut si non acquiras hoc Officium, aut illo priveris etc. tamen te accipiam.* Ratio patet; quia tunc non censetur adesse mutatio, ob quam, si eam praevidisset, Sponsalia contracta non fuissent; consequenter nulla subest resiliendi causa.

Caeterum praefatas Conclusiones, et inde deductas doctrinas a *num.* 277. positas intellige de causa dissolvendi competente parti alteri minas non patienti. Jam sequuntur Conclusiones de ipso, vel alio, cui a parentibus intentantur minae exhaereditandi, aut aliud grave malum inferendi, et resolvitur, an huic quoque exinde enascatur jus et causa dissolvendi Sponsalia contracta. Estque differentia Conclusionum harum bene notanda illis, qui ex minis cui intentatis, promiscue pro utraque parte minus recte desumunt justam causam solvendi Sponsalia.

282 Resp. itaque VI. Pars illa Sponsorum, cui minae etiam gravissimae v. g. ex toto, vel ex parte exhaereditandi in quantitate notabili, vel privandi pingui Officio, aut illud denegandi, aut aliud grave malum fortunae inferendi, non habet pro se justam causam solvendi Sponsalia, si compars non obstantibus talibus minis eam ducere, illamque statui conformiter sustentare vult et potest, vel si pars minas patiens aliunde media adhuc habet, quae concurrentibus mediis, et auxilio compartis ad vivendum juxta statum sufficiunt. Hanc Conclusionem etsi expressam apud DD. non inveniam, tamen ex communi eorum doctrina evidenter ita probo. Juxta communissimam doctrinam mutatio notabilis ex parte unius post Sponsalia emergens non praebet utrique parti justam causam resiliendi juxta dicta supra *arg.* c. *Quemadmodum.* 25. *de Jurejur.* ubi non utrique Sponso, sed illi tantum ob supervenientem mutationem datur facultas resiliendi, qui mutationem passus non est. Et confirmatur adhuc exemplis: sic enim etsi unus Sponsorum mutationem in bonis famae, corporis, aut fortunae patiatur, v. g. etsi ob adulterium interea commissum infamis fiat, vel etsi aures, vel brachium ei abscindantur; vel etsi per hostiles incursus aut incendium suis bonis spolietur, tamen exinde non huic mutationem patienti, sed alteri solummodo parti praebetur causa pro libitu resiliendi, ita tamen, ut, si parti tam gravem mutationem passae nihilo minus conjungi velit, omnino possit, et illa conjungi teneatur: ergo si ob gravem mutationem in bonis etiam fortunae actu jam factam resilire non potest pars mutationem et jacturam bonorum passa, casu quo eidem nihilo minus adhaerere velit pars altera, multo minus resilire poterit ob mutationem, et gravem jacturam bonorum primum futuram, si hac non obstante eidem adhuc conjungi velit compars.

283 Ratio est; quia pars mutationem et jacturam passa non habet exceptionem contra suam compartem, sed tantum haec contra illam; consequenter sola pars exceptione carens repellere potest partem exceptione infectam, non autem haec illam. Accedit, quod Jura ob mutationem supervenientem concesserint facultatem resiliendi in favorem partis mutationem non passae; ergo non debet concessio in odium retorqueri: nam juxta *Reg.* 6. *Juris in* 6. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum;* retorqueretur autem in ejus dispendium, si ob mutationem sui Sponsi non posset ei amplius nubere, etsi vellet, et ob specialem affectum, aut considerationem id desideraret.

284 Confirmatur, si ob supervenientem mutationem, et jacturam actualem, vel futuram bonorum fortunae, v. g. ob futuram exhaereditationem parentum aut consanguineorum etiam pars mutationem et jacturam passa, vel passura haberet sufficientem causam resiliendi, sequerentur plura absurda, videlicet I. Quod quivis Sponsorum facile elidere posset Sponsalia, simulando, aut ad tempus efficiendo se infirmum, difformem, vel quod sibi esset ablata notabilis pars bonorum; vel instigando tertium, ut intentat minas, grave malum in bonis fortunae inferendi, si huic nubat etc. prout consideranti patet.

285 Sequeretur II. Et quidem principaliter ad propositum, quod, si ob minas exhaereditationis usque ad Legitimam, etiam ipsa pars exhaereditanda haberet justam causam resiliendi, possent sola contradictione parentum cuncta Sponsalia dissolvi, quia in quovis casu, etiam nulla alia existente causa parentes semper licite dicere possent; *si huic nubes, usque ad Legitimam te exhaeredem facio*, hoc ipso, quod plus quam Legitimam proli relinquere non teneantur, possintque hanc exhaereditationem usque ad Legitimam de Jure licite et valide semper, et pro libitu facere, *per ea, quae dicta sunt lib. III. Tit. XXVI.* §. *XIV.* Quod autem haec sequela absurda sit, patet: Tum quia est contra communem doctrinam negantem, sola contradictione parentum posse solvi Sponsalia juxta dicta supra *numer.* 270. Tum quia est contra communem Tribunalium praxin et consuetudinem, *quae est optima Legum interpres, L.* 37. *ff. de Legib.* videmus enim, Sponsos non obstante gravissima contradictione parentum ad Sponsalia servanda obligari. Tum quia ipsis Sponsis, vel etiam aliis praeberetur ansa pro libitu resiliendi, aut dissolvendi Sponsalia, dummodo nempe instigarent parentes aut consanguineos, ut dicant, se Sponsum exhaereditaturos, si huic nubat. Absurdum autem in omnibus dispositionibus semper est evitandum *arg. l. Nam absurdum ff. de Bonis*, adde ut ad evitandum absurdum etiam verba modo, quo possunt, impropriari debeant, Tuschus *litt. A. Concl.* 66. *n.* 17. Barbosa de *Axiomat. Jur. Axiom.* 2. *Absurdum.* et alii.

286 Dicitur autem notanter in Conclusione *numer.* 282. posita: *Si non obstantibus talibus minis compars eam statui conformiter sustentare vult, et potest,*

aut pars minus patiens aliunde media adhuc habet, quae, concurrentibus mediis, et auxilio compartis ad vivendum juxta statum sufficiunt. Si enim pars minus patiens ob futurum Matrimonium suo, quem tempore Sponsaliorum habuit, statu cedere deberet, ut nec ipsa, nec compars haberent media ad vivendum juxta priorem statum, utique etiam pars minus patiens justam haberet causam resiliendi, Cardinalis de Luca *de Matrim. discurs.* 8. *num.* 11. quia tunc subintrat illud vulgatum: *Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum*, *arg. c. fin. de Fraeb.* non autem praesumitur voluisse, quod alteri nubere velit, etsi ob id solum statu suo cadere deberet, sed praesumitur potius sub tacite conditione promisisse: *si ob Matrimonium futurum notabilis mutatio praesertim quoad statum non imminent*: timor enim cadendi statu est revera sufficiens resiliendi causa. Castro Palao *de Sponsal. Disp.* 1. *punc.* 28. *n.* 4. concordant dicta *num.* 164.

287 Limita tamen *praeced. num.* doctrinam in casu, quo pars minus patiens, eas tempore Sponsaliorum praevidit: praesertim si eas in pactum deduxit, justa dicenda infra *numer.* 293. Porro quandonam una pars ob futuram exhaereditationem statu cadere censeatur, regula certe dari non potest, sed ut bene observet Cardinalis de Luca *loc. cit. n.* 11. arbitrio prudentis Judicis relinqui debet; qui consideratis diligenter considerandis omnibus circumstantiis, et qualitatibus personarum, locorum, temporum, et mediis Sponsorum judicabit, *an* revera exhaereditationis minus patiens statu cadere debeat, nec ne? si sic, eam a Sponsalibus absolvat: si minus, ad nubendum condemnet Judex. Juvat tamen pro majori claritate, ut faciliori praxi ex dictis aliqua in specie inserere.

288 Infertur itaque I. ex dictis e *num.* 287. Quod, si puella dives, invitis aut insciis parentibus, alteri pariter diviti, aut pingue Officium habenti promittat Matrimonium, ad illud ineundum teneatur, etiamsi contradicentes parentes exhaereditationem vel ex toto, vel ex parte minentur, dummodo ostendat Sponsus, quod non obstante tali exhaereditatione puellam mediantibus propriis suis mediis, vel officio, opificio, vel arte statui competente sustentare valeat per dicta *num.* 282. *et seqq.*

289 Infertur II. Idem dicendum esse, si pars minus patiens aliunde adhuc media habet, aut certo sperare potest, quae vel sola, vel conjunctae cum mediis, auxilio, arte, et labore Sponsi sufficiunt ad vivendum justa statum. Hinc omnino audiendi sunt Sponsi, qui ad objectas serias, vel simulatas minas exhaereditandi filiam respondent: *ego non curo, nec desidero vestras pecunias; quia possum et volo absque his et me, et illam mediantibus meis propriis mediis, aut arte, Officio, opificio etc. statui conformiter sustentare*: aut si dicunt, et probare valent, quod puella aliunde adhuc habeat media, quae vel sola, vel *conjuncta* cum suis sufficiunt; quorum alterum ordinarie contingit, *indeque* exhaereditationis minas Ordinarie insufficientes esse, patet.

290 *Infertur* III. Quod reciproce etiam Sponsus non obstantibus suorum parentum minis exhaereditandi teneatur ducere puellam, si hanc vel suis mediis, exhaereditationis effectum resarcire: vel etiam pauperrime ostendere valeat, quod Sponsus non obstante exhaereditatione aliunde media habeat, aut mediante Officio, arte, labore etc. habere possit, quae ad vivendum justa statum eidem sufficiunt. Id, quod frequenter contingit, adeoque Sponsos plerumque obligat, ut Sponsam etiam pauperem ducere debeant.

291 Infertur IV. Quod, si puella Sponsalia contrahat cum indigo, vel qui officio, arte, et mediis ad sustentandam puellam justa statum, in quo, tempore sponsaliorum existebat, sufficientibus caret, parentum minae de eadem totaliter exhaereditanda, sufficientem ei praebeant causam resiliendi, non obstante, quod Sponsus dicat, *ego non curo pecunias, nec eas, sed puellam volo*; justa enim reponit puella: *Amice habe me excusatam, ego non teneor cum status mei interitu tibi copulari, et tecum in paupertate vivere, quae usque modo in omni abundantia aut sufficientia vivebam. Promisi quidem tibi Matrimonium, sed non vidi, nec praescivi, parentes meos, si tibi conjungar, exhaereditaturos: unde dimitte me, vel ostende, quomodo statui conformiter sustentare me velis ac possis.*

Infertur V. Idem esse, si Sponsus ex eo, quod 292
certae puellae conjungi velit, exhaereditandus, aut officio, et inde etiam statu suo privandus foret, puella non habente, unde defectum suppleat, et faciat, ut non obstante exhaereditatione, aut officii privatione nihilo minus statui pristino conformiter vivere possent.

Porro, si pars minus patiens, eas earumque effectum 293
bene praevidit, et multo magis si tempore Sponsaliorum eas etiam in pactum deduxit, dicendo, v. g. *scio quidem, ac praevideo, parentes meos summe fore contrarios, indeque me vel ex toto, vel ex parte exhaereditaturos, aut omne auxilium mihi denegaturos*: aut si dicat: *Etiamsi parentes, vel consanguinei me essent exhaereditaturi; vel etsi privarer illo officio. gratia etc. consequenter statui meo conformiter vivere non amplius valerem, nihilo minus Matrimonium tibi promitto, et promissum servabo, licet etiam* (uti amore capti plerumque addere solent) *tecum mendicare deberem etc.* tenetur alteri nubere, non obstante, quod propterea statu cadere deberet. Ratio est; quia in tali casu unicam, quae ipsum excusaret, causam ipsemet annullavit, ac infirmavit, jurique suo renunciavit, quod quilibet potest, *c. Si de terra.* 6. *de Privilegiis*, ibi: *Cum liberum sit unicuique juri suo renuntiare.* Nec amplius habet regressum, qui semel renuntiavit juri suo, *l. Quaeritur.* §. *Si venditor. ff. de Ædilit. edict.* ut *l. Si maritus.* 15. §. *Si negaverint ff. ad Leg. Jul. de Adult.*

Quaeritur V. An, et quomodo solvantur Spon- 294
salia ob superveniens impedimentum? Resp. I. Per superveniens impedimentum dirimens, v. g. affinitatem contractam ex copula carnali habita post Sponsalia cum consanguinea in primo vel secundo gradu alteri Sponsorum juncta, solvuntur Sponsalia ex utraque parte. Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 56. Guttierez *de Matrim. cap.* 32. *num.* 1. cum unanimi aliorum. Ratio est; quia stante impedimento dirimente nec licite nec valide contrahi potest Matrimonium. Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 4. Ad impossibile autem nemo tenetur, *l. Impossibilium. ff. de Reg. Juris*, ergo.

Resp. II. Tenetur nihilo minus is, cui culpa 295
sua fornicando v. g. cum consanguinea Sponsae impedimentum dirimens posuit, propriis sumptibus Romae dispensationem procurare, si pars innocens velit. Sanchez *loc. cit. num.* 2. Ledesma *de Matrimon. q.* 45. *a.* 3. *causa* 3. Sporer *in Theolog. Sacram. p.* 4. *cap.* 1. *sect.* 2 *num.* 276. cum communi. Ratio est: tum ne alias ex iniquitate sua commodum reportet, contra dispositionem *l. Non fraudantur. ff. de R. J.* Tum quia culpabiliter apponendo impedimentum, injuste laesit jus alterius, consequenter ex justitia tenetur illud reparare, si potest, *arg. c. fin. de Injur. et damn. dat.* potest autem procurando dispensationem; ergo.

Limitant Sanchez, et Guttierez Conclusionem 296
in casu, quo valde magnae, et extraordinariae expensae essent necessariae ad obtinendam dispen-

sationem. Verum hanc limitationem rejiciunt Castro Palao, et Ledesma *loc. cit.* eo quod jus ad Matrimonium in se revera etiam sit magnum, et pretio satis aestimabile, consequenter injuste laesum expensis etiam magis reparari debeat, *arg. cit. c. fin. de Injur. et damn. dat.* Illud communiter etiam Adversarii concedunt, quod, si ex non secuto Matrimonio emergeret parti innocenti grave damnum in bonis famae aut fortunae, ad dispensationem magnis quoque expensis procurandam teneretur.

297 Verum haec limitatio Doctorum frustranea videtur; eo quod dispensatio in tali casu ordinarie, vel nullis, vel modicis expensis obtineri valeat, hoc ipso, quod ordinarie impedimentum affinitatis proveniat ex copula manente occulta, adeoque dispensatio non in Dataria, sed Poenitentiaria obtineri possit ac debeat. In Poenitentiaria autem dispensationes sine ullo obulo obtineri, et a quovis Confessario procurari valeant; dummodo Reus modicas postea expensas solvat, ad quas utique tenetur juxta dicta *num.* 295.

298 Dices: quae de Jure fieri nequeunt, impossibilia censentur *arg. l. Apud Julianum. ff. de legat.* I. Ad impossibile autem nemo tenetur, etsi dispensatione tolli possit, ergo. Resp. Argumentum non procedere, quando dispensatio necessaria est ad resarciendum jus tertii injuste violatum; cum justitia exigat, ut cuivis reddatur jus suum modo possibili; consequenter, quia resarciri per dispensationem bene potest, ad eam procurandam utique tenebitur injustus violator. *arg. cit. c. fin. de Injur. et damn. dat.* Resp. Circa impedimenta impedientia tantum, cum ad praesens solummodo *votum* in quaestionem veniret, de hoc autem an, quando, et quomodo Sponsalia dirimat, jam supra diximus et adhuc dicemus infra *Tit. VI. qui Clerici vel voventes* hic nihil amplius repetendum duximus.

299 Quaeritur VI. An hactenus recensitae dissolvendi Sponsalia causae facultatem praebeant, quando non post Sponsalia emergunt, sed prius existebant? Resp. Affirmative, Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. Disp.* 63. *num.* 2. Palao *de Sponsal. Disp.* 1. *punc.* 29. *nu.* 1. Guttierrez *cap.* 234. *de Matrim. n.* 2. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *cap.* 2. *num.* 19. cum communissima aliorum. Ratio est; quia in Jure paria sunt, supervenire aliquam talem causam, et ignoranter praecedere; cum res tunc de Jure censeatur fieri, quando innotescit, *arg. c. Pastoralis. de Except.* De Jure enim paria sunt *non esse, et non apparere, arg. l. In leg. ff. de Contrah. Empt.* consequenter, quando causa aliqua latet, censetur nondum esse, et quando dein innotescit, perinde est, ac si de novo superveniret. Hinc in generali, et simplici obligatione non censentur comprehensa ignota illa, quae cognita ab obligatione contrahenda prudenter averterent. *arg. l. Obligatione generali*, 6. *ff. de Pignor.* et *L.* 1. *C. Quae res pignori*, *et c. Veniens de Jurejur.*

300 Limitatur tamen Conclusio in casu fornicationis, tactuum, et osculorum a Sponso ante Sponsalia commissorum, juxta dicta a n. 246. ubi etiam *n.* 247. habes objectionem contra Conclusionem ex *c.* 25. *de Jurejur.* solutam.

301 Quaeritur VII. An Sponsus, vel Sponsa laborans aliqua ex dictis causa, aut defectu occulto, qui cognitus a Sponsalibus averteret, eo tacito licite possit contrahere Sponsalia, et compartem ad executionem compellere? Resp. Si alteruter Sponsorum laborat tali defectu, qui multum noxius futurus foret etiam alteri parti, vel Matrimonium notabiliter redderet difficilius, tenetur vel a contractu abstinere, vel illum defectum detegere, sive ante sive post Sponsalia emerserit. Palao *loc. cit. punc.* 30. *numer.* 5. Perez *Disp.* 11. *sect.* 2. *numer.* 9. Gobath *Tract.* 10. *Casu* 9. *num.* 367. Coninck *Disp.* 23. *nu.* 10. *Turrian. Pontius.* Sporer *p.* 4. *cap.* 1. *sect.* 3. *n.* 286. et alii contra Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 68. Ratio est; quia alias in contractu graviter deciperet compartem, et contra justitiam peccaret, sicut qui merces inutiles, aut noxias venderet credenti eas bonas, et utiles esse, *L.* 1. *ff. de Ædilit. edict.* et amplius dictum est *Lib. III. Tit. XVII. de Empt. et Vendit. l.* 13. *ff. de Action. Empt. et Vendit.* Hujusmodi defectus esse censentur, *paralysis*, *epilepsia*, *lepra*, *morbus gallicus* (nisi curetur) vel alius morbus contagiosus; *infamia* ex genere, vel ex delicto proveniens, *impraegnatio* Sponsae ab alio facta etc. haec enim et similia Matrimonium revera notabiliter difficilius reddunt, utpote quae vel generationem impediunt, vel a sociali vita avertunt, vel honestae educationi prolis officiunt, vel aversionem, aut discordias continuas generant etc. Fatentur nihilo minus DD. communiter, Matrimonium occulto tali defectu illicite contractum esse validum.

Resp. II. Si occultus defectus ita non nocet, nec Matrimonium notabiliter difficilius reddit, licet minus 302
commodum, et appetibile efficiat, non tenetur eum manifestare laborans illo. Palao *loc. cit. n.* 2. Coninck *Disp.* 23. *dub.* 12. *Concl.* 1. Sporer *loc. cit.* Pontius *lib.* 12. *cap.* 18. *num.* 6. et reliqui *num. praecedent.* citati, cum communi aliorum. Ratio desumitur ex consuetudine et communi consensu, quo receptum habetur, quod nec in Sponsalitio, nec in aliis contractibus leviores defectus invicem manifestantur, indeque sibi adscribere quaevis pars debeat, si de illis sufficienter non indagaverit. Hujusmodi defectus leviores dicunt DD. praefati, esse, si Sponsa ante vel post Sponsalia fuit fornicata. si alteruter sit deformis, pauper, aut ignobilis, tamen credebatur dives, aut nobilis: item si quis habet deperditos mores, quos proponit corrigere etc. Imo addit Palao *loc. cit.* Sanchez *lib.* 6. *Disp.* 27. *num.* 9. Sponsam recens nuptam, quae virgo putabatur, et tamen est corrupta, licite posse uti mediis aliquibus ad suum vitium occultandum, ne a viro deprehensa male tractetur; quia per hoc viro non nocet, nec facit injuriam, et sibi favet.

Resp. III. Si alteruter Sponsorum laboret defectu 303
occulto leviori juxta *num. praeced.* potest insuper cogere compartem ad servanda Sponsalia: secus, si laboret defectu occulto Matrimonium notabiliter difficilius reddente: ita citati DD. Ratio *prioris partis* est. quia, cum laborans occulto defectu minus nocivo sine peccato injustitiae Sponsalia valide contrahat, indeque jus ad Matrimonium acquirat, atque ad illud cogere potest; quia jure suo uti, illudque prosequi quivis potest, *per vulgaria*. Ratio *secundae partis* patet; quia hoc ipso, quod, uti ex *num.* 301. supponitur, ipsemet contrahere sine peccato injustitiae non possit, alteram ad secum contrahendam adigere non valet. Plura de hac utpote magis Theologica quam Juridica quaestione, potiusque internum, quam externum Forum concernente, vide apud DD. citatos.

Quaeritur VIII. An, et quando in casu existentis 304
causae dissolvendi Sponsalia, censeatur pars altera renuntiare juri suo, quod habet ad dissolvenda Sponsalia; praesertim an eidem renuntiet per fornicationem cum Sponsa, postquam defectus innotuit, habitam? Ante responsionem notandum, sicut in aliis, ita et in puncto dissolvendi Sponsalia, quemvis posse renuntiare juri suo, *arg. c. Si de terra.* 6. *de Privileg.* Tacite vel expresse, verbis vel factis: *Verbis expresse* renuntiat, si cognito defectu alterius dicit; se eo non obstante velle eidem nubere. *Facto expresse* renuntiat, si cognito prius latente, vel primum superveniente defectu eidem nubi-

lo minus acto nobit. Idem facere censetur, qui ante Sponsalia contracta defectum seu caussam alias ad solvendum sufficientem, in altero bene scit, et tamen Sponsalia cum eo contrahit; talia enim ob hujusmodi defectum prius jam cognitum Sponsalia solvere minime potest; nam semper juste reclamat pars altera dicendo: tu me ita constitutam optime sciebas, et tamen Sponsalia mecum ut tali contrahebas, consequenter mihi ut tali nubere debes, *scienti enim, et consentienti non fit injuria, neque dolus*, c. 27. *de Reg. Jur.* in 6. Et haec omni controversia carent. Hinc Quaestio sola remanet, an, et quando per subsequentem fornicationem tacite censeatur renunciare juri suo? Ad quam

305 Resp. Si Sponsus vel Sponsa post cognitam caussam de novo advenientem, aut prius latentem, copulam habet cum sua comparte, tacite censetur renuntiare juri dissolvendi Sponsalia. Bosen *p.* 5. *Disp.* 11. *sect.* 2 *Concl.* 13. Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 66. Tambur. *Tract.* 3. *cap.* 5. §. 9. *num.* 4. Layman. *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *cap.* 2. Sporer *loc. cit. num.* 285. cum communi Probatur Conclusio; quia ipsi etiam conjuges Matrimonio jam juncti conscii caussae divortii per copulam carnalem censentur renontiare juri petendi divortium, et accusandi compartem de adulterio commisso, *arg. l. Si uxor.* 13. *in fine. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* et *l. Crimen. ad Leg. Jul. de Adult.* ergo similiter Sponsus tali copula perdit jus resiliendi a Sponsalibus. Verum quia paritas bene negari potest, hinc minus efficacem agnoscit hanc probationem Bosco. Probatur igitur ratione, videlicet; quia, si post cognitam talem caussam nihilo minus carnaliter conjungitur Sponsae, merito praesumitur affectu Sponsalitio id facere, eodemque id admittere Sponsa.

306 Limitatur tamen Conclusio quoad Forum internum in casu, quo quis revera non animo Sponsalitio, sed solo fornicario copulam habet, minime intendens juri suo renuntiare, Tamburinus, Sporer, *loc. cit.* contra Sanchez *loc. cit.* n. 3. quia in Foro interno praesumptio cedit veritati; *per vulgaria*: consequenter cum praecipuum fondamentum Conclusionis consistat in praesumptione, eo cadente, cadit et ipsa in Foro interno, quamvis in esterno Foro non crederetur.

307 Nec dicas cum Sanchez, Conjux etiam in Foro interno perdit jus petendi divortium, etsi non habeat animum remittendi tale jus; ergo idem est de Sponsis Resp. enim negando *conseq.* et paritatem. Disparitas est, quod circa Conjuges habeamus claram Legis dispositionem, non item circa Sponsos, utpote circa quos in sola praesumptione consistit potissimum argumentum.

308 Quaeritur IX. Utrum ad solvenda Sponsalia opus sit auctoritate Judicis? Resp. I. Per se loquendo nulla de Jure communi requiritur auctoritas Judicis ad solvenda Sponsalia sive publica, sive occulta, quando causa dissolvendi est certa. Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 69. num. 2. Gutieres *de Matrim cap.* 35. *num.* 4. Navarrus *in Man. cap.* 22. *num.* 28. Sylvester *V. Sponsalia. q.* 11. Bosco *loc. cit. Concl.* 11. cum communi aliorum. Ratio est: tum quia Judicis auctoritas nullibi in Jure requiritur. Tum quia Sponsalibus tacita inest illa conditio: *Si res in eodem statu permaneat*; sive *Nisi justa causa dissolvendi interveniat.*

309 Dicitur autem notanter per se; quia per accidens ratione scandali v. g. hene contingere potest, ut necessaria sit Judicis auctoritas; sic, quando Sponsalia sunt publica, causa vero ea dissolvendi est occulta, ratione scandali evitandi requiritur Judicis interventus, ut bene advertit Sanchez *loc. cit.* nu. 6. Gutierez *loc. cit.* nu. 6. Sylvester *loc. cit.* et alii communiter; quia scandalum semper, et pro possibili avertere oportet. Si tamen causa certa ita esset occulta, ut eam probare innocens non valeret, posset sine ullo peccato propria auctoritate resilire; prout *loc. cit.* bene observat Sanchez. Tum quia talis utitur jure suo: Tum quia, si ipsemet instantiam faceret, in probatione deficiens ad nubendum cogeretur.

310 Dicitur *secundo*, *de Jure communi*; quia Jure speciali plurium Dioecesium semper requiritur auctoritas Judicis; quando Sponsalia publica et notoria sunt; ut de Constantiensi, et Mechlinensi testatur Gobath, et de Frisingensi patet ex ejusdem Rituali novo, *Art.* 1. *de Sponsal. in fine*, idque ad lites, et controversias evitandas.

311 Resp. II. Quando Sponsalia sunt certa, causa dissolvendi autem dubia de *jure*, vel de *facto*, Judicis necessaria est auctoritas pro utroque Foro. Ita DD. citati cum communi. Ratio est: tum quia nemo *est judex in propria causa*, *l. un. C. Ne quis in sua causa*. Tum quia *in pari causa potior est conditio possidentis*, c. 65. *de Reg. J.* in 6. et *L.* 12. 128. *ff. de R. J.* consequenter cum unus sit in possessione Sponsalium, non potest per alium ob causam dubiam privari.

312 Quaeritur X. Qualis probatio requiratur pro dissolutione Sponsalium? Ante responsionem notandum, aliud esse, si in causa dissolvendi allegata est impedimentum impediens, vel dirimens Matrimonium, uti v. g. esset consanguinitas, aut affinitas ob fornicationem Sponsi cum consanguinea Sponsae, aut votum castitatis ante Sponsalia emissum etc. Aliud vero, si talis causa nec impedit, nec dirimit Matrimonium, sed tantum praebet facultatem dissolvendi, prout foret fornicatio Sponsi cum altera non consanguinea, aut alia causa, de quibus hactenus. *H. N.* Resp. I. Si causa ad dissolvendum producta est impedimentum impediens, vel dirimens Matrimonium, tunc ad eam probandam sufficit confessio utriusque; imo etiam unius Sponsi, qui Matrimonii contractum optat; sed non illius, qui eidem resistit. Item sufficit fama a fide dignis orta: quin et unus testis extraneus caeteroquin inhabilis. Conclusio habet plures partes. *Prima pars*, quod utriusque confessio sufficiat, caret omni controversia. Ratio est; quia esto causa vere non subsisteret, adesset utriusque consensus ad solvenda Sponsalia, uti bene observant Guttierez *de Matrim. cap.* 36. nu 18. Menochius *lib.* 2. *de Arbitr. Judic.* Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 72. *nu.* 2. Castro Palao *de Sponsal Disp* 1. *punc.* 32. *n.* 2. Mutuus enim consensus per se sufficiens est ad solvenda Sponsalia per dicta *n.* 203.

313 *Secundam partem*, quod sufficiat testimonium unius ex Sponsis, qui Matrimonium exoptat, docent Doctores *num. praeced.* allegati, et Mascardus *Concl.* 1035. *nu.* 17. *et* 18. Abbas *in c. Super eo. de Testib. et Attestat.* cum communi aliorum, *arg. c. Attestat.* 10. *de Despons. Impub.* Ratio est: quia hoc ipso, quod Matrimonium affectans confiteatur causam dissolvendi, et alter Matrimonio alias resistat, rursus utriusque videtur adesse consensus, uti bene advertunt DD. citati. Secus est, si testimonium de causa ferat solus ille, qui Matrimonio resistit, altero idem affectante, ita citati DD. Ratio est; quia cum in tali casu ferat testimonium in suum favorem, et alterius praejudicium, ei soli credendum non est, uti bene advertunt citati Doctores, *arg. c. In omni* 4. *et c. Licet.* 23. *de Testib. et Attestat.*

314 *Tertiam partem*, quod etiam fama probetur, docent Doctores jam citati, *arg. c. Super eo. de Consanguin. et Affinit.* ibi: *Si fama loci hoc habet etc. debet absolvi.* et ibi Abbas cum communi aliorum: ut

tamen talis fama probet, debet esse legitime probata, uti bene observat Guttierrez *loc. cit. num.* 14. Castro Palao *loc. cit. n.* 7. nisi impedimentum esset notorium, Sanchez *loc. cit. n.* 15. juxta textum, et Glossam *L. 1. C. Qui, et adversus quos.* Caeterum quae ad probationem famae requiruntur, vide *Lib. II. Tit. XX. de Testib. et Attestat.* §. 12.

315 *Quartam partem*, quod sufficiat etiam testimonium unius, etsi alias inhabilis, et propriam turpitudinem allegantis, tenent Guttierrez *loc. cit. n.* 9. Castro Palao *loc. cit. n.* 3. et Mascardus *loc. cit. n.* 3. et teste Guttierrez Omnes: claris Juribus *c. Praeterea* 12. *h. t.* ubi Sponsalia ex hoc solo dissoluta sunt, quod unus consanguineus Sponsi deposuerit, se cum Sponsa prius copulam habuisse, et *c. Super eo.* 22. *de Testib. et Attestat.* ubi ad unius mulieris testimonium de consanguinitate Sponsorum affirmantis dissolvebantur Sponsalia. Ratio est; quia, cum in tali casu agatur de impediendo peccato, et animae periculo, sufficit unius testimonium, *arg. cit. c. Praeterea.* 12. *h. t.* ibi: *Ne deterius inde contingat.*

316 Ut tamen unius testis in hoc sufficienter probet, requiritur *primo*, ut jurato deponat. Castro Palao, *loc. cit. n.* 4. Guttierrez *loc. cit. n.* 8. et alii. Ratio est; quia agitur de praejudicio tertii, in quo casu nulli, nisi jurato creditur, etsi agatur de vitando peccato. Sanchez *Disp.* 71. *n.* 10. et alii communiter, *arg. c. Tua de Cohabit. Cleric. Secundo* requiritur, ut jurato deponat ex certa scientia, Guttierrez *loc. cit. n.* 9. Palao *loc. cit.* Sanchez *loc. cit.* Ratio est; quia alias tantum esset testis de auditu: consequenter insufficiens, nisi deponens diceret, se audivisse saltem a duobus suis majoribus, distingueretque gradus affinitatis et consanguinitatis juxta *c. Licet ex quadam. de Testib.* tunc enim solus sufficeret, ita DD. citati.

317 *Tertio* requiritur, ne ille unicus testis sit vilis persona, Sanchez *cit. Disp.* 71. *n.* 12. Abbas *in c. Propterea.* 12. *h. t. in fine.* Guttierrez *loc. cit. n.* 11. Palao *loc. cit. n.* 4 cum communi. Ratio est; quia vilis persona neque ad denuntiandum admittitur (etsi agatur de vitando futuro peccato) nisi factum sit ita clandestinum, ut non nisi per vilem personam probari valeat, ut probat textus cum Glossa *c. Cum dilectus. de Elect.* et *c. Praeterea. de Testib.* Hinc an, et quando unius testimonio fides adhibenda sit, saepe arbitrari debet prudens Judex, qui consideratis qualitatibus, et circumstantiis personarum, in specie etiam, an placeat, vel displiceat tali testi Matrimonium, judicabit. Sanchez *loc. cit.*

318 Porro, quomodo talis, qui solus occultum impedimentum Sponsorum scit, habere se debeat, bene cum aliis practice docet Guttierrez *loc. cit. n.* 3. dicens, talem, etsi impedimentum occultum probari nequeat, teneri illud denuntiare, ea tamen cum distinctione, ut, si impedimentum proveniat ex crimine occulto, monere prius in occulto debeat ipsum criminis Reum, et e contractu abstineat, et infamiam vitet: Si vero hunc admonere non expediret, vel admonitus non acquiesceret, monendi essent viri timentes Deum, parentes, consanguinei, amici etc. ut eum persuadeant. His autem nihil efficientibus Judici denuntiari deberet: quod ultimum statim facere potest, si impedimentum non e crimine provenit; quamvis etiam illis praeambulis uti bene valeat.

319 Caeterum Glossa *in c. Super eo. de Consang. et Affinit.* ℣. *Fama* limitat *quartam partem* Conclusionis *num.* 315. positam, quando Sponsalia sunt jurata: Glossam sequuntur plures a Sanchez, et Guttierrez *loc. cit.* allegati, *arg. c. Praeterea* 12 *h. t.* ubi habetur, Sponsalia testimonio unius solvi, *nisi sunt jurata*, et *c. Cum teo. h. t.* ubi praeter testem requiritur fama ad solvenda jurata Sponsalia. Verum Palao *loc. cit. n.* 6. Guttierrez *loc. cit. n.* 8. Sanchez *cit. Disp.* 71. *n.* 8. cum communi, et probabiliori aliorum hanc limitationem rejiciunt, et dicunt, etiam jurata Sponsalia testimonio unius de impedimento ex certa scientia jurato deponentis dissolvi. Tum quia *c. Super eo. de Testib. et Attest.* absolute ac indistincte decernitur, testimonium unius ad impedimentum probandum sufficere. Tum quia juxta ipsos etiam Adversarios sola fama sine concursu testis sufficienter id probat; ergo etiam unus testis; cum hic integer aeque, imo efficacius probet, ac fama, ut in confesso est, et videre est apud Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. Disp.* 45. *n.* 77. et constat ex dictis *Lib. II. Tit. XX. de Testib.* §. 12.

Nec obstat *c. Praeterea.* 12. *h. t.* quia ibi allegatur testis non omni exceptione major, quem solum ad probandum contra Sponsalia jurata non sufficere, transmitti potest. Pariter non obstat *c. Cum tua. h. t.* quia ibi testis tantum denuntiavit, non autem deposuit, prout bene advertunt Sanchez, Guttierrez, Palao *loc. cit.*

Dices, ad probandum impedimentum contra Matrimonium jam contractum non sufficit unus testis, sed requiruntur duo, *c. Licet de Testib. et c.* 1. *de Consanguinit. et affinit.* ergo etiam contra Sponsalia. Resp. negando *Consequent.* et paritatem. Disparitas est; quod esto etiam in casu Matrimonii jam contracti agatur de vitando peccato futuro, agatur tamen de jure jam quaesito ac possesso tollendo, simulque de vinculo dissolvendo, quod per se indissolubile est: Hinc mirum non est, si contra illud fortiores probationes requirantur. 320

Resp. II. Si causa resiliendi non est aliquod impedimentum dirimens, vel impediens, sed tantum facultatem praebet dissolvendi Sponsalia, nec sola fama, nec testimonium unius etsi jurati, et omni exceptione majoris testis sufficit, sed requiruntur duo testes omni exceptione majores, vel alia aequivalens plena probatio. Guttierrez *loc. cit. num.* 17. Sanchez *Disp.* 71. *n.* 7. Palao *loc. cit. n.* 8. Coninck *dub.* 11. *Concl.* 4. *num.* 5. Perez, et alii contra Paludanum. Ratio est; quia in tali casu non agitur de vitando peccato futuro, ob quod solummodo sola fama, aut unius testimonium pro sufficiente probatione accipitur, *cit. c. Super eo*, *et c. Praeterea.* Hinc ratione et causa hac cessante, recurrendum ad communem Juris dispositionem, vi cujus ad probandum in praejudicium tertii semper requiruntur duo testes omni exceptione majores, aut aequivalens plena probatio, *arg. l. Ubi numerus.* 12. *et l. Jurejurandi.* 9. *C. de Testib.* juncto *c. In omni.* 4. *et c. Licet.* 23. *de Testib. et Attest.* 321

Quaeritur XI. An ex justa causa resiliens a Sponsalibus teneatur ad expensas ab altera parte factas in ordine ad futurum Matrimonium, puta ad praeparandam consuetam solemnitatem et pompam, ad procurandam dispensationem, ubi opus est, et similia? Resp. I. Quando justa causa resiliendi provenit ex culpa unius (quia v. g. fornicatur, aut ex delicto infamiam contrahit, aut qui defectum, quem juxta dicta num. 301. patefacere debuisset, inique abscondit etc.) non tenetur pars altera ad ullas expensas. Bosco *p.* 5. *Disp.* 12. *sect.* 1. *Concl.* 14. Sanchez *lib.* 5. *Disp.* 5. *n.* 33. *et* 34. cum communi et certa aliorum. Patebit Conclusio ex sequenti, ubi dicemus juste resilientem etiam tunc non teneri alteri in expensas, quando causa dissolvendi absque culpa alterius supervenit. Interea hic addendum, quod secundum Sanchez *loc. cit. num.* 34. Bosco *loc. cit. n.* 270. et alii docent, in casu, quo 322

quis juste de causa proveniente ex alterius culpa v. g. fornicatione, resilit, teneri hanc etiam resilienti in expensas. Ratio est; quia innocens tunc non libere, sed coacte ad evitandam infamiam, aut aliud damnum resilit, cujus causam iniquam pars altera posuit; consequenter sicut qui injuste resilit, seu Sponsalia injuste solvit, tenetur alteri in expensas; sic qui inique causat, quod alter resilire debeat, ad idem tenebitur.

323 Resp. II. Qui ex justa causa resilit, non tenetur alteri ad ullas expensas, etsi causa absque ulla hujus vel alterius culpa eveniat; puta, quia Sponsus v. g. ingreditur Religionem; vel quia alter absque culpa, injuria belli v. g. venit ad paupertatem, aut amittit membrum etc. Bosen *loc. cit. Concl.* 14. Sanchez *loc. cit. num.* 33. Castro Palao *de Sponsal. Disp.* 1. *punc.* 33. *n.* 2. Ledesma *de Matrimonio. q.* 47. *a.* 5. *dub.* 2. et alii. Ratio est; quia juste resiliens non tenetur ad expensas ratione rei acceptae, cum, uti supponitur, nihil acceperit: nec ratione damni injuste illati; quia juste resiliendo utitur jure suo, consequenter injuste non nocet, nec alteri infert injuriam, *arg. L.* 55. *ff. de Reg. Jur.* Nec ratione naturae contractus; quia nuspiam cautum reperitur in Jure, quod juste resiliens a Sponsalibus teneatur ad aliquas expensas. Quin potius natura hujus contractus de Jure talis est, ut quaevis pars contrahentium emergente causa possit licite resilire; quare sibi imputare debet, si quae pars interea expensas facit, aut periculo damni se exponit, praesertim cum utriusque partis sit aequalis conditio; nam quaevis pro libitu resilire potest; si justa emergat causa.

324 Objiciunt aliqui contra hanc Conclusionem *l. Si pecuniam.* 5. *ff. de Condit. causa data.* ubi habetur, quod dans pecuniam alicui, ut iret Capuam, altero nondum profecto poenitere quidem ac resilire possit, ita tamen ut teneatur solvere expensas, si quas propterea fecit profecturus: ergo etiam quamvis aliquis juste ac licite, sine culpa tamen alterius, a Sponsalibus resilire possit, debet huic solvere expensas, si quas propterea fecit, praesertim, quia *non est ferendus, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit. L. un ff pro secundo, in fine. C. de Caduc. toll.* Nam *qui sentit onus, sentire debet et commodum, et econtra*, c. 55. *de Reg. Jur. in* 6. consequenter si resiliendo quis commodum sentit, sentire debet et onus in solvendi expensis.

Resp. negando *consequent.* et paritatem inter casum nostrum, et eum qui *in l. Pecuniam* ponitur; quia in hoc non est aequalis contrahentium conditio, uti est in casu Sponsalium; qui enim alteri pecuniam, ut iret, dedit potest poenitere, alter vero, qui pecuniam accepit, poenitere non valet, sed cogi potest, ut eat, prout notat Glossa *ibid.* ℣. *Sed cum.* In Sponsalibus autem quivis Sponsorum justa emergente causa resilire potest. Accedit, quod citato in casu *l. Pecuniam* adsit specialis Juris dispositio, secus autem in casu Sponsalium

§. IX.

De Matrimonio metu, aut per errorem, vel dolum contracto.

SUMMARIUM.

325 *Metu gravi initum Matrimonium est ipso Jure nullum.*
326 *Si i[illegible] itur a causa libera, ab homine nemp[illegible].*
327 *Sive sit ipse nubere volens, sive alius.*
328 *Dummodo incutiatur in ordine ad extorquendum Matrimonium.*
329 *Injuste.*
330 *Levis metus qualitercunque incussus non irritat Matrimonium.*
Metus levis non habetur pro metu. Ibid.
331 *Levis metus, vel gravis quando censeatur?*
332 *Metus reverentialis an irritet Matrimonium?*
333 *Matrimonium ex metu invalidum, validatur per subsequentem copulam sponte habitam.*
334 *Secus per copulam metu extortam.*
335 *Solvitur objectio ex Jure.*
336 *Item validatur per spontaneam cohabitationem.*
337 *Ad quam tamen requiritur I. ut pars metum passa prius sciat, Matrimonium fuisse nullum.*
338 *II. Ut copula, vel habitatio ex parte ejus sit spontanea.*
339. *III. Ac habitatio sit diuturna quoad Forum externum*
Tempus requisitum a Jure non determinatum, Judicis arbitrio determinatur. Ibid.
340 *In Foro interno nulla requiritur duratio.*
341 *Tam copula quam cohabitatio in Foro externo praesumitur affectu maritali habita.*
342 *Error quadruplex.*
343 *Error qualitatis subinde redundat in personam: et quando?*
344 *Matrimonium ex errore circa personam est nullum.*
345 *Non item ex errore circa qualitatem, aut fortunam.*
346 *Nisi talis error redundaret in personam.*
347 *Aut similis qualitas esset deducta in conditionem.*
348 *In Foro externo non creditur, nisi probetur, qualitatem esse deductam in conditionem.*
349 *In Foro interno autem requiritur, ut habuerit actualem, aut virtualem intentionem non contrahendi, nisi existente, vel absente tali qualitate: Nec sufficit intentio habitualis.*
350 *Solvitur objectio.*

Secunda Rubricae hujus Tituli pars est de Matrimonio: de quo ampla quidem examinanda occurreret materia. Verum quia, uti ab initio hujus Tituli jam meminimus, totus hic Liber quartus, ejusque Tituli omnes viginti unus numero de Matrimonio tractant, ac insuper Theologi de eodem fusissime scribunt; hinc in praesenti Titulo paucis de Matrimonio adductis, ea, quae pro Foro externo serviunt, et ad Canonistas spectant, in subsequentibus Titulis examinabimus, ea vero, quae Theologiae magis propria sunt, iis relinquemus.

Quaeritur I. An Matrimonium metu initum sit validum? Ante responsionem notandum, Metum alium esse levem, alium gravem, alium juste, alium injuste, alium ab intrinseco, alium ab extrinseco incussum. Quae omnia, sicut et naturam Metus hic supponimus ex dictis *Lib. I. Tit. XL. De his, quae vi metusve causa fiunt.* H. N. 325

Resp. ergo I. Matrimonium initum gravi metu cadente in virum constantem a causa libera in ordine ad extorquendum illud injuste incusso, est ipso Jure nullum et invalidum. Sanchez *Lib.* 4. *Disp.* 11. *n.* 18. D. Thom. *in* 4. *Disp.* 29. *q. un. a.* 3. et ibi D. Bonavent. *q.* 1. *num.* 5. Scotus *in* 4. *q. un.* §. *un.* et teste Sanch. DD. utriusque Juris, cum communi et certa TT. *arg. c. Cum locum*, et *c. Veniens* 15. *h. t.* juncta Glossa *ibid.* ℣. *Visum.* Ratio est: quia, cum Matrimonium semel validum non amplius sit dissolubile, c. *un. de Voto in* 6. et *Concilio Tridentino Sess.* 24 *de Sacramento Matrimonii*,

pleno debet securitate gaudere, ne per timorem dicat sibi placere, quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis nuptiis solet provenire, prout dicitur *cit. c. Cum locum.* 14. *h. t.*

326 Dicitur autem notanter *primo*, si *a Causa libera*, id est ab homine; quia, si a causa naturali, vel ab intrinseco proveniat timor gravis, v. g. mortis, incendii, aut alterius jacturae gravissimae bonorum, infamiae, et eo timore perculsus quis Matrimonium contrahit, validum est juxta communem, et certam, Sanchez *lib.* 4. *Disp.* 12. *n.* 3. Ratio est, quia tunc non impellitur homo ab homine, sed a seipso, qui Matrimonium nemine urgente voluntarie eligit, ad evadendum periculum corporis, fortunae, famae, aut animae. Infertur proin, Matrimonium illud esse validum, quod quis init, quia timet, ne alias ob humoris abundantiam moriatur.

327 Caeterum non refert, an timor gravis a tali, qui Matrimonio conjungi cupit, an vero ab alio homine, v. g. illius parente, fratre, consanguineo, amico, vel quocunque tandem incutiatur. Sanchez *loc. cit. n.* 19. Pirhing *h. t. n.* 101. cum communi, *arg. c. Veniens.* 15. *h. t.* Ratio est: tum quia Jura non tam in odium injuste incutientis timorem, quam in favorem libertatis Matrimonii nullitatem istam statuerunt, *arg. c. Cum locum* 14. *h. t.* quae libertas aeque laeditur sive ab ipso cupiente nubere, sive ab alio metus gravis incutiatur. Tum quia metus, qui sufficit ad rescindendos alios contractus, sufficit ad irritandum Matrimonium, ut cum Covarruvia, Navarro, et communi docet Sanchez *lib* 4. *Dis.* 6. *n.* 2. Atqui contractus alii rescindi possunt, per quemcunque metus inferatur, *arg. l. Si cum exceptione.* 14. §. *in hac actione. ff. De eo, quod metus causa* et amplius docet Sanchez *lib.* 4. *Disp.* 8. *n.* 7.

328 Dicitur *secundo. In ordine ad extorquendum Matrimonium*: quia, si non ad hoc, sed ad alium finem metus etiam gravis et injuste incutiatur, validum est Matrimonium, quod ex illo contrahitur. Sanchez *lib* 4. *Disp.* 12. *n.* 3. dicens, esse certissimam apud omnes, Innocentius *in c. Cum locum. h. t. n.* 2. Butrius *in c. Cum locum h. t. n.* 11. et ibi Praepositus *n.* 12. Abbas *n.* 9. cum communissime aliorum, *arg. c. Cum locum. et c. Veniens. h. t.* ubi non nisi ille metus allegatur, qui in ordine ad extorquendum Matrimonium injuste incutitur. Ratio est: tum quia uti *num.* 326. jam dictum, in tali casu nullus ab ipso exigit Matrimonium, sed ipsemet timens voluntarie illud eligit ad evitandum malum, quod timet. Tum quia contraria opinio neutiquam certa, sed summe dubia est: in dubio autem standum est pro valore Matrimonii ob specialem ejus favorem *arg. c. fin. de Sentent. et re judicat. et c. fin. de Condit. apposit.* ergo.

329 Dicitur *tertio. Injuste incusso*, etsi enim metus a causa libera, et in ordine ad extorquendum Matrimonium incutiatur, si tamen id non *injuste*, sed juste ac legitime fit a Judice Ecclesiastico. v. g. Excommunicationem alicui minitante, nisi Matrimonium contrahat cum tali, cui illud revera promisit, omnino valebit Matrimonium tali metu initum. Sanchez *loc. cit. Disp.* 13. *n.* 3. Abbas *in c. Veniens h. t. n* 8 et ibi Aucharanus *n.* 6. cum communi et certa aliorum, *per jura n.* 152. *citata et l. Continet.* 3. §. 1. *ff. Quod metus causa.* Ratio est: tum quia justus metus non tam a Judice, aut alio homine, quam ab ipso incutitur jure aut Lege volente, ut in certis casibus et circumstantiis sub minis et poenis obligati ad Matrimonium adigantur. Tum quia Jura non cuncta irritant Matrimonia metu inita, sed metu injuste incusso inita; non obstante, quod etiam per hunc minuatur libertas: quandoquidem sive juste sive injuste minuitur: sicut e pari licet alias contractus alii metu celebrati rescindi valeant, per dicta supra *n.* 327. tamen si metus juste incutitur, rescissionem contractus Jura non permittunt, *arg. l. Continet, et l. Mulier. ff. Quod metus causa.*

Resp. II. Matrimonium metu levi etsi injuste, et ad extorquendum illud incusso contractum valet, Sanchez *lib.* 4. *Disp.* 17. *n.* 3. Covarruvias *de Sponsal. p.* 1. *cap.* 3. §. 4. Abbas *in c. Consultationi*, *h. t n.* 4. Menochius *de Praesumpt. lib.* 3. *Praesumpt.* 4. *n.* 3. Bosco *p.* 5. *Disp* 11. *sect.* 7. *Concl.* 7. cum communi, *arg c. Veniens*, *et c. Consultationi.* 28. *h. t.* ubi requiritur, quod metus sit talis, qui *cadere possit in virum constantem*, gravis nempe; ergo e sensu contrario: ubi metus talis non est, sed levis tantum, Matrimonium valebit. Ratio est: tum quia metus levis non est metus, *l. Nec timorem. ff. de Eo, quod metus causa.* et *l. Vani* 184. *ff de Reg. Jur.* Tum quia alias plurima Matrimonia vel essent nulla, vel dubia, et non paucis anxietatibus subjecta: cum plurima ex levi metu fiant. Confirmatur a simili in Professione Religiosa, quae quoad indissolubilitatem Matrimonio similis, solo metu levi non irritatur, *arg. c.* 1. *u. et penult. De his, quae vi metusque causa.* 330

Quandonam autem metus censendus sit gravis, et quando levis, Judicis arbitrio decidendum relinquitur, nisi in Jure expressum quid habeatur, *arg. L.* 3. *ff. Ex quibus causis*, ibi: *Sed non sufficit, quolibet terrore adductum fuisse; sed hujus rei disquisitio Judicis est* 331

Num vero, et quando metus reverentialis erga parentes causet metum gravem cadentem in virum constantem, vide dicta *Lib. III. Tit. XXXI. de Regul* §. 6. *a n.* 163. ubi uberius declaratum habetur, quandonam talis metus sufficiat ad invalidandam Professionem. A Matrimonio enim Spirituali, utpote etiam insolubili *arg. c. Cum ad Monasterium. de Regular. in* 6. valet argumentum ad Matrimonium carnale *per vulgaria.* 332

Quaeritur II. An Matrimonium metu gravi injuste incusso initum, consequenter nullum, validetur per subsequentem copulam, vel cohabitationem? Resp. I. Si post Matrimonium metu injusto extortum sequatur copula sponte, affectuque maritali (id est, animo conjugaliter vivendi) omnino validatur Matrimonium. Sanchez *lib.* 4. *Disp.* 18. *num* 2. Bosco *loc cit. Concl.* 10. *n* 483. Abbas *in c. Consultationi. h. t. n.* 7. et ibi Glossa communiter recepta, *arg c. Ad id. et cit. c. Consultationi.* 27. *h t.* ubi dicitur, quod, si mulier *ante* copulam admissam objicit metum, audienda sit; ergo *post* illam admissam audienda non est. Et clarius *c. Insuper.* 4. *Qui Matrimonium accusare*, ubi Summarium sic habet: *Invita desponsata, postea sponte cognita, contra Matrimonium non auditur.* Ratio est, quia per talem copulam sufficienter exprimitur consensus, *arg. cit. c. Insuper* ibi: *Consensit ex ratihabitione.* 333

Resp. II. Si copula carnalis non sponte ac libere, sed ex metu gravi subsequitur, Matrimonium non validatur, Sanchez *loc. cit n.* 15. Bosco *loc. cit.* Abbas *loc. cit.* Sylvester v. *Matrim.* 8. *q.* 11. *dicto* 6. Navarrus *cap* 22. *n.* 31. *ad finem*, cum communi aliorum. Ratio est; quia deest spontaneus et metu gravi liber consensus, qui ad valorem Matrimonii omnino requiritur, *arg c. Veniens il.* 2. *et c. cum locum de Sponsal.* si enim expressus consensus metu gravi extortus non sufficit ad valorem Matrimonii, multo minus valebit tacitus per copulam habitus, si pari extorquetur metu, *arg. a majori ad minus*, *quod valet* in Jure *per vulgaria.* 334

335 Objiciunt Adversarii c. 2. *de Eo qui duxit in Matrimonium*, c. *Insuper*. 4. *qui Matrimonium accusar.* et c. *Ex litteris. de Desponsat. Impub.* ubi absolute statui videtur, post copulam subsecutam nullum amplius esse audiendum. Resp. allegatas Juris dispositiones vel expresse loqui de spontanea copula affectu maritali habita, vel de eadem intelligendas esse ob rationem *num. praeced.* allegatam. Ordinarie tamen in Foro externo praesumitur, copulam habitam esse sponte et affectu maritali, nisi contrarium probetur, *arg. c. Is fidem.* 30 *h. t.*

336 Resp. III. Matrimonium ratione metus invalidum evadit etiam validum per spontaneam cohabitationem, Sanchez *lib.* 4. *Disp.* 18. *n.* 3. Barbosa *in c. Ad id.* 21. *h. t.* et ibi Abbas, Innocentius, Joan. Andreas, ac DD. communiter, *arg. cit. c. Ad id. h. t.* Ratio *ibid.* additur, quia nempe sponte ita cohabitans, affectu conjugali cohabitare, sicque consentire censetur, ibi: *Quia postmodum per annum dimidium cohabitans consensisse videtur.*

337 Resp. IV. Ad hoc, ut per copulam, vel cohabitationem Matrimonium ratione metus invalidum ratificetur, requiritur I. Ut pars metum passa sciat, Matrimonium fuisse nullum. Sanchez *loc. cit. n.* 5. et amplius *lib.* 2. *Disp.* 34. *n.* 2. *ac Disp.* 36. n. 2. Sylvester ✠. *Matrimonium.* 3. *q.* 10. Navarrus *cap.* 22. *n.* 76. Pirhing *h. t. n.* 113. et alii. Ratio est; quia nihil tam contrarium consensui, quam error, *l. Si per errorem. ff. de Jurisdic. omn. Judic.* qui hic revera intervenit, dum pars metum passa putat se valide in Matrimonio jam existere, et propterea carnaliter copulatur, ac cohabitat, id forsan non factura, si sciret, aut scivisset Matrimonium invalidum esse. Quomodo autem nihilominus tale Matrimonium ratificari possit, dicemus in Appendice.

338 II. Requiritur, ut copula, vel cohabitatio sit spontanea, Sanchez *loc. cit. n.* 7. *et n.* 12. Mascardus *de Probat. Concl.* 134. *n.* 16. Bosco *loc. cit. Disp.* 11. *sect.* 7. *Concl* 10. Pirhing *loc. cit.* cum communi. Et quidem de copula jam patet ex dictis *num.* 334. De cohabitatione autem eadem, quae de copula, ratio est, videlicet, quod, quando cohabitatio spontanea non est, liber consensus ad Matrimonium requisitus desit, etiamsi talis cohabitatio longo tempore duret, Sanchez *loc. cit. numer.* 7. et alii ab eodem ibi relati. *arg. c. Non firmatur. de Reg. Jur. in* 6. Censetur autem esse spontanea, si cessante causa metus sponte adhuc cohabitat, dum fugere, ac discedere, aut reclamare commode potuisset. Quando enim metus adhuc durat, aut cessavit quidem, metum passa pars tamen fugere, ac reclamare commodo non potuit, spontanea non erit, Sanchez *loc. cit.* cum communi, *arg. c.* 1. *De iis, quae vi metusque causa*, et ibi Abbas, Hostiensis, et Innocentius.

339 III. Requiritur, ut cohabitatio, si sola absque copula est, sit diuturna, ita ut secundum prudens Judicis arbitrium merito censeri possit, eam affectu conjugali fuisse continuatam. Sanchez *loc. cit. n.* 6. Pirhing *h. t. n.* 113. Abbas *in c. Ad id.* 21. *h. t. n.* 4. et alii communiter. Ratio est: quia quandocunque tempus requisitum non determinatur e Jure, arbitrio Judicis determinandum relinquitur, c. *De causis.* 4. *de Offic. Delegat.* et *L.* 1. *ff. de Jur. deliber.* ibi: *Cum dicit tempus, nec adjicit diem, sine dubio ostendit eam in Jus dicentis potestate, quem diem praestituat.* Nec obest *cit. c.* 21. *Ad id. h. t.* ubi *annus cum dimidio* requiri videtur. Nam contra est, quod *ibid.* tantum narratur species facti, et non fiat dispositio Juris; prout DD. communiter observant, ut patet legenti textum.

340 Imo in Foro interno penitus nulla requiritur diuturnitas, sed sufficit cohabitatio momentanea, vel copula, si animo vere conjugali fuit habita, Bosco *p.* 5. *Disp.* 11. *sect.* 7. *Concl.* 10. *n* 484. ad finem, Sanchez, et alii communiter. Ratio est; quia diuturnitas tantum requiritur ad prudenter praesumendum in Foro externo, quod de internis non cognoscit, nec judicat, *per vulgaria.* Sicut econtra in eodem Foro nullum erit Matrimonium, etsi cohabitatio aliquot annorum, et copula multiplicata fuerit, si animo conjugali facta non est: Doctores citati. Ratio est, quia in Foro externo praesumptio cedit veritati, etsi absconditae, a parte rei tamen vere existenti, *arg. Cum de indebito ff. de Probat.* cum concord. *Nec firmatur solo tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit*, c. *Non firmatur* 18. *de R. J. in* 6.

341 Caeterum tam copula, quam cohabitatio diuturna, affectu conjugali habita in Foro externo praesumitur, ita ut contrarium asserenti incumbat probatio juxta dicta supra *arg. c. Is, qui fidem.* 30. *h. t. et c. Ad id.* 21. *eod.*

342 Quaeritur III. An, et quando validum, aut invalidum sit Matrimonium ex errore, aut dolo contractum? Ante responsionem notandum ex *caus.* 29. *q.* 1. quadruplicem esse errorem, *personae* videlicet: *conditionis*, *qualitatis*, et *fortunae*. *Error personae* est, et contingit, quando quis errat circa personam, putando, se contrahere cum hac, et est alia: prout contigit Jacob, qui putans, se contrahere cum Rachele, contraxit cum Lia, loco illius supposita *Genes.* 19 *Error conditionis* est, quo quis putat se contrahere cum libera, et est serva. *Error qualitatis*, qui contingit circa qualitates personae, ut si quae putatur esse pulchra, bona, nobilis, virgo, et est deformis, malitiosa, ignobilis, corrupta. *Error fortunae* est, dum quis putat, se contrahere cum divite, vel plura media habente, et est pauper, aut non ita, ut credebatur, dives: qui error ad *Errorem qualitatis* ab aliis non immerito reducitur.

343 Porro *Error qualitatis* subinde talis est, ut etiam redundet in errorem personae: et tunc contingit, quando error vel versatur circa personae alias ignotae talem qualitatem, quae est omnino singularis, certum individuum denotans: ut si quis consentiat contrahere cum primogenita, et deinde educitur secundogenita: vel cum qualitas aliqua est unicus finis Matrimonii, ita ut hoc unice tanquam medium assumatur ad obtinendam illam qualitatem tanquam finem; qua qualitate praedita aliqua persona creditur, vel talem ipsa se fingit. Plura de hoc errore vide apud Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 18. Bosco *p.* 5. *Disp.* 11. *sect.* 7. *Concl.* 2. H. N.

344 Resp. I. Matrimonium ex errore circa personam contractum est nullum. Unanimis et certa, claris Juribus, *cit. caus.* 29. *q.* 1. ibi: *Error personae consensum conjugii non admittit.* Ratio est; quia errantis nullus est consensus, *arg. L.* 8. *et* 9. *C. de Jur. et fact. ignor.* ubi autem adest consensus, non adest Matrimonium, *can. Sufficiat. caus.* 27. *et c. Cum locum.* 25. *h. t.* cum nuptias non concubitus, sed consensus faciat, *l. Nuptias.* 20. *ff. de Reg. Jur.* Hinc ab omnibus *Error personae* numeratur inter impedimenta dirimentia.

De *Errore conditionis* dicemus infra *Tit. de Conjugio servorum.*

345 Resp. II. Matrimonium contractum ex errore circa qualitatem, aut fortunam (etiamsi ex dolo aut simulatione alterius proveniat, et det causam contractui) validum est; nisi error redundaret in personam, aut talis qualitas esset actu vel virtute interne vel externe in conditionem deducta, Abbas *in c. Cum dilectus. De iis, quae vi metusque causa.* *num.* 13. et ibi Glossa ✠. *Ad fatuitatem.* Sanchez

lib. 7. Disp. 18. Bosco *loc. cit* Guttierez *de Matrim. cap.* 89. Layman *lib. 5. tr.* 10 *p.* 4 *cap.* 2. cum communi aliorum, *arg. c. Ad Apostolicam.* 18. *h. t.* et *caus.* 29. *q.* 2. ibi : *Non omnis error consensum evacuat etc.* et ad finem : *Qui ducit in uxorem meretricem, vel corruptam, quam putet esse castam, aut virginem, non potest eam dimittere, et aliam ducere.* Ratio est : tum quia talis error non est circa substantiam, personam nempe seu corpus, quod mutuo consensu ad invicem traditur, sed tantum circa accidentia, quae in ordine ad valorem non attenduntur per Jura citata. Tum quia, si error circa qualitatem invalidaret Matrimonium, plurima Matrimonia dissolvi deberent, vel saltem impugnarentur maximo cum damno tam prolium, quam conjugum, ipsiusque Reipublicae. Tum quia ita habet universalis praxis et consuetudo Tribunalium quae est optima Legum interpres, c. *Cum dilectus. de Consuetud.*

Infertur, validum esse Matrimonium, quod cum Caja contrahit Titius putans, vel falso asserenti credens, eam esse sanam, vel virginem, vel divitem, aut virtuosam, cum tamen esset infirma, corrupta, pauper, aut vitiis dedita : etiamsi talis falsa persuasio fuerit causa, quod eam duxerit, non ducturus; si contrarium scivisset.

346 Dicitur autem notanter, *nisi error etiam redundet in personam*, quia tunc Matrimonium invalidum quoque foret ex defectu consensus, utpote qui non ferebatur in personam, nisi praeditam qualitate illa speciali intenta; prout DD. *num praeced.* citati, et alii communiter observant. De quo errore vide dicta *num* 343.

347 Dicitur ulterius, *Nisi talis qualitas actualiter, vel virtualiter, interne vel externe in conditionem esset deducta*, ut si quis interne ita cogitaret, aut externe diceret : *Si es virgo, aut dives etc. volo, seu intendo tecum contrahere, alias non*; quia etiam tunc error circa qualitatem Matrimonium invalidaret, possetque errore deceptus alteram partem iterum dimittere Sanchez *loc. cit.* Bosco *loc. cit.* Guttierrez *loc. cit. n.* 6. Layman *loc. cit.* S. Bonaventora *in* 4. *dist.* 30. in *Expositione litterae. n.* 4. et teste Sanchez *loc. cit num* 21. Omnes alii. Ratio est; quia omnis contractus sub conditione honesta de praesenti initus conditione non subsistente nullus est, *l. Cum ad praesens.* 37. *ff. de Rebus credit.* et *l. Cum in secundo.* 16. *prin. ff. De injusto rupto.*

348 Et quamvis in Foro externo non credatur, nisi probet, quod non aliter, quam sub conditione talis qualitatis intenderit contrahere; nihilominus in Foro interno invalidum erit tale Matrimonium, si desiderata illa qualitas non existit, ita DD. praefati : ut proin a copula abstinere debeat, ac discedere possit, nisi velit consensu absoluto Matrimonium ratificare : ut in multis casibus tenetur, si nempe absque gravi praejudicio conjugis, aut prolium jam susceptarum discedere nequit, praesertim, si conjux desiderata qualitate carens dolum non fecit.

349 Caeterum ut ex defectu hujusmodi qualitatis Matrimonium sit nullum, requiritur, quod contrahens talem voluntatem aut intentionem conditionatam actualem, vel saltem virtualem habeat : Nimirum, ut vel tunc, quando contrahit, actu habeat illam intentionem non contrahendi, nisi bene qualitatem habeat : vel saltem prius eam intentionem ac tu habuerit, et per actum contrarium nondum revocaverit; sed virtute, seu virtualiter adhuc retineat : sola enim habitualis intentio ad propositum non sufficeret Sanchez *loc cit. numer.* 21. Guttierrez *loc. cit. num* 6. cum communi aliorum, qui per intentionem habitualem ad praesens nihil aliud intelligunt, quam contrahentis dispositionem, qua in animo ita dispositus est, quod, si sciret compartem hac qualitate, quam inesse putat, vel audit, carere, vel aliqua qualitate, quam abesse putat, vel audit, affectam esse, cum illa non contraheret. Et Ratio hujus limitationis patet ex dictis *n.* 345. ubi docuimus, Matrimonium contractum ex errore circa qualitatem dante causam contractui (ita nempe, ut ob eum quis contraxerit, non contracturus, si contrarium sciret) esse validum atque adductis plurimis aliis Doctoribus late probat Sanchez *lib. 7. Disp.* 18. *a. n.* 17.

Objicies contra dicta *numer. praeced.* ut contra conclusionem *num.* 345. positam. Sponsalia, et alii contractus ex errore vel dolo circa qualitatem dante causam contractui sunt Jure nulli, vel saltem rescissioni obnoxii. *l. Eleganter 7. p. ff. de Dolo, et l. Si dolo.* 5. *C. de Rescind. vendit.* ergo idem erit de Matrimonio. Confirmatur, Matrimonium gravi metu injuste incusso est nullum, quia metus talis obstat perfecto voluntario ad Matrimonium requisito, juxta dicta *num.* 325. ergo etiam Matrimonium initum ex errore, vel dolo, cum hic aeque ac metus minuere videatur perfectum voluntarium. Resp. transmisso *Ant.* negando *Consequent.* et paritatem. Disparitas est, quod de aliis contractibus habeatur specialis Juris dispositio non item de Matrimonio. Accedit, quod longe alia ratio occurrat in Matrimoniali contractu : hic enim, si ob errorem aut dolum circa qualitatem nullus esset, plurima Matrimonia dubia forent, et omnia litibus aut anxietatibus involverentur, plurimaque sequerentur absurda maximo cum scandalo, et damno tum privatorum, tum Republicae : ad quod evitandum Jura teste consuetudine, et praxi optima Legum interprete, merito aliter de Matrimonio, aliter de reliquis contractibus disposuisse censentur; praesertim cum absurdum in omnibus dispositionibus sit vitandum, *arg. L Nem absurdum. ff. de Bonis libert* et c. *In Genesi. de Elect.* 350

Ad confirmationem dico; etiam inter metum et errorem, aut dolum esse latum discrimen : tum quia metus facilius probatur, quam error aut dolus; consequenter tantae difficultates, et pericula non causantur, etsi ex metu Matrimonia inita nulla sint. Tum quia metus minuit voluntarium etiam circa ipsam personam, non sic error circa qualitatem. Castro Palao *de Sponsal. Disp.* 4. *punc.* 4. *n.* 4. Layman *loc. c. n.* 2.

§. X.

De Impedimentis Matrimonii, et de Dispensatione eorum : Item de Convalidatione, seu Ratificatione Matrimonii invalide contracti, a potiori remissive : In specie tamen de Disparitate cultus, seu de Matrimonio Catholicorum cum infidelibus contracto.

SUMMARIUM.

351 *Impedimenta impedientia de Jure antiquo.*
352 *Et de Jure novo,*
353 *Impedimenta dirimentia enumerantur.*
354 *De quorum singulis, ubi agatur, ostenditur.*
355 *Ob Impedimentum disparis cultus, fideles nec licite, nec valide contrahunt Matrimonium cum infideli.*
356 *Nisi Papa, prout potest, dispenset.*
357 *Cum haereticis tamen valide etiam absque dispensatione contrahunt : dummodo ritu Catholico contrahatur. Et num.* 359.

351 Suppono ex Theologia, Impedimenta Matrimonii alia esse *impedientia* tantum, id est, quae solommodo impediunt, quod licite contrahi nequeat Matrimonium, minime tamen faciunt, quin valide contrahatur, et contractum subsistat. Alia vero esse *dirimentia*, seu talia, quae etiam faciunt, quod neque valide contrahi queat, et contractum non subsistat, sed dirimatur Matrimonium. Impedimenta *impedientia* olim plura fuere, sequentibus versiculis comprehensa:

Ecclesiae Vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus, Crimen, Sponsalia, Votum
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

ubi per *Catechismum* intelligebatur quaedam cognatio spiritualis imperfecta, *arg. c. Contracto. de Cognat. Spirit.* et *c. Per Catechismum eod. in* 6. Per *Crimen* vero intelligebantur varia enormia, quorum aliquod, si quis commisit, nubere alteri licite amplius non potuit. Quae Crimina Glossa *in c. 2. de Poenitet. et Remiss.* comprehendit illis versiculis.

Incestus, Raptus sponsatae: Mors mulieris:
Susceptus proprie sobolis. Mors presbyteralis,
Vel si poeniteat solemniter: aut Monialem
Accipiat: prohibent haec Conjugium sociandum.

352 Verum quia impedimentum Catechismi hodie sublatum est per Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 2. ut notat Sanchez *lib. 7. Disp.* 19. *n.* 12. Crimina autem impedimenta *Impedientia* per longaevam consuetudinem ita habeantur abrogata, ut non amplius sint in usu, hinc quatuor tantum hodie adhuc vigent Impedimentum *impedientia* sequenti versiculo comprehensa:

Sacratum tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum.

De quorum duobus prioribus egemus *Tit. XVI. De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiae. De Tertio*, Sponsalibus nempe, quod Matrimonium cum alia quam sponsa impediat, jam diximus supra demonstrando, ea sub gravi culpa obligare, consequenter facere, quod cum alia Matrimonium licite contrahi non valeat. *De quarto*, scilicet *Voto*, partim jam diximus supra a *n.* 223. partim dicemus *Tit. VI. Qui Clerici vel voventes.*

Impedimenta *dirimentia* hodie sunt quatuordecim, quia duodecim Jure antiquo statutis duo adhuc, videlicet *Absentiam* Parochi cum duobus testibus: et *Raptum* addidit Concilium Tridentinum, ut suo loco videbimus. Comprehenduntur autem omnia sequentibus Versiculis a D. Thoma, et Scoto adductis: 353

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sis affinis: si forte coire nequibis,
Si Parochi, aut duplicis desit praesentia testis,
Raptaque sit mulier, nec parti reddita tutae,
Haec socianda vetant connubia: facta retractant:

Addunt etiam aliqui *Ætatem*: Verum quia Impedimentum *Ætatis* commode reducitur ad impedimentum *Impotentiae*, a Versiculis a D. Thoma, et Scoto relatis, non discedimus.

Porro de singulis his Impedimentis partim jam egimus, partim in subsequentibus agemus. Et quidem de Impedimento *Erroris* egimus *praeced. §. a num.* 342. De Impedimento *Conditionis* agemus *Tit. IX. De Conjugio servorum.* De Impedimento *Voti* partim jam egimus a *numer.* 223. partim agemus *Tit. VI. Qui Clerici, vel voventes.* De Impedimento *Cognationis* sermo erit. Tit. X. XI. XII. et XIII. ubi de variis Cognationibus agitur. De Impedimento *Criminis*, *Tit. VII.* De Impedimento *Cultus disparitatis* disceptimus infra *num. seq.* De Impedimento *Vis*, per quod intelligitur *metus gravis*, actum est *§. praeced. a num.* 325. De Impedimento *Ordinis* quaestio jam fuit supra *a num.* 228. et adhuc erit infra *Tit. VI.* De Impedimento *Ligaminis* dicetur *Tit. XXI. De secundis Nuptiis.* De Impedimento *Honestatis publicae*, agemus *Tit. IV. De Sponsa duorum.* Impedimentum *Affinitatis* discutietur *Tit. XIV. De Consanguinitate et Affinitate.* Impedimentum *Impotentiae*, *Tit. XV. De Frigidis, et Maleficiatis.* Impedimentum *Clandestinatis. Tit. III. De Clandestina Desponsatione.* Et tandem Impedimentum *Raptus* examinabitur *§. praesenti a n.* 372. *et seq.* 354

Quaeritur itaque I. Quid sit, et quomodo Matrimonium dirimat Impedimentum *disparitas Cultus*? Resp. Est illud, quod oritur ex disparitate in Fide, aut Religione inter fidelem et infidelem, seu inter baptizatum, et non baptizatum: cujusmodi sunt Judaei, Turcae, Gentiles; cum horum enim nullo Matrimonium valide contrahere potest Fidelis baptizatus, eo quod obstet Impedimentum *disparis Cultus*, puta, in Religione Matrimonium Jure Ecclesiastico dirimens. Communis, et hodie certa, praxique Ecclesiae confirmata, *arg. can. Cave.* 15. *cau.* 28. *q.* 1. et tota fere illa quaestione. 355

Infertur fidelem, id est, baptizatum nec licite, nec valide posse contrahere Matrimonium cum non baptizato, Judaeo v. g. Turca, vel Gentili, sine dispensatione Papae: hunc enim dispensare posse, inde patet, quod juxta communem DD. solo Jure Ecclesiastico hoc Impedimentum introductum habeatur. Quid Juris autem de Matrimonio Infidelium inter se, et casu, quo unus eorum convertantur ad Fidem, dictum est *Lib. III. Tit. XXVIII.* 356

Quaeritur II. An praefatum Impedimentum involvat etiam haereticos seu an valide, vel saltem 357

licite contrahere Matrimonium possit Catholicus cum haeretica. Resp. I. Memoratum Impedimentum dirimens non se extendit ad haereticos: adeoque Matrimonium Catholici cum haeretica debite, ac ritu Catholico contractum valet. Bosco *de Impedim. Matrim. Disp.* 12. *sect.* 11. *concl.* 3. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 72. *num.* 4. Doctor Angelicus, et Seraphicus *in* 4. *dist.* 39. *q.* 1. *a.* 1. Abbas *in c. fin. de Condit. Appos.* n. 5. et ibi Joan. Andreas *n.* 8. Cardinalis *n.* 3. Navarrus *Manual. cap.* 22. *n.* 49. cum communissima, et hodie certa aliorum, *arg. c. Decrevit de Haeretic.* in 6. ubi supponitur Matrimonium Catholici cum haeretica valere, eo quod ibidem mulieres scienter nubentes haereticis solummodo priventur Dote, minime autem jubeantur separari a viro haeretico. Accedit universalis praxis et consuetudo Ecclesiae, hujusmodi Matrimonia pro validis agnoscentis, ac sustinentis; quamvis ea prohibeat, uti dicetur infra *num.* 360.

358 Objiciunt Adversarii ex Concilio Generali in Trullo, ubi *can.* 72. expresse irritum declaratur Matrimonium Catholici cum haeretica, illis verbis: *Non licere Orthodoxum cum haeretica conjungi, nec Orthodoxam cum haeretico: sed etsi quid ejusmodi factum apparuerit, irritas nuptias existimari, et nefarium conjugium dissolvi.* Accedit, quod *can. Cave.* 15. *cau.* 28. *q.* 1. eodem modo, et ob easdem rationes prohibeatur Matrimonium cum infideli, ac cum haeretico, ibi: *Cave Christiane, Gentili aut Judeo filiam tuam tradere, cave inquam, Gentilem aut Judaeum, atque alienigenam, hoc est haereticam, et omnem alienam a fide tua uxorem accersas tibi: Prima confugii fides Castitatis gratia est.* ergo sicut hoc textu probatur Matrimonium Catholici cum infideli esse nullum; etiam nullum erit cum haeretica. Resp. *Canonem* 72. et nonnullos alios in Trullo editos, vel non esse authenticos, utpote non a memorato Concilio, sed eo jam dissoluto, ab aliquibus Episcopis editos, et a Sergio tunc Papa reprobatos, uti cum aliis late ostendit Barbosa *in can. Sextam.* 5. *dist.* 16. *n.* 3 *et* 4. vel, si authentici sunt, et consequenter vi illorum Matrimonia Catholicorum cum haereticis irrita forent, prout cum aliis non improbabiliter ostendit Pontius *in appendice de Matrimonio Catholici cum haeretica. cap.* 1. eumque in multis defendit Bosco *loc. cit.* Tamen per consuetudinem universalem Canon ille jam pridem fuit abrogatus, ita ut hodie saltem vi consuetudinis Matrimonia Catholicorum cum haereticis ritu Catholico contracta valeant, *arg. c. fin. de Consuetud.*

Pariter responderi potest *ad can. Cave*, videlicet, quod quoad illam partem, qua forte etiam Matrimonia Catholicorum cum haereticis annullat, sit per consuetudinem Ecclesiae abrogatus, reliqua dispositione Matrimonia cum infidelibus annullante, remanente in suo valore, et per consuetudinem roborata: Idque merito ob rationis disparitatem: cum Matrimonium cum infideli non esset Sacramentum, et longe major sit disparitas *Cultus* cum infideli quam haeretico, Sanchez *loc. cit. n.* 7.

359 Dicitur autem notanter *Matrimonium ritu Catholico contractum*: quid Juris enim de Matrimoniis Catholici cum haeretico, aut haereticorum inter se, ritu haeretico contractis, dicemus *Tit. III. de Clandestin. Desponsat.*

360 Resp. II. Quamvis Matrimonia Catholicorum cum haereticis ritu Catholico contracta sint valida, tamen Jure Ecclesiastico sunt illicita et peccaminosa, adeoque sine peccato contrahi, aut permitti nequeunt, nisi Papa dispenset. Est unanimis tam Theologorum, quam Canonistarum ob clara Jura, hujusmodi Matrimonia expresse et graviter prohibentia, uti patet ex Concilio *Agath. relato. can. Non oportet.* 16. *cau.* 28. *q.* 1. ibi: *Non oportet cum hominibus haereticis miscere connubia.* Concilio Illiberitano, *can.* 16. ibi: *Catholicas puellas nec fas haereticis dari placuit.* et *can. Cave.* 15. *cau.* 28. *q.* 1. ibi: *Cave Christiane, haereticam uxorem accersas tibi.* Concordant Concilium Laodicenum *can.* 10. Carthaginense III. *can.* 12. Chalcedonense *can.* 14. juncto *c. Decrevit.* 14. *de Haeretic.* ubi mulieres haereticis nubentes in poenam peccati priventur Dote. Ratio harum prohibitionum allegari potest; quia plerumque et ordinarie varia scandala damna, et pericula spiritualia ex tali Matrimonio emergunt, vel ipsi conjugi Catholico, vel saltem liberis inde natis, uti bene observat Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *cap.* 14. *num.* 2. et misera docet experientia in partibus Germaniae.

Infertur cum Laymann *loc. cit.* citante communem, 361
Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 72. *n.* 5. Sa, *V. Matrimonium*, Gutierrez *de Matrim. cap.* 104. *n.* 6. Ledesma *de Matrim, q.* 59. *a n.* 1. Sporer *p.* 4. *cap.* 1. *sect.* 1. *n.* 118. Gobath. *Tr.* 9 *cass* 11. *n.* 216. testante de omnibus Orthodoxis, Perez *de Matrim. Disp.* 36. *sect.* 2. *num.* 2. pariter omnes allegante. Peccare mortaliter Catholicum, aut Catholicam, si cum haeretico Matrimonium contrahat, quia in re gravi agit contra justissima Ecclesiae praecepta.

Nec excusat, quod communiter opponunt: apud 362
me non est periculum perversionis, aut alterius peccati, etsi cum haeretico contraham. Nam contra est: tum quia hoc ordinarie falsum est, cum teste experientia etiam illi, qui optima habuere proposita, magna passi sint pericula tam perversionis, quam aliorum peccatorum, praesertim contra Praecepta Ecclesiastica, jejunandi, audiendi Missam etc. Tum quia, ubi adest peccandi periculum non tantum Jure Ecclesiastico, sed etiam Divino illicitum est, contrahere cum haeretico, uti notant communiter DD. Hinc, licet absit tale periculum, et consequenter Jure Divino non sit prohibitum, manet adhuc Lex Ecclesiastica graviter obligans, praecipue cum cessante causa et ratione Legis in particulari non cesset Lex, uti patet ex dictis *Lib. I. Tit. II. de Constitut.*

Limitatur tamen Conclusio in casu, quo haereticus 363
promittit, quod velit fidem Catholicam amplecti. Layman *loc. cit num* 2. Sa *loc. cit. num.* 8. Bosco *loc cit. n.* 134 *Pontius loc cit. cap.* 3. *n.* 1. dicens, id apud omnes dubitatione carere, Hurtado *Disp.* 76. §. 29. et alii; quia Jura ipsa hunc casum expresse eximunt, *can. Non oportet* 16. *cau.* 28. *q.* 1. ibi: *Si se profiteantur futuros Christianos et Catholicos* et Concil. Nicen. *c* 53. *Modo ad fidem veniat*, atque Chalcedonense *can.* 14. ibi: *Nisi forte promittat, ad Orthodoxam fidem se per personam Orthodoxam copulam transferre.* Et merito, quia in tali casu cessat omne periculum perversionis, et alterius peccati, simulque fit lucrum alterius animae.

Huic tamen limitationi bene addit Layman *loc.* 364
cit. Si justa causa subsit, ut nuptiae Absolutioni ab haeresi anteponantur. quia, si haereticus absque ulla causa conversionem suam differt, et primum post Matrimonium professionem fidei edere vult, quam de facto statim, et absque omni obstaculo praestare posset, fallacem potius, quam sinceram videtur habere mentem. Secus est, si ob justam causam, eamque gravem, negotium differt, puta, quia, si innotesceret, privaretur pingui haereditate, aut aliud praejudicium, vel damnum grave incurreret, aut injuste impediretur Matrimonium etc. Quamvis etiam in tali casu absque ullius praejudicii periculo, conversio praemitti bene posset: si nempe prius sub secreto gravi, in manus Ordinarii aut

Parochi in occulto emitteret professionem fidei, ac reciperet absolutionem ab haeresi, prout non ita pridem consultum fuit in simili causa circa Personas quasdam Eminentes.

365 Porro debet esse vera promissio, et non sufficit sola spes, ut cum aliis contra nonnullos bene observat Bosco *loc. cit. n.* 136. quia Lex Ecclesiastica solum excipit casum, si haereticus vere promittit conversionem; ergo sola spes non sufficit; cum exceptio *firmet regulam in contrarium in casibus non exceptis, arg. l. In iis, quae ff. de Legib.*

366 Limitant Conclusionem *secundo Sanchez loc. cit.* n. 5. et Azorius *lib.* 8. *cap.* 11. *q.* 5. in locis, ubi haeretici cum Catholicis permixti impune vivunt, uti (ajunt) in Germania, Gallia, Polonia: his enim in locis (inquiunt) ex consuetudine recepta et tolerata etiam licite contrahunt Matrimonium Catholici cum haereticis: dummodo Catholica in fide libere vivere permittatur, et omne absit perversionis et scandali periculum. Ratio est; quia absente omni perversionis et scandali periculo Matrimonium Catholicum inter et haereticum solo Jure humano Ecclesiastico est prohibitum, juxta communem, huic autem Juri derogat consuetudo legitime praescripta, *c. fin. de Consuetud.* ergo accedit, quod consuetudo haec serviat pro communi pace, et tranquillitate Reipublicae conservanda.

367 Verum quamvis limitatio haec ob rationem allegatam Theorice satis videatur probabilis, in praxi tamen ordinarie non habet locum, eo quod conditio apposita, *dummodo in fide Catholica libere vivere permittantur, et omne absit periculum perversionis aut scandali*, vix unquam verificetur, sed contrarium ordinarie eveniat, etiam in locis, ubi haeretici cum Catholicis permixti ac stabiliter habitant; cum teste experientia conjuges Catholici ab haereticis plerumque vel pervertantur, vel ad plura peccata contra Ecclesiae Praecepta indurantur, vel iniqua prolium educatio contingat, quae cuncta fatentibus ipsis Adversariis contra Jus Divinum, et naturale militent. Hinc limitationem hanc in praxi merito rejiciunt Bosco *loc. cit.* Sporer *loc. cit.* Gobath *loc. cit. n.* 219. advertens Sanchezium, et Azorium circa mores Germanorum minus fuisse expertos, Layman *loc. cit.* Valentia, Tanner, Coninck, Serar, Bellarminus, et alii

368 Atque his Doctoribus contra Sanchez in praxi omnino adhaerendum est, et quidem praeter rationem jam allatam, principaliter etiam ex hoc capite, videlicet, quia ordinarie (saltem in Germania) in cunctis locis, ubi haeretici cum Catholicis permixti viventes Matrimonia contrahunt, tacitum, vel expressum adjunctum habent pactum, vi cujus proles mascula educari debet in secta falsa mariti haeretici, ita quidem, ut mater in educatione circa punctum Religionis se immiscere nullatenus possit; foemellae tandem in Religione matris Catholicae educari valeant, aut econtra, quod pactum iniquissimum, et contra Jus Divinum esse patebit ex dicendis infra *num* 371.

369 Hinc ordinarie loquendo, hujusmodi Matrimonia etiam in locis, ubi haeretici cum Catholicis permixti vivunt, illicita sunt, eisque pro viribus semper resistendum est, donec evidenter ostendatur, in casu particulari cessare omne tum perversionis, tum alterius scandali periculum, quod vel nunquam, vel saltem rarissime ostendi poterit; cum ordinarie occurrat vel periculum perversionis contra Legem Divinam fidei, vel periculum malae educationis prolium contra Legem itidem Divinam pietatis, vel periculum discordiarum aut scandali tam respectu Conjugis Catholici, quam aliorum contra Legem rursus Divinam charitatis erga seipsum, et proximum, uti bene observat Bosco *loc. cit. n.* 118.

Illud etiam notandum, quod, etsi dato non 370
concesso, sententia Sanchez, et Azorii in uno alterove casu particulari procederet, locum tamen minime haberet in illis locis, Provinciis, Civitatibus, Oppidis aut Pagis Germaniae, Galliae, aut Poloniae, in quibus haeretici cum Catholicis permixti constanter habitare non permittuntur, cujusmodi loca in quovis ex his regnis reperiuntur, inter quae est purissima in fide Catholica Bavaria nostra, ut proin, licet aliquibus Germaniae locis, v. g. ditione Sulzbacensi, Civitate Weidensi, Civitate Augustana etc. ob permixtam Catholicorum cum haereticis cohabitationem, cessante omni periculo perversionis et scandali licitum in casu particulari vi consuetudinis foret Matrimonium Catholici cum haeretica, tamen semper illicitum esset in Bavaria; eo quod non detur communicatio consuetudinis, uti et privilegiorum, nec licet aut valet aliquid vi consuetudinis in hoc loco, ex eo, quod consuetudo hujus vigeat in alio loco, *juxta lib. I. Tit. IV. de Consuetud. n.* 160. *et* 161.

Caeterum ad Quaesitum principale *numer.* 357. 371
positum Resp. III. Matrimonium Catholici cum parte haeretica initum expresso hoc, aut tacito pacto, vel conditione; ut vel omnes, vel aliquae proles v. g. masculae educentur in secta haeretica patris, foemellae autem in vera Religione Catholica matris, semper et ubique illicitum, iniquissimum, et graviter peccaminosum, tam contra Jus Ecclesiasticum, quam Divinum est. Bosco *loc. cit.* Perez *loc. cit. num.* 6. Sporer *loc. cit. n.* 120. Navarrus *lib.* 1. *Consil.* 1. *q.* 25. *n.* 63. Dicastill. *Disp* 7. *n.* 705. Layman *loc cit num.* 3. dicens, id apud omnes in confesso esse. Et quidem quod sit contra Jus Ecclesiasticum patet ex c. *fin. de Conversion. infidel.* et concordant Jura supra *numer.* 360. allegata. Quod autem sit contra Jus Divinum, inde constat, quia juxta omnes Theologos quivis parentum de Jure Divino ex pietate tenetur curare, ut proles in vera fide educetur, et acquirat necessaria media ad salutem, ergo Matrimonium iniri non potest cum tacito, vel expresso pacto, aut conditione obligationi contraria, omnes videlicet, vel aliquam prolem negligendi in hac educatione, ac permittendi, ut in damnabili secta educetur.

Nec quidquam in contrarium evincunt consuetudines etiam immemoriales in pluribus locis palam existentes, et toleratae. Nam contra est, quod haec pacta sint etiam contra Jus Divinum, contra quod consuetudo etiam immemorialis penitus nihil operatur, textu expresso c. *fin. de Consuetud.*

Et ex his colliges, quandonam liceat Catholico contrahere Matrimonium cum haeretica, et quando non. Licet namque semper I. Quotiescunque haereticus serio promittit, quod post contractum Matrimonium veram fidem amplecti velit, si justa subsit causa professionem fidei, et absolutionem ab haeresi differendi, usque ad Matrimonium contractum ubivis locorum, etiamsi haeretici cum Catholicis permixti non maneant, juxta dicta *num.* 363.

Licet II. Vi consuetudinis in locis, ubi haeretici cum Catholicis permixti habitant, si revera abest omne periculum perversionis, et scandali, juxta dicta *num.* 366. *et seqq.*

Econtra illicitum est semper et ubique I. Quando initur cum tacito vel expresso pacto omnem, vel aliquam prolem educandi in secta haeretica, juxta dicta *num.* 371. Et quia in illis partibus Germaniae, in quibus haeretici cum Catholicis permixti

habitant, cum praefato tacito vel expresso pacto ordinarie contrahitur, ordinarie ibidem est illicitum per dicta *num.* 368.

Illicitum est semper II. in locis, in quibus haeretici cum Catholicis permixti *non* habitant, etsi contrahatur sine praefato iniquo pacto, et absit omne periculum perversionis et scandali, justa dicta *n.* 368.

Illicitum est III. semper et ubique, etiam in locis, ubi haeretici cum Catholicis permixti vivunt, quandocunque adest periculum perversionis vel scandali, sive ratione ipsius conjugis Catholici, sive ratione prolium.

Et quia ordinarie in quovis Matrimonio Catholici cum haeretico adest vel iniquum tacitum vel expressum pactum, aut periculum perversionis, aut periculum scandali, et ruinae alicujus spiritualis, sive ex propriis conjugis aut prolium, aut aliorum parte, ordinarie quovis in loco illicitum est Matrimonium Catholici cum haeretica, nisi serio promittat, quod post contractum Matrimonium veram velit amplecti fidem per dicta *n.* 363. *et seqq.*

Plura de Impedimento disparis *Cultus* vide specialiter apud Bosco, qui sicut totam materiam Matrimonii per plures Thomos Theologice et Juridice insigniter pertractat, sic integrum Tomum de solis Impedimentis egregium exhibet.

372 Quaeritur III. Quid sit, et in quo consistat Impedimentum *Raptus*? Ante responsionem notandum, hoc Impedimentum esse a Concilio Tridentino *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 6. sequentibus verbis statum: *Decernit S. Synodus inter raptorem et raptam, et quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse subsistere Matrimonium, quod, si rapta a raptore separata, et in loco tuto, ac libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; et nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, et favorem praebentes sint Jure excommunicati ac perpetuo infames, omniumque Dignitatum incapaces; et si Clerici fuerint, de proprio gradu decedant. Teneatur praeterea raptor mulierem raptam, sive in uxorem duxerit, sive non, decenter arbitrio Judicis dotare.*

373 Resp. I. *Raptus*, in quantum dirimit Matrimonium, est violenta abductio foeminae in ordine ad contrahendum Matrimonium. Est in re communis. Explicatur Definitio, et ostenditur, plures ad verum raptum in ordine ad praesens requiri conditiones. Dicitur I. *Violenta abductio*, ut indicetur ad *Raptum* requiri aliquam violentiam, vel physicam per violentam manuum injectionem; vel moralem, per minas aut gravem metum: si enim puella volens vel consentiens, etsi insciis parentibus abducatur, *Raptus* non erit, uti bene observat Navarrus *lib.* 5. *Consil.* 3. *n.* 1. *de Rapt.* Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 12. *n.* 36. Layman *loc. cit. n.* 2. cum communi, quia *Raptus*, et *Rapina* aliquam violentiam continent, *arg. c. Cum causam.* 6. *de Raptor.* ubi Summarium sic habet: *Raptus non dicitur, ubi volens pro Matrimonio abducitur.* Unde ibidem etiam statuitur, nullum esse impedimentum ex hoc, quod parentes inviti sint, et reclament, si praecedente tractatu de Matrimonio puella consentiens abducitur.

374 Porro debet violentia inferri ipsi foeminae; *nec* sufficit, si solis inferatur parentibus aut tutoribus, aut ipsis invitis consentiens abducatur puella. Sanchez *loc. cit. Disp.* 13. *n.* 12. Perez *Disp.* 38. *sect.* 4. Coninck *Disp* 41. *n.* 48. Sporer *p.* 4. *cap.* 1. *sect.* 1. *n.* 28. Hurtado, et alii contra Navarrum *lib.* 5. *Consil.* 2. *n. un. de Rapt.* et plures alios a Sanchez citatos. Ratio est: tum quia *Odia sunt restringenda. c. Odia de Reg. Jur. in* 6. Tum quia Decretum Tridentini praecise intendit cavere, ne laedatur libertas Matrimonii; quae utique non laeditur, si puella libere consentiens abducatur, etsi vim aut violentiam patiantur parentes, vel inviti reclament: cum libertas puellae nubere volentis non dependeat a voluntate parentum, imo si ab ipsis dependeret, hoc ipso jam minor, et non plena foret.

Dicitur II. *Foeminae*, ad indicandum sufficere ad 375 Raptum, quaecunque sit foemina, sive virgo, sive corrupta, sive meretrix, sive honesta, sive vidua, sive conjugata sit. Bosco *de Impedim. Matrim Disp.* 12. *sect.* 9. *Concl.* 4. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 13. *n.* 14. et alii. Ratio est: quia Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *de Reform Matrim cap.* 6. universaliter ac indistincte de *rapta* loquitur: ergo indistincte erit intelligendum, cum, *ubi Jus non distinguit, nec nos distinguere debeamus, l. De pretio ff. de Public. in rem act.* et *verba generalia generaliter sint* intelligenda *c. Quia circa* 22 *de Privileg.* praesertim, ubi est eadem ratio, *arg. l. Ideo ff. de Legib.* uti in praesenti res se habet. Ratio enim, ob quam Concilium Tridentinum ita statuit Impedimentum Raptus, est ut salva semper maneret libertas Matrimonii; qua libertate non minus gaudere debet corrupta aut meretrix, vel vidua, quam virgo, aut honesta; cum quaevis aequale sibi ipsi imponat onus.

Dicitur etiam praeterea *foeminae*: ad indicandum 376 quod hujus solius, et non viri violenta abductio constituat *Raptus* impedimentum e Concilio Tridentino introductum; ut proin si foemina rapiat virum, et hic postea, etsi adhuc in potestate rapientis foeminae raptus constitutus consentiat, validum inter eos sit Matrimonium. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 12. *n.* 16. Perez *loc. cit. n.* 1. Pontius *cap.* 69. *n.* 6. Bosco *loc. cit. Concl.* 3. *a. n.* 81. Herius *de Impedimento Raptus. Disp.* 6. *n.* 80. et ipso teste communior aliorum contra Gutierez *de Matrim. c.* 88. *n.* 6. et alios. Ratio est: quia Decretum Tridentini *cit. Sess.* 24. *de Reform Matrim cap.* 6. de solo viro *Raptore* verba facit, ibi: *Quamdiu ipsa in potestate Raptoris manserit*, et statim postea, *quod si Raptor etc.* Item: *Et nihilominus Raptor.* Et merito, quia cum Leges condi soleant de casibus, qui natis occurrere, rarissime autem foemina rapiat virum, recte de solis Raptoribus statutum censetur Impedimentum *Raptus.* Accedit, quod simus in odiosis, et correctoriis antiqui Juris, consequenter restringere potius quam ampliare debemus, *arg. c. Odia. de Reg. Jur. in* 6. *et c.* 28. *eod.*

Dicitur III. in Conclusione, *In ordine ad contrahendum Matrimonium*; quia si non Matrimonii, 377 sed libidinis, vel alterius rei causa fiat violenta abductio foeminae, impedimentum *Raptus* non erit. Sanchez *loc. cit. n.* 4. Bosco *loc. cit. a. n.* 86. Sporer *loc. cit. n.* 29. Perez *loc. cit. n.* 3. et alii contra Sa *V. Matrimonium.* et nonnullos alios. Ratio est: quia Concilium Tridentinum *loc. cit.* praecise intendit libertati Matrimonii consulere, prout constat ex textu et Rubrica Sessionis quae est *de Reform. Matrim.* ergo intelligendum venit de solo *Rapta* causa Matrimonii facto: Praesertim quia, quando textus est dubius, intelligi debet, ut conveniat Rubricae: et valet argumentum *a Rubro ad Nigrum*, id est, a Rubrica ad textum, prout amplius dictum in Prooemio §. 6. *a. n.* 98. Et hinc plures DD. limitant *c.* 1. *de Clerico non ordin. Minist.* quod non extendatur ad Laicum exercentem Ordinem, quia Rubrica est de Clerico. Accedit, quod simus in Odiosis, et Juris correctoriis, consequenter restringere magis, quam ampliare debeamus, *cit. c. Odia*, et *c.* 28. *de Reg. Jur. in* 6.

Resp. II. Impedimentum *Raptus* inter raptorem 378 et raptam viget, etiamsi rapta post *Raptum* libere consentiat: *si adhuc est in potestate raptoris*: secus, *si ab eo separata, et in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit.*

Communis ac certa ob claram dispositionem Concilii Tridentini *cit. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap.* 6.

379 De Poenis *Rapta* causa Matrimonii facti, vide textum Concilii Tridentini supra *no.* 372. adducti De *Rapta* prout est species luxuriae, graveque crimen, et de poenis ejus tam Jure Canonico, quam Civili statutis, exacte diretur *Lib. V. Tit. de Raptor.*

380 Quaeritur IV. Quis, et quando in Impedimentis Matrimonii dispensare possit, ac solent? Item quid in praxi observandum pro obtinenda Dispensatione? Resp. ad Quaestionem patebit infra in fine hujus *Lib IV.* ubi Appendicem habet practicam de Dispensatione super Impedimentis Matrimonii

381 Et quia saepe contingit, quod Conjuges Matrimonium ob Impedimentum *dirimens* nulliter contrahentes sine scandalo, diffamatione aut alio gravi praejudicio, vel periculo separari amplius nequeant, consequenter Matrimonium nulliter contractum ratificare, et validare, seu de novo valide contrahere debeant, subjungetur ibidem instructio practica, quomodo obtenta Dispensatione Matrimonium nulliter contractum ratificare, seu revalidare possint ac debeant. Quam utramque Materiam de Dispensatione nempe, ac de Revalidatione Matrimonii ideo ad finem differre placuit, ut prius per decursum hujus *Lib. IV.* integra materia de Matrimonio, et Impedimentis ejus explicata, Dispensatio, et Revalidatio pro quovis rectius facilius capiatur.

TITULUS II.

De Desponsatione Impuberum.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
2 *Puberes, et impuberes qui?*
3 *Ad Sponsalia requiritur et sufficit Septennium.*
4 *Nisi malitia suppleat aetatem. Et quid hoc?*
5 *Etsi loco liberorum contrahant parentes.*
6 *Ad valorem Matrimonii requiritur pubertatis aetas*
7 *Valet contractum ab habente illam, etsi nondum gaudeat potentia generandi*
8 *Foeminae cur citius pubescant quam viri?*
9 *Imo valet contractum ab impubere, in quo malitia supplet aetatem.*
Plures impuberes genuerunt Ibid.
10 *Ætas pubertatis sola Jure humano ad Matrimonium requiritur, unde in eo dispensare potest. Papa.*
11 *Imo etiam Episcopus ex urgentissima causa.*
Dispensatio in textu quando permittitur, et non determinatur, censetur concessa Episcopo. Ib.
12 *Tempus ad valorem Sponsaliam et Matrimoniam requisitum debet esse completum de momento in momentum.*
13 *Solvitur instantia*
14 *Impubes Sponsalia contrahens non potest ab illis resilire ante pubertatem, bene vero post illam.*
15 *Nisi Sponsalia tempore impubertatis contracta, pubes ratificet: et quomodo?*
16 *Sponsalia impuberum etiam juramento firmata solvi possunt post adeptam pubertatem.*
17 *Solvitur instantia* ex c. 10. de Sponsal.
18 *Matrimonium ab impuberibus nulliter contractum valet in vim Sponsalium.*
19 *Nisi contrahentes contra haec expresse protestarentur.*

1 Postquam *Tit. Praeced.* actum est de Sponsalibus et Matrimonio in genere, Compilator Juris Canonici recto ordine pergit ad Sponsalia, et Matrimonium in specie, et quidem in praesenti Titulo ad illa, quae impuberes inter sese, aut cum puberibus contrahunt Ubi praecipue agitur de Ætate requisita ad Sponsalia et Matrimonium. Et quoniam praesens Titulus multa non continet, in Paragraphos eum non dividimus.

Notandum prius. Impuberes esse et dici illas personas, quae nondum attigerunt annos a Jure ad pubertatem requisitos. Requiruntur autem ad pubertatem in foemellis 12. anni completi, in masculis autem 14 *l. fin C. Quando Tutores esse desinant*, ibi: *Jubemus, quemadmodum foeminae post impletos 12. annos omnimodo pubescere judicentur, ita et mares post excessum 14 annorum puberes existimentur.* II N. 2

Quaeritur I. Quae *Ætas* requiratur tam ad Sponsalia, quam ad Matrimonium? Resp I. Ad valorem Sponsalium tam in foeminis, quam masculo requiritur et sufficit septennium completum. Communis ac certa, *arg. c. Litteras.* 4. *c. Accessit.* 5 *et c. Ad dissolvendum.* 13. *h. t.* ubi clare habetur, Sponsalia ante septennium completum esse nulla ex defectu consensus, nullumque exinde oriri impedimentum *publicae honestatis*: nisi septennio completo ea ratificent. Concordat *l In Sponsalibus.* 14. *ff. de Sponsalib. et c. un. h. t. in* 6. ibi: *Si infantes ad invicem, vel unus major septennio, et alter minor, Sponsalia contraxerint ipsi, vel parentes procis, nisi per cohabitationem mutuam, seu alias verbo vel facto ipsorum liquido appareat, eosdem in eadem voluntate factos majores septennio perdurare: Sponsalia ejusmodi, quae ab initio nulla erant, per lapsum temporis, minime convalescent, et ideo cum sine ulla, ratione defectus consensus, publicae honestatis justitiam non inducant.* Ratio est: quia ad Sponsalia requiritur et sufficit usus rationis, qui septennio completo ordinarie adest, et adesse praesumitur, *arg. cit. l. In Sponsalib.* 14. *ff de Sponsalib. et l. Si infanti. §. fin C. de Jure deliberandi.* 3

Dicitur autem notanter in Conclusione *ordinarie*; quia, si, uti extraordinarie contingere potest, malitia, seu potius prudentia, suppleat aetatem, indeque ante septennium jam quis veniat ad usum rationis, etiam tunc valebunt Sponsalia Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 16. *n.* 9. Covarruvias *p.* 1. *de Sponsal cap.* 2. *n.* 1. Joan. Andreas *in c. Juvenis. de Sponsal n.* 9. Sylvester *v. Sponsalia. q.* 2. *dict.* 2. cum communiori aliorum contra Panormitanum *in cit. c. Juvenis. de sponsal. n.* 5. Castro Palao *Tract.* 28. *Disp.* 1. *punc.* 6 *n.* 8. et alios *arg. cit. c. Juvenis.* 3. *de Sponsalib.* ubi habetur, ex Sponsalibus a Minore septennio contractis ortum esse impedimentum *publicae honestatis*; consequenter valida fuisse; cum hoc non nisi ex validis oriatur Sponsalibus, tam de Jure antiquo, *arg c. un. de Sponsalibus, in* 6. et ibi Barbosa *n.* 4. quam novo Concil. Trident. *Sess.* 24. *de Reform Matrim. cap.* 3 si autem valida fuerunt, alia ratione id contingere non potuit, quam quia malitia supplebat aetatem; uti bene advertit Glossa *in cit. c. Juvenis. v. Dubin, ad finem.* Nec obstant Jura *n* 3. citata, septennium generaliter requirentia. Nam contra est, quod Jura ideo tantum requirant septennium, quia ante illud tempus ordinarie non censetur adesse usus rationis, consequenter deficere consensum necessario requisitum, *arg. c. un h. t. in* 6. ibi: *Cum sint nulla ratione defectus consensus.* ergo si malitia supplet aetatem, et usus rationis, consequenter et consensus ante septennium adest, valebunt Sponsalia: sicut ob malitiam, aetatem supplentem, valet Matrimonium ante annos pubertatis contractum, textu expresso *c. De illis.* 9 *h. t.* licet alias Jura ad matrimonium annos pubertatis indistincte ac generaliter requirant, juxta dicenda *num.* 6. 4

Resp. II. Sponsalia ante septennium unius, aut utriusque sunt invalida, etsi illa loco liberorum contrahant parentes; nisi liberi facti septennio majores 5

ea ratificent, textus expressus est *in c. un. h. t. in* 6. quem habes supra *n*. 3. Nec obstat c. 1. *h. t.* ubi quod filius, *postquam pervenerit ad perfectam aetatem debeat adimplere*, non tantum Sponsalia, sed et Matrimonium a patre loco illius, usum rationis nondum habentis contractum. Resp. enim cum Fagnano *ibid. n.* 7. et communi Canonistarum, hoc intelligendum esse, quod filius debeat ea adimplere ex debito honestatis, non vero necessitatis.

6 Resp. III. Ad valorem Matrimonii tam de Jure Civili, quam Canonico requiruntur et sufficiunt anni pubertatis, duodecim nempe in foeminis, et quatuordecim in masculis, nisi malitia suppleat aetatem. Porsus Communis et certa, ob clara Jura, *prin. Instit. de Nupt. et l.* 4. *ff. de Actu Nupt.* c. *Puberes.* 3. *c. Attestationes.* 10. *et* c. *fin. h. t.* Ratio est; quia cum Matrimonii finis principalis sit prolis generatio, haec autem sine potentia generandi, et carnaliter coeundi haberi nequeat, potentia vero ista ante dictam aetatem adesse ordinarie non possit per Jura citata, merito eadem Jura Impedimentum *dirimens* Matrimonii statuerent inter eos, qui praefata aetate non gaudent.

7 Si tamen per accidens contingeret, quod etiam post pubertatis annos quis nondum statim sit potens ad generandum, valebit Matrimonium. Engel *h. t. n.* 8. per Jura citata. Et ratio est: quia impotentia coeundi post pubertatem adhuc existens, non causat nullitatem Matrimonii, nisi sit perpetua, *arg.* c. *Fraternitatis. de Frigid.*

8 Caeterum cur foeminae citius pubescant, et potentiam coeundi ac generandi acquirant, quam masculi, rationem reddit Philosophus; videlicet, quia foeminae debiliores ac imperfectiores sunt, sicut enim artis, ita etiam naturae opera, citius ad suam perfectionem citiusque ad finem ac interitum perveniunt, consequenter mulier propter debilitatem ac imperfectionem suam in pubertate, vigore, senectute, et obitu masculum praevenit.

9 Dicitur autem notanter, *Nisi malitia suppleat aetatem*, id est, nisi jam ante pubertatis annos habilis quis inveniatur ad generandum, quia hanc limitationem expresse ponunt Canones c. *Puberes.* 3. *h. t.* ubi in ordine ad contrahendum Matrimonium sufficienter pubes habetur, *qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et generare jam potest*, etsi determinatos a Jure annos needum habeat; ut adhuc clarius deciditur *c. De illis* 9. *eod.* Et merito, quia multa exempla habemus, quod masculi in decimo ac undecimo, et foemellae in decimo proles procrearint, de quo vide Barbosam in c. *Puberes.* 3. *h. t. n.* 5. et Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 104. *n.* 29.

10 Porro aetas pubertatis n. 6. allegata, non Jure naturali, neque Divino, et solo humano ad valorem Matrimonii requiritur; adeoque nec *dirimens* Impedimentum ex defectu aetatis puberis proveniens, Juris divini aut naturalis, sed puri humani Ecclesiastici est, consequenter in eo Papa justa de causa dispensare, ac dispensando efficere potest, quod etiam impuberes, usu tamen rationis praediti, Matrimonium valide contrahere queant, *arg. c. h. t.* et ibi DD.

11 Imo docet ibidem Barbosa *n.* 5. posse etiam Episcopum ex urgentissima causa, praesertim publica, et pro bono communi pacis, v. g. dispensare, praecipue in casu, quo sunt prope annos puberes, et adsit dubium, an non malitia suppleat aetatem. Idem docet Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 104. n. 12. Bonacina *de Matrim. q.* 1. *punc.* 4. *n.* 15. et alii, *arg. cit.* 2. *h. t.* ubi, quod Dispensatio fieri possit, deciditur, et facienda nulli reservatur, atque hoc ipso Episcopis tacita permittitur; quia universaliter quandocunque in aliquo textu permittitur Dispensatio, et non additur, cui, censetur concessa Episcopo, et cum Communissima aliorum late probat Sanchez *de Matrim. lib.* 8. atque Barbosa *de Offic. et potest. Episc. Allag.* 33. n. 17. De quo plura in Appendice.

Resp. IV. Tempus septennii Sponsaliorum et pubertatis ad Matrimonii valorem de Jure requisitum debet mathematice, et de momento in momentum esse completum, in casu, quo malitia non suppleat aetatem. Pontius *lib.* 7. *de Matrim. cap.* 65. n. 1. Castro Palao *de Sponsal. Disp.* 1. *pun.* 6. *n.* 6. Perez *de Matrim Disp.* 37. *sect.* 12. *n.* 4. Gonzalez *in* c. 2. *Accessit.* 5. *h. t. n.* 4. et alii contra Gutierez *de Matrim. cap.* 2. *n.* 7. Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 16. *n.* 4. *et lib.* 7. *Disp.* 104. *n.* 1. *et* 2. Probatur: quia Jura expresse requirunt annum completum. Et quidem ad Sponsalia, c. *Litteras.* 4. *h. t.* ibi: *Antequam septimum annum complesset*: et c. *Accessit, eod.* ibi: *Si puella septimum annum compleverat*, junct. c. *Ad dissolvendum, eod.* Ad Matrimonium autem c. *Ex litteris h. t.* ibi: *Donec compleat puer annum decimum quartum.* 12

Nec dicas, haec intelligi posse et debere in sensu morali, ita, ut saltem dies coepta habeatur pro completa, prout vult Sanchez *arg. l. Qua aetate.* 5. *ff. de Testam.* ubi habetur, quod possint facere Testamentum, et quantum ad hoc, dies coepta habeatur pro completa. Resp. enim in casu, quo protractio temporis inducit et continet favorem; vel certa aetas praescribitur a Jure pro forma, debere tempus praescriptum esse completum de momento in momentum, prout late probavimus *Lib. III. Tit. XXXI. de Regul. a n.* 95. *et seq.* ubi propterea diximus, annos sexdecim, ad Professionem requisitos debere esse completos de momento in momentum; atqui in casu nostro praescribitur aetas a Jure, induciturque protractio ejusdem favorem nubere volentibus, ut videlicet in tanto negotio libertate adhuc gaudere, considerate agere, et de damno non amplius reparabili satis praecavere valeant: ergo. 13

Ad *l. Qua aetate ff. de Testament.* respondetur, negando paritatem; quia ibidem protractio temporis non esset favorabilis, sed odiosa Testatori. Accedit, quod ibidem sit specialis dispositio Juris, consequenter ad alios casus non extendenda. 14

Quaeritur II. *An*, et quando impuberes Sponsalia contrahentes, ab iisdem iterum resilire valeant? Resp. Impuberes majores septennio non posse resilire ante pubertatem, bene vero post illam: Nec tenetur ille, qui primo fit pubes, alterum expectare, donec etiam pubescat, sed potest statim, ac pubescit pro libitu resilire: quod, si pubes cum impubere contrahit Sponsalia, tunc pubes haud amplius resilire potest, bene vero impubes, non quidem ante pubertatem, sed post illam adeptam. Communis ac certa, claris Juribus c. *De illis* 7. *et c. A nobis.* 8. *h. t.* juncta Glossa *ibid.*

Limitatur Conclusio in casu, quo pubes factus Sponsalia ratihabet, quod per solam taciturnitatem fieri censetur, ita, ut si quis pubertatem adeptus, non illico contradicit, et resilit, censeatur ea ratificare, Engel *h. t.* n. 6. Ratio est; quia Sponsalia ab impubere contracta, non tunc primum obligare incipiunt, quando contrahens evadit pubes (prius enim jam valebant, ita ut etiam Impedimentum *publicae honestatis* induxerint, c. 5. *et* 6. *h. t.*) Sed tantum habent hoc Juris beneficium, quod adepta pubertate dissolvi valeant. Hinc, si adeptus praefatam pubertatem per contradictionem, aut dissensum ea non illico dissolvit pubes, eadem ratihabere censetur, praesertim si Sponsi unum adhuc patiter, aut familiaritatem continuat, vel munera dat, vel recipit. Dicitur autem *statim reclamare*, qui intra triduum reclamat, *arg. l. fin. C. de Error. Advocat.* ubi habetur: *Illico dicitur fieri, quod intra triduum fit.* 15

Resp. II. Sponsalia ab impubere contracta 16

dissolvi possunt a pubere facto, etsi ea juramento firmarit. Potius *lib.* 12. *cap.* 9. *n.* 8. Peres *Disp.* 9. *sect.* 2. *n.* 8. Joan. Andreas *in c. Ex litteris.* 10. *de Sponsol.* Cardinal. *in c. De illis.* 7. *h. t. n.* 2. et alii contra Sanchez *lib.* 1. *Dis.* 51. *n.* 22. Ancharanum *in c. Ex litteris.* 10. *de Sponsal.* et communiorem aliorum cum Glossa *in cit. c. De illis* 7. *h. t.* ☧. *Judicio.* Fundamentum nostrae Conclusionis est; quia juramentum sequitur naturam et conditiones actus, contractus, et obligationis, cui apponitur, *l. fin. C. De non numer. pecun.* nisi aliud specialiter expressum habeatur in Jure: ergo quia Sponsalia ab impubere contracta habent hanc naturam, quod a pubere facta possint dissolvi, ejusdem naturam non immutabit, sed sequetur juramentum adjectum.

17 Nec dicas cum Sanchez, et sequacibus, obstare hic specialem Juris dispositionem, videlicet *cit. c. Ex litteris.* 11. *h. t.* ubi expresse habetur, quod, si impuberes Sponsalia juramento confirment, ea dissolvere non amplius queant. Resp. enim *in cit. c. Ex litteris.* esse sermonem de impuberibus proximis pubertati, et quidem talibus, in quibus malitia supplebat aetatem, quorum Sponsalia aequiparantur Sponsalibus puberum, cum inter tales impuberes ipsum etiam fieri possit Matrimonium, *c. Ex litteris.* 11. *h. t.* quod autem de talibus impuberibus ibi fiat sermo, patet ex termino *impubescentes*, id est, *pro puberes*: constat etiam ex illo, quod Papa ibidem puellam statim in uxorem recipi, et matrimonialiter pertractari praeceperit, quod facere non potuisset, nisi Sponsi pubertati dicto modo proximi fuissent. Vel dic, praefatos Sponsos ideo non potuisse amplius dissolvere Sponsalia, quia pubertatem adepti non statim reclamarunt, sed tacite ratificarunt, juxta *num.* 15.

18 Quaeritur III. An Sponsalia de praesenti, seu Matrimonium ab impuberibus nulliter contractum transeat in vim Sponsalium de futuro? Resp. Affirmative, Communissima DD. *in c. fin. h. t.* contra Engel *h. t.* §. 1. *n.* 10. et nonnullos alios. Probatur Conclusio manifeste ex *c. fin. h. t.* et *c. un.* §. *Idem quoque. eod. in* 6. ubi expresse habetur, quod hujusmodi Matrimonium, *Juris interpretatione sint Sponsalia de futuro.* Ratio ibidem subjungitur; *Quia per dictum contractum, qui valuit, ut potuit, non sicut agebatur publica honestatis justitia est inducta.* Concordat illud dictum Summarii, et DD. *in l. Tam angusta.* 17. *ff. de Servitut. Si non valet, quod ago, ut ago, valeat, ut valere potest*, quod etiam habet Glossa *in cit. c. un. h. t. in* 6. ☧. *Matrimonium.*

Nec obstat *l. Quaesitum.* 9. *ff. de Sponsal.* ubi Conclusio expresse negari videtur. Resp. enim, illam. Legem esse correctam a Jure Canonico, cui in materia Matrimonii et Sponsalium standum est, uti cum communi aliorum recte advertit Gonzalez *in cit. c. fin. h. t. n.* 4.

19 Illud tamen observandum, quando impuberes Matrimonium contrahentes manifeste exprimerent, quod, si ex defectu aetatis non valeat hoc eorum Matrimonium, nollent contrahere Sponsalia de futuro, in haec Matrimonium non transiret; quia deficeret consensus, et procederet illud Tritum: *Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum. l. Non omnis.* 19. *ff. Si certum petatur.* Verum haec exclusiva intentio, nisi probetur, non praesumitur, sed potius contrarium, per Jura citata.

Porro cum Conclusio locum habeat etiam in casu, quo non tantum defectus aetatis, sed etiam praesentia Parochi et Testium intervenit, dicemus *Tit. sequenti.*

TITULUS III.

De Clandestina Desponsatione.

1 *Ratio Ordinis.*

Absoluta una specie Desponsationis, pergit Compilator Canonum ad aliam speciem Desponsationis, clandestinam nempe. Ubi tamen notandum; quod, licet alias proprie loquendo *Desponsationis* nomine sole intelligantur Sponsalia de futuro *arg. l. Sufficit.* 4. *ff. de Sponsal.* Tamen ad praesens Desponsatio sumatur pro Sponsalibus de praesenti, seu pro ipso Matrimonio, *c. Tua nos.* 26. *de Sponsal.* et *can. Conjux.* 9. *cau.* 27. *q.* 2.

§. I.

De Denuntiationibus, et Matrimonio Clandestino ob earum omissionem.

SUMMARIUM.

3 *Matrimonia dupliciter possunt esse clandestina.*
2 *Denuntiationes quid?*
4 *Est obligatio, eas Matrimonio praemittendi,*
5 *Et quidem gravis,*
6 *Debent fieri tribus diebus Festivis continuis, inter Missarum solemnia: et quomodo?*
7 *Possunt etiam fieri extra Ecclesiam, et quando? Fini legis, et intentioni qui satisfacit, legi satisfacit. Ibid.*
8 *Denuntiationes fieri debent in utraque Parochia, si ex diversis sint Sponsi.*
9 *Nisi consuetudo aliud habeat.*
10 *Juxta aliquos fieri debent in Parochia, in qua Sponsi diutius habitarunt.*
11 *Juxta sententiam Auctoris vero in Parochia, in qua tempore contractus sunt Parochiani.*
12 *Quamvis nonnunquam etiam in alia Parochia fieri debeant.*
13 *Solvitur objectio.*
14 *Doctrina practica, an, et quando debeant fieri Denuntiationes in loco nativitatis.*
15 *Denuntiationibus non requiruntur ad valorem actus.*
16 *Solvitur Objectio.*
17 *Ordinarii ex justa causa possunt dispensare in Denuntiationibus.*
18 *Sine justa causa dispensantes peccant.*
19 *Enarratur justae causae dispensandi in Denuntiationibus usque ad num.* 30.
30 *Ordinarius ante dispensationem debet cognoscere de causa.*
31 *Saltem extrajudicialiter.*
32 *Debet insuper extrajudicialiter indagare, an non lateat impedimentum.*
33 *Nomine Ordinarii ad praesens quinam veniant?*
34 *Venit in specie Vicarius Generalis.*
35 *Solvitur Objectio.*
36 *Ordinarius post cum utroque dispensare Sponso, etsi unius sit alterius Dioecesis.*
37 *Parochi non possunt dispensare in Denuntiationibus.*
38 *Quia non sunt Ordinarii pro Foro externo.*
39 *Possunt tamen in multis casibus declarare, Denuntiationes non obligare, consequenter sine eis Matrimonio assistere possunt.*
40 *Et quidem in omnibus casibus, in quibus tenetur Ordinarius dispensare, et adiri non potest, aut aditus injuste negat dispensationem.*

41 *Ordinarius non tenetur dispensare ob quamvis causam, ob quam potest dispensare.*
42 *Bene vero quando eam exigit bonum commune, aut etiam notabile bonum privati; seu evitatio periculi incurrendi damnum corporis, fortunae, aut famae.*
43 *Doctrina practica, ex quibus causis Ordinarius dispensare teneatur, et Parochi sine Denuntiationibus assistere possint Matrimonio, usque ad num. 48.*
48 *Post Denuntiationes factas tenentur Sponsi vel intra quatuor menses contrahere, vel procurare novas Denuntiationes.*
49 *Post factas Denuntiationes tenetur quivis manifestare impedimentum, si quod subesse scit: et quomodo?*
50 *Poenae sine Denuntiationibus contrahentium.*
51 *Poenae assistentis Parochi.*

2 Notandum prius, Matrimonium duplici praecipue modo esse, et dici clandestinum. *Primo*, si contrahitur sine praescriptis ab Ecclesia Denuntiationibus *c. fin. h. t. Secundo*, si sine requisita praesentia Parochi et testium, *Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap.* 1. Addit Glossa *in c. fin. h. t. §. Clandestina*, etiam *Tertium* modum, videlicet, quando contrahitur sine solemnitatibus praescriptis *can* 1. *cau.* 30. *q.* 5. quae hodie haud amplius sunt in usu. De *Primo* agemus in praesenti: de posteriori autem in sequenti Paragrapho. De *Tertio* alibi.

3 Quaeritur itaque I. Quid sint, an, quando, quoties, quomodo, ubi, et a quo fieri debeant Denuntiationes Matrimoniales? Resp. I. Denuntiationes aliud non sunt, quam proclamationes, seu notificationes publicae de Matrimonio duorum inter se contrahendo, in Ecclesia coram populo congregato faciendae, ad hoc, ut si quis aliquod *dirimens*, aut *impediens* Impedimentum inter contrahere volentes novit, in tempore adhuc manifestare queat. Ita in re commune ac certa *arg. c. fin. h. t.* et Concil. Trident. *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. patebitque adhuc magis ex sequentibus Conclusionibus.

4 Resp. II. Ordinarie loquendo, Denuntiationes sub gravi peccato cuivis Matrimonio praemitti debent, ita, ut tam contrahentes, quam Parochus assistens mortaliter peccent, si absque Denuntiationibus Matrimonium contrahatur, si dispensetur, Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 5. *n.* 6. Navarrus *in Manual. cap.* 16. *n.* 36. Herinx *in c. fin. h. t. n.* 10. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *cap.* 4. *n.* 9. cum communi, *arg. c. h. t.* ibi: *Statuimus, ut cum Matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Ecclesiae Praesbyteros publice proponantur, competenti termino praefinito, ut intra illum, qui voluerit, vel valuerit, legitimum Impedimentum opponat: Et ipsi Praesbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod Impedimentum obsistat.* Quam Juris dispositionem innovans Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *de Reform Matrim. cap.* 1. sequens stricte observandum dedit Praeceptum: *Inhaerendo sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis praecipit, ut imposterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus Festivis inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum: quibus Denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponitur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiae procedatur.*

5 Quod autem hae Leges Ecclesiasticae graviter obligent, ratio est: tum quia sunt in materia gravi ad impedienda frequentia, atque gravia mala posita, prout liquet ex Concilio Tridentino *loc. cit.* ubi praefato Praecepto permittit causam: *Cum S. Synodus gravia peccata perpendat, quae ex clandestinis conjugiis ortum habent.* Tum quia omittentibus Denuntiationes graves poenas, non nisi ob gravia delicta imponi solitas, infligunt, *cit. c. fin. §. Si quis, et §. fin. h. t.* et Concilium Trident. *loc. cit.* Neque enim ob peccatum veniale tam graves statuuntur poenae, cum poena debeat correspondere delicto, *arg. c. Felicis. §. Illud de Poenis. in* 6.

Resp. III. Denuntiationes inter Missarum solemnia ter fieri debent, et quidem *tribus continuis diebus Festivis*. Patet Conclusio manifeste ex textu Concilii Tridentini *num.* 4. allegati, ubi per continuos dies Festivos intelligit tales, ut nulla Festiva dies, in qua Denuntiatio aliqua ex tribus non fiat, intermediet: idque ideo, ne Denuntiationes diutius differantur, et donec secunda aut tertia fiat, prioris obliviscatur populus, Sanchez *cit. Disp.* 6. *n.* 8. Barbosa *Allegat.* 32. Reginald. *lib.* 31. *n.* 225. qui tamen etiam cum aliis volunt, praefatos dies Festivos non debere sibi immediate succedere, uti succedunt Festa Paschalia v. g. aut Pentecostalia, sed debere unum saltem, aut alterum diem non festivum inter eas mediare, ut populus sufficiens habeat opponendi, aut impedimenta detegendi tempus, qui est finis Legis. Caeterum volunt citati DD. cum Gutierrez *de Matrim. cap.* 56. *n.* 4. non mortaliter, sed venialiter tantum peccare Parochum, qui non continuis tribus diebus Festivis, uno alterove etiam non immediate succedente Festo neglecto, Denuntiationes faceret; dummodo tamdiu non differat, quod periculum oblivionis priorum in populo esset. Ratio est; quia alias videtur esse levitas materiae. 6

Porro, quamvis Concilium Tridentinum velit, ut Denuntiationes in Ecclesia inter Missarum solemnia diebus Festivis fiant; tamen etiam in die non Festivo, non existentibus Missarum solemniis, et extra Ecclesiam quoque fieri possunt, quando sufficiens adest populi concursus, ut contingere solet in Concionibus, Processionibus Litaniis, Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 6. *n.* 9. Gutierrez *loc. cit. num.* 7. Barbosa *loc. cit. n.* 15. *et* 16. Laymann *loc. cit. n.* 9. Bosco *p.* 5. *Disp.* 11. *sect.* 10. *Concl.* 3. Ratio est; quia etiam tali modo satisfit intentioni, ac fini Legis, qui ideo tantum diebus Festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia fieri praecipit Denuntiationes, quia supponit, tunc fieri magnum populi concursum; adeoque certius ac facilius relevandum Impedimentum, si quod subesset; qui finis aequaliter obtinetur, si die non Festivo, et extra Ecclesiam similis concursus fiet. Qui autem satisfacit fini et intentioni Legis, satisfacit Legi ipsi, *arg. can. Humanae aures cau.* 22. *q.* 5. ibi: *Non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem et intentionem; quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni.* et *l. Scire.* 16. *ff. de Legib.* ibi: *Scire Leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim et potestatem.* 7

Resp. IV. Denuntiationes debent fieri a proprio contrahentium Parocho, vel substituto per eum, et quidem in utraque Parochia, si Sponsi ex duabus diversis Parochiis sunt. Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 6. *n.* 4. Pirhing *h. t. n.* 28. Bosco *loc. cit.* Palao *de Sponsal. Disp.* 2. *punc.* 13. §. 3. *n.* 2. cum communi aliorum, *arg. cit. Concil. Trident.* ubi praecipitur, ut Denuntiationes fiant a proprio contrahentium Parocho; ergo ab utroque Parocho fieri debent, si uterque Sponsorum proprium habet. Accedit Declaratio Cardinalium S. Concilii Interpretum, quam allegat Sanchez *loc. cit.* et Bosco ex Farinacio 8

illis verbis: *Quando Matrimonium contrahitur inter duos de diversis Parochiis, debent in ambabus fieri Denuntiationes.* Idem habetur in Rituali Romano, *de Sacramento Matrimonii*, ibi: *Si vero vir et mulier Parochiae sint diversae, in utraque Parochia fiant Denuntiationes.* Ratio est, ut facilius et certius manifestentur impedimenta: quia impedimenta viri possunt esse occulta in Parochia mulieris, et econtra. Confirmatur praxi et consuetudine, quae est *optima legum interpres l. 37. ff. de Legib.*

9 Notant tamen Layman, Palao, et Pirhing *loc. cit.* vi consuetudinis bene fieri posse, quod sufficiat, si una tantum Parochia, in qua nuptiae celebrantur, fiant Denuntiationes. Ratio est; quia Denuntiationes vi solius Legis humanae in utraque Parochia fieri debent, *Concilium Tridentinum loc. cit.* Legi autem humanae derogat consuetudo legitime praescripta *c. fin. de Consuetud.*

10 Hic tamen occurrit non levis controversia Doctorum, in qua Parochia Sponsorum Denuntiationes fieri debeant? An videlicet in illa, in qua de facto habitant, et ratione domicilii, aut quasi talis, Parochiani sunt? an vero in Parochia, in qua diutius versati sunt, et verisimilius est, fore, ut facilius sciantur impedimenta, qualis ordinarie est Parochia, ubi parentis utriusque habitatio est; quod ultimum vult Sanchez *lib. 3. Disp. 6. num. 6.* Gutierrez *de Matrim. cap. 56. n. 6.* Segura citans Declarationem Cardinalium, Barbosa *de Offic. et potest. Episc. Allegat. 32. n. 14.* et communior aliorum. Rationem dant; quia tali modo magis satisfit intentioni Concilii Tridentini. Et haec sententia omnino est probabilis: qua non obstante.

11 Resp. V. Loquendo de Jure, si non probabilior, saltem aeque est probabilis sententia dicens, quod Denuntiationes fieri debeant in utriusque Parochia illa, in qua tempore Denuntiationum ita habitant, ut ratione veri, vel quasi domicilii, veri Parochiani sint. Pontius *lib. 5. cap. 30. n. 5.* cujus sententiam de Juris rigore veriorem judicat Bosco *p. 5. Disp. 11. sect. 10. Concl. 3. n. 59.* et alii, *arg. cit. Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1.* ubi expresse disponitur, ut Denuntiationes fiant *a proprio contrahentium Parocho*; atqui Parochus illius Parochiae, in qua contrahentes vi veri, aut quasi domicilii, sunt veri Parochiani, et ubi alia Sacramenta, Sepulturam, verbum Dei, et reliquam animarum curam percipiunt, est verus ac proprius ipsorum Parochus, prout fatentur ipsimet Adversarii, et in specie Sanchez *lib. 3. Disp. 23. a. n. 12. et 13.* ubi id *n. 12.* ad longum probat, Barbosa *loc. cit. n. 64.* Gutierrez *cap. 63. num. 19.* cum communi, et magis dicemus infra *a num. 58.* ubi cum communi docebimus, talem Parochum posse ac debere etiam assistere contrahentibus Matrimonium, quod facere non posset, nisi esset proprius eorum Parochus, ergo.

Nec obstat supra allegata Declaratio Cardinalium, utpote, quae non invenitur, uti sult Pontius, dicens se diligenter perlegisse Declarationes hac de re a celebribus Doctoribus editas, et tamen non invenisse; si tamen extaret, eidem utique adhaerendum foret.

12 Illud tamen cum Pontio *loc. cit.* et communi aliorum fatendum est, contingere nonnunquam posse, quod etiam in alia Parochia, in qua Sponsi de facto Parochiani quidem amplius non sunt, prius tamen ibidem diutius fuerunt, fieri debeant Denuntiationes *arg. cit. c. fin. h. t.* ubi praecipitur, ut *praeter Denuntiationes in Ecclesia propria factas, Presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat*, si videlicet id faciendi causa urgeat, qualis esse videtur, quando Sponsi, aut unus eorum in moderna Parochia propria diu adhuc non habitant, sed primum huc venerunt.

Nec obstat Concilium Tridentinum, quod *loc. cit.* assistere videtur, sufficere, si a proprio contrahentium Parocho Denuntiationes fiant. Nam contra est: Tum quia Concilium Tridentinum *loc. cit.* non corrigit, sed potius confirmat citatum *c. fin. h. t.* Tum quia idem finis est Concilii et Juris communis, *cit. c. fin. h. t.* videlicet, ut Denuntiationes ita et in tali loco fiant, quatenus impedimenta, si quae obessent, facilius detegi possent, cui fini nullatenus satisfieret, si Sponsi recenter ad aliquam Parochiam venientes, solummodo ibidem, et non ibi, ubi diutius morati sunt, denuntiarentur, consequenter nec Lex ipsa Trident. observaretur per Jura supra *num. 7.* citata et c. *Certum est. 88. de R.J. in 6* ibi: *Certum est, quod is committat in legem, qui verba legis complectens contra legis nititur voluntatem.* 13

Caeterum quandonam fieri debeant Denuntiationes etiam in alia Parochia, quam in ea, in qua quis de facto ratione veri, aut quasi domicilii Parochianus est, relinquitur judicio prudentum, praesertim Ordinariorum, ad quos in casu majoris difficultatis, aut dubii, ubinam Sponsi denuntiari debeant, Domini Parochi recurrere habent, ut *loc. cit.* ad finem bene observat Pontius. Pro praxi nihilominus ex dictis inferre placet.

Infertur. Non esse Regulam universalem, quod Sponsi semper debeant etiam denuntiari in Parochia, in qua nati sunt, prout aliqui exigere videntur. Nam contra est: tum quia Concilium Tridentinum non requirit, ut in Ecclesia, in qua nati sunt, Sponsi denuntientur, sed in propria Parochia, quae saepe non amplius est locus nativitatis, sed habitationis. Tum quia non raro contingit, quod aliqui ante annos pubertatis, vel paulo post, jam a loco nativitatis discedentes in aliis locis per plures versentur annos. Tum quia nonnunquam contingit, aliquem diutius extra, quam in loco nativitatis suae morari. In quibus casibus plane non apparet, cur in loco nativitatis Denuntiationes fiant; cum nec textus, nec finis, aut ratio Concilii Tridentini id exigat. Hinc (salvo meliori judicio) nunquam videtur necessarium, ut Denuntiationes fiant etiam in loco nativitatis Sponsorum, si ipsi jam per aliquot quinque v. g. sex, vel plures annos in alio versantur loco, ibique Parochiani sunt ratione veri, vel quasi domicilii: praesertim, si locus nativitatis multum distet; prout saepe contingit in famulis, et famulabus conducititiis et opificum; nisi forsan specialis occurreret ratio, aut circumstantia prudens dubium causans, vel aliud exigens. Accedit, quod si locus nativitatis sit multum distans, ordinarie concurrat una ex causis dispensandi infra a *num. 19.* allegandis. Pro cautela tamen ordinarie bene facit Ordinarius, si ab alienigenis juramentum exigit, quod sint liberi ab omni vinculo Matrimonii, aut Sponsaliorum. 14

Resp. IV. Quamvis ad licite contrahendum Matrimonium necessario praemitti debeant Denuntiationes, tamen ad valorem Matrimonii minime requiruntur. Sanchez *lib. 3. Disp. 5. n. 3.* Gutierrez *de Matrim. cap. 56. n. 2. et de Juram. p. 1. cap. 51. n. 21.* Pontius *lib. 5. cap 30. n. 2.* Bosco *p. 5. Disp. 11. sect. 10. Concl. 1.* cum communissima, et hodie certa aliorum, contra Menochium apud Sanchez *loc. cit.* Probatur. Matrimonia sine praeviis Denuntiationibus contracta de Jure communi subsistunt; cum nullibi reperiatur Canon ea irritans, fateturque ipsum Concilium Tridentinum *cit. Session. 24. de Reformat. Matrimon. cap. 1.* dicens, *quod is in statu Denuntiationis permaneant, dum priora* 15

uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Quibus verbis aperte indicat, Matrimonium clam, consequenter etiam sine Denuntiationibus contractum, validum fuisse; ergo adhuc valet, eo quod Jus antiquum per novum Tridentinum in hoc correctum non sit. Licet enim irritaverit Matrimonium clandestinum ob defectum praesentiae Parochi ac testium per dicenda infra §. *seq.* tamen non annullavit, sed tantum prohibuit Matrimonium ex defectu Denuntiationum Clandestinum. Accedunt plures Declarationes Cardinalium pro Conclusione factae, quas vide apud Farinacium. Ex quibus juvat unam adducere ex Bosco *loc. cit. num.* 6. sequentis tenoris: *S. Congregatio Concilii censuit, Matrimonium contractum non praemissis Denuntiationibus, nisi aliud obstet, irritum non esse.* Accedit praxis, *ac consuetudo optima legum interpres c.* 8. *de Consuetud.* similia Matrimonia pro validis agnoscens.

16 Nec obstat, quod Menochius cum adversariis objicit ex *l. Non dubium ff. de Legib.* ibi: *Nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente:* et infra: *Ea, quae lege fieri prohibentur, si facta fuerint, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur; licet Legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est.* Concordant Canones, ut *cae. Imperiali, can.* 25. *q.* 5. ibi. *Imperiali constitutione aperte sancitum est, ut ea, quae contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint,* etc. *Quae contra.* 64. *de Reg. J. in* 6. ibi: *Quae contra Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Nam contra haec patet responsio ex dictis *Lib. I. Tit. II.* §. *XI. a. n.* 247. quod videlicet haec Jura locum habeant, quando Lex vel utitur terminis irritantibus, aut praescribit formam seu substantiam actus, aut substantiam ipsam prohibet: secus quando tantum versatur circa modum, qualitates, et accidentia, uti in praesenti.

17 Quaeritur II. An, quinam et quando dispensare possint in Denuntiationibus? Resp. I. Ex justa causa potest quivis Ordinarius dispensare, quod Matrimonium vel sine omni Denuntiatione, vel una tantum praemissa, contrahatur, vel etiam, quod primum post Matrimonium jam contractum Denuntiationes fiant. Unanimis et certa ob claram dispositionem Concilii Tridentini *cit. Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. ibi: *Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint Denuntiationes, tunc vel una tantum Denuntiatio fiat, vel saltem Parocho cum duobus, vel tribus testibus praesentibus Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem Denuntiationes in Ecclesia fiant; ut si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur: nisi Ordinarius ipse judicaverit, ut praedictae Denuntiationes remittantur, quod illius prudentiae et judicio S. Synodus relinquit.*

18 Dicitur notanter *ex justa causa*, quia haec est de essentia Dispensationis; cum sine justa causa dispensatio non sit dispensatio, sed dissipatio, juxta dicta *Lib. I. Tit. II.* §. 18. *n.* 450. Hinc recte infert Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 8. *n.* 2. graviter peccare Ordinarium, si absque justa causa in Denuntiationibus dispenset; quia agit contra Legem in materia gravi. Quaenam autem sint justae causae ad praesens, dabit Conclusio sequens.

19 Resp. II. Justae causae dispensandi in Denuntiationibus, inter alias sunt etiam sequentes. I. Est, quotiescunque adest probabilis timor, aut suspicio, ne, si Denuntiationes fiant, Matrimonium a consanguineis, vel aliis, malitiose impediatur. Omnes; quia hanc causam ipsum Concilium allegat.

II. Si probabilis suspicio, aut periculum est, ne pars altera voluntatem mutet, et a Sponsalibus injuste resiliat; dum tamen multum interest Matrimonium contrahi. Bosco *p.* 3. *Disp.* 11. *sect.* 10. *Concl.* 6 n 145. Layman *lib.* 5. *tr.* 10 *p.* 2. *cap.* 4. *n.* 11. ubi inter causas dispensandi etiam numerat Sponsorum inconstantiam. 20

III Si Principes, et Magnates contrahunt. Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 9. *n.* 3. Bosco *loc. cit. n.* 146. Barbosa *de Offic. et potest. Episc. Allegat.* 32. *n.* 45. eo quod horum impedimenta, si adessent, statim essent nota. 21

IV. Evitatio infamiae, ut si concubinarii, communiter reputati conjuges, velint contrahere: aut si Matrimonium in facie Ecclesiae nulliter est contractum ob latens impedimentum affinitatis v. g. Bosco *loc. cit.* Sanchez *loc. cit. n.* 5. Palao *de Sponsal. Disp.* 2. *punc.* 13. §. 4. *n.* 7. Layman *loc. cit. n.* 11. 22

V. Gravis erubescentia aut pudor, qui contingere potest, si Sponsi sunt valde senes, aut valde dispares, ut si Sponsus sit valde senex, et Sponsa juvencula, aut ille praenobilis, haec plebeia, aut ille valde dives, ista paupercula, Sanchez *loc. cit. n.* 3. Bosco *loc. cit. n.* 146. Barbosa *loc. cit. n.* 46. et plures alii ab his citati. 23

VI. Angustia temporis, ut si immineret tempus Adventus, aut Quadragesimae, adeo ut, nisi dispensetur, nuptiae nimis, et cum periculo incontinentiae, aut alterius gravis incommodi, aut praejudicii differre deberent. Sanchez *loc. cit. n.* 8. Layman *loc. cit.* Bosco *loc. cit* Palao *loc cit.* 24

VII. Periculum scandali, vel etiam gravis damni in bonis fortunae, corporis, famae, aut animae. Sanchez *loc. cit.* Layman *loc cit* Palao *loc. cit.* Bosco *loc. cit.* Pontius *lib.* 5. *cap.* 32. *n.* 2. 25

VIII. Quaevis notabilis contrahentium commoditas, aut bonum, sive temporale, sive spirituale, Palao *loc. cit.* 26

IX. Quando moraliter certum est, nullum adesse impedimentum, aut aliud obstaculum, Sanchez *loc. cit. num.* 7. citans plures alios; item Bosco *loc. cit. num.* 146. Ratio est: tum quia ob hanc causam dispensatur cum Magnatibus. Tum quia in tali casu cessat finis Legis; quamvis enim cessante fine Legis solum in particulari, non cesset in eodem Lex ipsa, ut amplius dictum est *Lib. I. Tit. II. de Constit.* tamen cessans finis praebet causam in particulari dispensandi Bosco *loc. cit.* 27

X. Tandem dispensare potest Ordinarius ex quavis alia causa, quae juxta prudens judicium videtur justa. Ratio est; quia ejusdem judicio Concilium relinquit. 28

Addunt aliqui, quod etiam causa dispensandi sit, si contrahunt vagi et ignoti, Gobath *Tr.* 10. *casu* 13. *n.* 491. quia frustra fiunt de his Denuntiationes, cum, uti supponitur, hominibus in loco, quo copulantur, sint ignoti. 29

Illud tamen notandum, quod si Ordinarius ob aliquam ex recensitis causam dispensare velit, prius aliquo modo investigare, et cognoscere debeat, an causa, quae pro dispensatione allegatur, vel saltem alia justa, revera subsit Palao *loc. cit. ad finem*, Sanchez *loc. cit* *Disp.* 8 *n.* 4. Perez *Disp.* 45. *sect.* 4. *n.* 15. *arg. Concil. Trident. Sess* 24. *de Reform Matrim cap.* 18. ibi: *Quapropter sciant universi, sacratissimos Canones exacte ab omnibus, et quoad ejus fieri potest, indistincte observandos, quod si urgens justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum esse: id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis a quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit praestandum,* 30

aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.

31 Sufficit autem extrajudicialis cognitio, et non requiritur judicialis, consequenter non est necesse, ut Ordinarius servato Juris ordine, aut per testes juratos etc. indaget. Sanchez *lib. 3. Disp.* 8. *n.* 4. Bosco *loc. cit.* n. 133. Ratio est; quia Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. agens de dispensatione Denuntiationum, totum prudentiae ac judicio Ordinarii relinquit; quoties autem aliquid Judicis judicio et arbitrio relinquitur, non est necessaria cognitio et probatio Judicialis. Bosco, et Sanchez *loc. cit. arg. c.* 2. *de Juram. et c. fin. de Voto*, ac ibi Glossa ℣. *Conscientia.* item. c. *Statutum de Rescript.* in 6. juncta Glossa ℣. *Relinquatur.*

32 Debet insuper extrajudicialiter saltem aliquo modo indagare, ac se informare, an non subsit aliquod impedimentum. Sanchez *lib. 3. Disp.* 9. *n.* 10 Palao *loc. cit.* Peres *loc. cit. arg. c. fin. h. t.* ibi: *Presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat.* In quo puncto potest subinde, et debet exigere juramentum ab uno vel utroque Sponso, si circumstantiae id exigant; praesertim si non bene constat de libero statu ac vinculo Matrimonii.

33 Resp. III. Per *Ordinarium*, qui juxta dicta n. 17. in Denuntiationibus dispensare potest, intelligitur non tantum Episcopus, sed omnes alii Praelati Ecclesiastici, qui jurisdictionem quasi Episcopalem in aliquo Territorio obtinent, nullique Dioecesano subjecti sunt, v. g. Legati Sedis Apostolicae in suis Provinciis Sede vacante, et nonnulli Abbates, aut Praelati dictam jurisdictionem sine ulla subjectione ad aliquem Dioecesanum habentes. Barbosa *de Offic. et potest. Episc Allegat.* 32. n 30. Sanchez *lib. 3. Disp.* 7. n. 4. Navarrus *lib.* 4. *Consil. de Clandestin. Desp. Consil.* 2. et alii. Ratio est; quia omnes hi sunt vere Ordinarii, per ea, quae diximus *Lib. I. Tit. XXXI. de Offic. Ordin.* n. 1. Ordinarius autem quivis habet memoratam potestatem juxta Concilium Tridentinum, *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. cum enim ibi indistincte loquatur de Ordinario, de eo indistincte venit intelligendum, *arg.* c. *Quia circa. de Privileg.*

34 Resp. IV. In specie etiam Vicarius Generalis Episcopi absque ulla speciali commissione aut mandato, ipso Jure allegatam habet potestatem, Barbosa *loc. cit.* n. 28. plurimos ibidem alios allegans, Sanchez *loc. cit.* n. 10. Palao *loc. cit.* §. 4. n. 2. Gutierrez *de Matrim. cap.* 56. n. 11. Sperellus *decis.* 97. cum communiori aliorum contra Pontium *lib.* 6. *cap.* 31. n. 5. et nonnullos alios. Ratio est; quia Vicarius Generalis est vere Ordinarius, habetque veram jurisdictionem ordinariam, et quidem eandem cum Episcopo, *arg.* c. *Romana.* §. 1. *de Appellat.* in 6. juncta Glossa ibidem ℣. *Generaliter.* et amplius probavimus *Lib. I. Tit. XXXVIII. de Offic. Vicarii*, n. 91. atqui juxta dicta *num. praeced.* quivis Ordinarius habet potestatem dispensandi in Denuntiationibus: ergo.

Confirmatur: Vicarii Generales ante Concilium Trident. ex generali consuetudine poterant dispensare in Denuntiationibus, teste Sanchez *loc.* cit. post Paludan. ergo etiamnum possunt; quia Concilium dictam consuetudinem non revocavit. Accedit etiam hodierna plurium Dioecesium, saltem Germaniae, usus ac consuetudo, quae est optima Legum interpres, *L.* 37. *ff. de Legib.*

35 Objicies cum Adversariis: In Generali concessione, aut commissione Vicariatus, non venit potestas dispensandi, nisi specialiter committatur, ut habet Glossa in *can. Quae de causa, caus.* 2. *q.* 5. ℣. *Quidquid*, communiter recepta, atque tenet Sanchez *lib.* 2. *Disp.* 40. *n.* 10. *arg. c. Quid translationem.* 4. *de Offic. Legat.* ergo. Accedit, quod contra Conclusionem adsit Declaratio Cardinalium, prout ex Henriquez testatur Pontius *loc. cit.* Resp. distinguendo *Ant.* In Generali commissione Vicariatus non venire potestatem dispensandi, nisi Jus ipsum Ordinario in genere concedat dispensationem, conceditur; si Jus ipsum concedit, ut in praesenti, negatur.

Ad Declarationem respondetur, eam non obstare: tum quia de illa non tantum authentice non constat, sed etiam dubium existit; cum alii fidelissimi Collectores eam non invenerint: tum quia, etsi, dato, non concesso, existeret, possent Vicarii Generales nihilominus dispensare vi consuetudinis, vel antiquae a Tridentino non revocatae, vel novae post Tridentinum introductae. Enim vero quia consuetudo legitime praescripta, tribuit etiam jurisdictionem *c. Duo simul. de Offic. Ordin. et c. Contingat. de Foro compet.* potest vi illius fieri dispensatio in Jure; prout etiam diximus *Lib. I. Tit. II. de Constit.* §. 18. *n.* 471.

Porro praefati Ordinarii potestatem dispensandi habentes possunt cum utroque Sponso dispensare, etsi unus sit alterius Dioecesis. Sanchez *lib. 3. Disp.* 7. *num.* 7. Barbosa *de Offic. et potest. Episc. Allegat.* 32. n. 33. Gutierrez *de Matrim. cap.* 56. *ad finem.* Ratio est: quia sicut potest Episcopus Sponsum alterius Dioecesis cum suo subdito in Matrimonium conjungere, juxta dicenda infra *num.* 65. ita poterit etiam cum ipso dispensare. Accedit praxis et consuetudo, optima Legum interpres. 36

Resp. IV. Quamvis Parochi in Denuntiationibus vere dispensare nunquam valeant, possunt tamen sine Denuntiationibus Matrimonio assistere, non quidem dispensando, sed declarando, eas non obligare in casu, quo dispensatio necessaria est ob bonum prolis legitimandae, uti in articulo mortis Sponsae impraegnatae, aut ad evitandum periculum infamiae, Matrimonii malitiose impediendi etc. et in omnibus casibus, in quibus Ordinarius tenetur dispensare, si Ordinarius pro dispensatione adiri nequit, vel rogatus dispensationem injuste neget. *Primam partem*, quod de Jure dispensare nequeat, est communissima apud DD. ut videre est apud Palao *de Sponsal. Disp.* 2. *punc.* 13. §. 4. *n.* 3. Gutierrez *de Matrim. cap.* 56. n. 12. *et lib.* 1. *can. qq. cap.* 16. *num.* 6. Sanchez *de Offic. et potest. Episc. Allegat.* 132. *num.* 2. *et seqq.* Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *cap.* 4. *n.* 11. *arg.* c. *fin. h. t.* cui accedit Declaratio Cardinalium, quam inter alias refert Sanchez *loc. cit.* 37

Nec favet Parochis Tridentinum *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. prout Ledesma, et alii pro Parochis scribentes volunt. Nam contra est, quod Concilium ibidem solis Ordinariis concesserit potestatem in Denuntiationibus dispensandi; Parochi autem nomine Ordinarii pro Foro externo non veniunt; per dicta *Lib. I. Tit. XXXI. num.* 28. *et seqq.* 38

Secunda pars, quod in allegatis casibus, declarando per *Epichejam* Jus non obligare, valeant omittere Denuntiationes, docetur a Sanchez *loc. cit. Disp.* 10. n. 25. *et seq* Layman *loc. cit* Gobath *Tr.* 10. n. 493. *et seq.* Tanner *Tom.* 4. *Disp.* 8. *q.* 3. n. 132. Pontio *lib.* 5. *cap.* 32. n. 7. et aliis. Ratio est; quia in praefatis casibus videtur adesse necessitas moralis, ubi quam obligare cessat Lex humana, *l. un. ff. de Offic. Consuls. l. Aliquando.* 5. *ff. de Proconsul.* et c. 2. *de Observat. jejun.* cum Concordantiis. 39

Additur autem notanter in secunda parte Con- 40

clusionis, *et in omnibus easibus, in quibus teuetur Episcopus dispensare.* Nam in easibus, in quibus Ordinarius ob causam allegatam dispensare non tenetur, licet posset, nautiquam potest Parochus omittere Denuntiationes. Sanchez *loc. cit. num.* 30. Gobath *loc. cit.* Ratio est: tum quia, quando Ordinarius dispensare non teuetur, nulli facit injuriam, negando dispensationem. Tum quia, uti supponitur, abest omnis gravis necessitas, omnisque alia causa a Lege excusans; ergo Lex, nisi dispensetur, obligat. Quaenam autem sint causae, ob quas Ordinarius dispensare tenetur, habes infra *num. seq.*

41 Quaeritur III. An, et quando, seu ob quas causas Episcopus, seu alius Ordinarius rogatus dispensare in Denuntiationibus teneatur? Resp. Quamvis non ob quamvis causam, ob quam potest, teneatur Ordinarius dispensare, tenetur tamen ob aliquas. *Primam partem*, quod non ob quamvis causam teneatur, docet Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 10. *num.* 3. Pontius *lib.* 5. *cap.* 31. *n.* 6. Palao *de Sponsal. Disp.* 2. *punc.* 13. §. 5. *num.* 1. Gutierrez *lib.* 1. *can. qq. cap.* 20. *n.* 33. cum communi contra plures a Sanchez relatos, Ordinarium semper semper teneri dispensare, quoties aliqua subest causa. Ratio conclusionis est: Tum quia, non omne, quod potestati Judicis committitur, id Juris necessitati subjicitur, *l. Quidquid.* 4. *ff. de Judiciis.* Tum quia dispensatio etiam legitima et ex causa facta (secus enim non esset dispensatio, sed dissipatio per dicta *n.* 18.) vocatur gratia et misericordia, *c. Licet canon. de Elect.* in 6. ibi: *possit Ordinarius dispensationis gratiam facere. can. Didici. cau.* 1. *q.* 7. ibi: *Dispensationis enim gratia*, et *c. Pastoralis, de Cleric. excom. minist.* ibi: *Nisi misericorditer cum eis fuerit dispensatum*; ergo si subinde ex sola gratia et misericordia fit, non semper necessario fit.

42 *Secunda pars*, docetur etiam a Doctoribus *num. praeced.* allegatis, et Coninck *Disp.* 27. *dub.* 6. *n.* 57. Guttierrez *de Matrim. Disp.* 57. *n.* 4. qui docent, quod Ordinarius teneatur dispensare non tantum, quoties dispensatio servit pro bono communi, sed etiam quando conducit ad acquirendum notabile bonum privati; vel ad avertendum periculum incurrendi notabile damnum in bonis animae, famae, corporis, aut fortunae. Ratio est; quia Praelati Ecclesiastici ex Officio tenentur providere bono non tantum communi, sed et particulari subditorum; ergo, si dispensatio conducit pro notabili bono acquirendo, aut gravi damno avertendo, tenentur. Accedit, quod quivis ex charitate proximi teneatur grave alterius bonum procurare, et econtra malum avertere, si faciliter, et absque sui praejudicio potest, per vulgaria Theologiae principia desumpta ex Lege Divina: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, ergo, si id potest Ordinarius per dispensationem facere, eam impertiri tenebitur, eo quod faciliter, et sine omni sui praejudicio eam dare potest.

43 Infertur I. In omnibus causis supra a *num.* 19. allegatis, excepta *Tertia*, de Magnatibus, *quinta* de gravi erubescentia et *Nona*, teneri Ordinarium dispensare.

44 Infertur II. Si in praefatis casibus ob periculum in mora non facile potest adiri Ordinarius, posse, imo teneri Parochum etiam non petita dispensatione assistere Matrimonio absque praemissis Denuntiationibus per dicta *n.* 37. *et seqq.*

45 Infertur III. Si in memoratis casibus periculum in mora non est, debere quidem peti dispensationem ab Ordinario, eo tamen dispensationem injuste negante, posse saltem in Foro interno ut Sponsos licite contrahere, et Parochum licite assistere Matrimonio, per dicta *num.* 37. *et seq.* id, quod praeter ibidem allegatos docent etiam Castro Palao *de Sponsalib. Disp.* 2. *punc.* 13. §. 5. *n.* 4. Navarrus *in Summa cap.* 22. *n.* 70. ob rationem *num.* 39. *dictam.*

Dicitur notanter, *saltem pro Foro interno*; 46
quia si ob similem causam Ordinarius rogatus dispensationem expresse neget, non suaderem Parocho, ut Matrimonio assisteret; quia licet ordinarie in simili casu dispensationem dare teneatur, tamen ejus arbitrio et judicio relinquitur, an causa allegata, revera sit una ex illis, neque Parochus in Foro externo est Judex in hac causa. Hinc bene advertunt DD. quod, si Parochus contra expressam prohibitionem Ordinarii, aut eodem dispensationem negante, Matrimonio etiam ob aliquam ex allegatis causam assisteret, in Foro externo puniri posset, quamvis in Foro interno non peccaret.

Objicies autem contra secundam partem Conclusionis *num* 42. positam, et inde illata, *Concil. Trident. Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. ubi in causa etiam gravissima, malitiosi nempe impedimenti, prudentiae et judicio Ordinarii relinquitur, an in Denuntiationibus dispensare velit: ergo nunquam etiam ex gravi aliqua ex *num.* 42. allegatis causa dispensare tenetur. Resp. negando *conseq.* quia Concilium ibidem non relinquit arbitrio Ordinarii, quod certe cognito malitiosi impedimenti periculo, aliter, quam per dispensationem non declinabili dispensare possit, vel non; sed tantum relinquit eidem judicare et arbitrari, an revera tale periculum subsit, et alia, quam dispensationis via, amoveri nequeat. Palao *loc. cit.* n. 1. 47

Quaeritur IV. Quem effectum habeant, et qualiter Denuntiationes obligent tam populum audientem ad manifestanda impedimenta, quam Sponsos ad nubendum? Resp. I. Denuntiationes semel factae obligant Sponsos, ut vel intra quatuor menses contrahant, vel de novo Denuntiationes fieri patiantur. Barbosa *de Offic. et potest. Episc. Allegat.* 32. *n.* 55. Bonacina *de Matrim q.* 4. *pun.* 6. *n.* 1. §. *Quarto*, cum aliis: et ita decisum refert Rebell. *p.* 2. *lib.* 4. *in Declarat. Illust. Cardin. sect.* 2. *n.* 8. merito, quia facile contingere posset, ut interea novum impedimentum interveniret. 48

Resp. II. Post factas Denuntiationes quivis graviter tenetur manifestare impedimentum, si quod sit inter contrahentes volentes, etiamsi solus sciat; dummodo absque gravi suo incommodo, aut praejudicio id facere possit. Palao *loc. cit.* §. 5. *n.* 5. Gutiarrez *de Matrim. cap.* 59. *n.* 9. Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 13. *n.* 2. Covarruvias *de Sponsal. p.* 2. *cap.* 6. §. 10. *num.* 21. Navarrus *in Manual. cap.* 22. 83. Bosco *loc. cit. Concl.* 9. cum communiori aliorum contra Pontium *lib.* 5. *cap.* 34. Ratio est; quia quivis tenetur avertere ruinam spiritualem, et grave peccatum alterius, atque irreverentiam Sacramenti, si commode et absque sui praejudicio potest, sed in casu nostro potest, ut supponitur: Revelando enim impedimentum facit, quod alii contrahendo graviter non peccent, et ne gravis irreverentia irrogetur Sacramento, quod alias fieret; ergo. 49

Procedit Conclusio, licet sub secreto naturali, etiam juramento firmato, illud sciat, Sanchez *loc. cit. n.* 5. Bosco *loc. cit. n.* 274. *et seqq.* Aversa *q.* 7. *sect.* 4. citans communem, et alii contra Gutierrez *lib.* 1. *Canon. qq. cap.* 11. *n.* 27. Ratio est; quia juxta universalem Regulam apud D. Thomam 2. 2. *q.* 70. *a.* 1. *ad secundum*, quem teste Sanchez omnes sequuntur, secretum non obligat cum praejudicio tertii, sed potius manifestari

debet, ubi si non manifestatur, vergit in damnum publicum aut praejudicium tertii.

Nec refert, quod quis illud sub secreto, aut sigillo Confessionis, extra tamen Confessionis Sacramentum, acceperit, Sanchez *loc. cit. n.* 6. Bosco *loc. cit. n.* 275. quia secretum sub Sigillo Confessionis commissum, nisi in Confessione Sacramentali fiat, plus non, quam secretum naturale obligat, Sanchez *loc. cit. n.* 6. Bosco *loc. cit. n.* 275. Innocentius *in c. Omnis utriusque, de Poenitent. et Remiss n.* 7. et ibi Abbas *n.* 20. Navarrus *in Manual. cap.* 18. *n.* 55. Sylvester ℣ *Confessio* 3. *q.* 5. ℣. *Quarto*, et alii plurimi a Sanchez citati, extendentes doctrinam eam ad casum, quo quis flexis genibus, et facto signo Crucis ad modum confitentis secretum sub Confessionis sigillo committit, quia, nisi confitentur Sacramentaliter, secretum Sacramentale non est, uti cum Navarro bene observant Sanchez *loc. cit.* Bosco *loc. cit.* Cajetanus, Sotus, et alii apud Navarrum *loc. cit.*

Debet autem denuntians occultum impedimentum, servare ordinem praescriptum supra *n.* 318. quem etiam observandum esse, docet Sanchez *loc. cit. n.* 3. Palao *loc. cit. n.* 5 et alii.

Porro dicitur notanter in Conclusione, *dummodo, absque gravi suo incommodo, aut praejudicio id facere possit*; quia juxta communem Theologorum, charitas non obligat magno cum damno proprio advertere alterius damnum, sive spirituale, sive aliud. Palao *loc. cit.* Pontius *lib* 5. *cap.* 34 *n.* 2. Gutierrez *de Matrim. cap.* 49 *n.* 4. cum Communi aliorum.

50 Quaeritur V. Quae sint poenae contrahentium Matrimonium, et assistentium eidem non praemissis Denuntiationibus? Resp. I. Poena contrahentium sine Denuntiationibus est *Primo*, quod licet alias ex ignorantia nulliter contrahentium proles sint legitimae, *c. Ex tenore* 14. *Qui filii sint legitimi*, tamen si qui sine Denuntiationibus cum impedimento *dirimente* contrahunt, proles procreatae sint illegitimae, etiamsi dicat, se impedimentum ignorasse, *c. fin.* §. *Si quis h. t.* ibi: *Si quis vero hujusmodi clandestina, vel interdicta conjugia inire praesumpserit in gradu prohibito etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium.* Ratio ibidem redditur, quia affectatam ignorantiam parentes habuisse, praesumitur

Secunda poena est, quod eis sit adempta spes impetrandae dispensationis super tali impedimento. Concilium Tridentinum *Sess* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 5. Ratio ibidem redditur illis verbis: *Non enim dignus est, qui Ecclesiae benignitatem facile experiatur, cujus salubria praecepta temere contempsit.*

Tertia. insuper *his*, *qui taliter* (id est sine Denuntiationibus) *etiam in gradu concesso copulari praesumunt*, *condigna poenitentia injungatur*

51 Resp. II *Si Parochus, vel alius Sacerdos conjunctiones* (id est clandestina Matrimonia) *prohibere contempserit*, *aut quilibet etiam Regularis*, *qui eis praesumpserit interesse*, *per triennium ab Officio suspendatur*, *gravius puniendus*, *si culpae qualitas exegerit*. sunt verba Concilii Tridentini cit. *Sess.* 24 *de Reform Matrim. cap.* 1. Circa quae tamen advertendum, hanc poenam non esse latae, sed ferendae sententiae, uti cum aliis bene advertit Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 48. *num.* 2. patetque ex verbo textus, *suspendatur*.

§. II.

De necessaria ad Matrimonium praesentia Parochi, et testium: ac de clandestino Matrimonio ob defectum eorum: Ubi etiam de Matrimonio Vagorum, et Militum.

SUMMARIUM.

52 *Ad licite contrahendum Matrimonium utroque Jure requiritur praesentia Parochi, et Testium.*
53 *Ad valorem vero ejusdem Jure antiquo non requiritur.*
54 *Bene autem de Jure novo.*
55 *Ad valorem requiritur proprius.*
56 *Alterutrius Sponsi.*
57 *Potest tamen quivis assistere etiam in alterius Parochia.*
58 *Debet esse Parochus domicilii habitationis, vel quasi talis, et non originis.*
59 *Solvitur objectio. Domicilium originis nunquam mutatur, bene vero habitationis.*
60 *Domicilium habitationis proprium, vel quasi tale, quis dicatur habere? potest acquiri unico die.*
61 *Studiosi, famuli conductitii etc. habent quasi domicilium, et proprium Parochum ibi, ubi sunt, debentque ibi copulari.*
62 *Nisi tale domicilium deserant, et ad aliud se conferant.*
63 *Proprius Parochus alterutrius Sponsi in quovis loco et Parochia valide assistit Matrimonio.*
64 *Proponuntur, et solvuntur instantiae, praesertim ex declarationibus Cardinalium.*
65 *Etiam licite in aliena Parochia assistit sine solemnitate et benedictione.*
66 *De Jure communi, secus est de speciali statuto Dioecesium, praesertim Frisingensis.*
67 *Doctrina practica ad propositum*
68 *Benedictio nuptialis in Ecclesia danda est de praecepto leviter obligante: et quando dari debeat?*
69 *De Jure communi etiam in domo privata licite contrahitur Matrimonium; secus est in Dioecesi Frisingensi.*
70 *Parochus Matrimonio assistens, non necessario debet esse Sacerdos.*
71 *Bene vero ille, qui ex delegatione assistit.*
Alius dictio est repetitiva similium Ibid.
72 *Valide, non item licite assistit Matrimonio Parochus, cui administratio Sacramentorum, et assistentia fuit prohibita*
73 *Idem est de Parocho irregulari, suspenso, vel excommunicato.*
74 *Solvitur instantia.*
75 *Validum est Matrimonium, cui assistit Parochus putativus ob errorem communem.*
Error communis facit Jus Ibid
76 *Non item error privatus contrahentium*
77 *Quando Parochus est intrusus, invalide assistit Matrimonio, etsi adsit error communis*
78 *Sententia contraria est probabilis.*
79 *Validum est Matrimonium assistente Parocho putativo. etsi hic aut contrahentes errorem communem sciant*
80 *Licentia assistendi Matrimonio dari potest tam ab Ordinario, quam a Parocho*
81 *Alicui alteri. Sacerdoti tamen.*
82 *Etsi non sit Curatus*
83 *Licentia assistendi Matrimonio dari potest, verbo*

et scripto, specialiter, vel generaliter, v. g. commissione Curae animarum.

84 *Aut administratione Sacramentorum.*

85 *Capellani, seu Cooperatores Parochorum in his partibus habent generaliter sibi concessam licentiam assistendi Matrimonio.*

86 *Vagus quis sit?*

87 *Esse potest vages, etsi adhuc domicilium originis habeat.*

88 *Parochus vagorum in ordine ad Matrimoniam est Parochus loci, ubi vagi existent.*

89 *Etsi unus tantum sit vagus.*

90 *Et Sponsi ex fraude et dolo deseruerint domicilium.*

91 *Fraudem non facit, qui utitur jure suo.*

92 *Porochus sine licentia Ordinorii Motrimonio vagorum licite naa potest assistere.*

93 *Bene tamen valide.*

94 *Milites quando censeantur vagi in ordine ad Matrimonium?*

95 *Capellani Castrenses nec in castris nec in praesidiis see Quartieris possunt valide assistere Matrimonio, nisi habeant specialem facultatem a Sede Apostolica, vel licentiam et approbationem ab Ordinario, in cujus Dioecesi extare contingeret. Et num. seq.*

97 *Affertur novissima Declaratio Cardinalium.*

98 *Adducuntur plures doctrinae practicae de Capellanis Castrensibus in ordine ad Matrimonium usque ad n. 102.*

102 *Ad valorem Matrimonii requiruntur et sufficiunt duo testes.*

103 *Etiam infames, impuberes, consanguinei etc. Et num seq.*

104 *Testes inhabiles quando admittantur?*

105 *Solvitur objectio*

106 *Ad valorem Matrimonii requiritur praesentia moralis Testium, et Parochi.*

107 *Et quidem simultanea.*

108 *Sufficit tamen, etsi dolo adducti, aut vi detenti, aut casu praesentes sint.*

109 *Dummodo fuerint formaliter adhibiti, seu requisiti.*

110 *Quod aliqui necessario requirant.*

111 *Ob Declarationem Cardinalium.*

112 *Doctrina practica ad hoc.*

113 *Contrahentes, dolo aut vi praesentiam Parochi obtinentes peccant graviter.*

114 *Nisi gravis necessitas, et urgens causa aliud suadeat.*

115 *Poenae contrahentium, et assistentium Matrimonio clandestino Et duobus num. seqq*

Constat ex dictis supra *num.* 2. alteram speciem Clandestini Matrimonii esse, si contrahatur sine praesentia Parochi et Testium. Hinc

52 Quaeritur I. Quomodo de Jure tam antiquo, quam novo ad Matrimonium requiratur praesentia Parochi et Testium? Resp. I. Ad licite contrahendum Matrimonium utroque, antiquo nempe et novo Trident. Jure requiritur praesentia Parochi et Testium. Caret controversia. Et quidem de Jure antiquo expresse patet *can.* 1. 2. 3. *et* 5. *caus.* 30. *q.* 5. ubi requiritur, et praecipitur, *ut* Sponsi non conjungantur, nisi a paranymphis, ut parentibus, vel propinquis Sacerdoti, utique Parochiali, benedicendi offerantur, consequenter in praesentia Parochi et testium contrahant. De Jure *novo* constat ex Concilio Tridentino, *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. *princ.* ibi: *Tametsi dubitandum non est, clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, et vera esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde jure damnandi sint illi, ut eos S. Synodus anathemate damnat, qui ea vera et rata esse, negant: Nihilominus S. Dei Ecclesia ex justissimis causis, illa semper detestata est, et prohibuit*

53 Resp. II Quamvis Jure antiquo ad valorem Matrimonii necessaria non fuerit praesentia Parochi, et testium, consequenter Matrimonium ex hujus defecto Clandestinum, validum fuerit, tamen hodie etiam ad valorem requiritur, adeoque nullum ac irritum est Matrimonium ex defecto praesentiae Parochi et testium clandestinum. Et quidem quod de Jure antiquo ad valorem non fuerit requisita, clare patet, tum ex texto Concil. Trident. *num. praeced.* allegato. Tum ex *c.* 1. *et* 2. *h. t.* cum Concordantiis

54 Quod autem de facto Jure novo etiam ad valorem requiratur, clare statutum habetur cit. *Concil. Trident. Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1 ibi: *Qui aliter quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: et hujusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit, prout eos praesenti Decreto, irritos facit, et annullat.* Rationem hujus irritationis praemittit ipsum Concilium *loc. cit.* videlicet *gravia peccata, quae ex eisdem Clandestinis conjugiis ortum habent: praesertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicto, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt.* Licet enim Matrimonia summe clandestina, et nemine praesente contracta, coram Deo fuerint valida, tamen in Foro requirebatur probatio vel per ipsorum conjugum confessionem, vel aliunde facienda, *c.* 1. *h. t.* consequenter si unus, vel uterque negabat, et probatio alia defecerat, in Foro externo impuniti discedebant, etsi summe rei coram Deo, *c.* 2. *h. t.*

55 Quaeritur II. Cujusnam Parochi praesentia requiratur ad valorem Matrimonii? Resp. I. Ad valorem Matrimonii requiritur et sufficit alterutrius Sponsi proprius Parochus domicilii habitationis, vel quasi talis, non item Parochus originis. Conclusio habet plures partes, quarum *prima*, quod videlicet requiratur Parochus, est unanimis ob claram dispositionem Concilii Tridentini *loc. cit.* ibi: *Qui aliter quam praesente Parocho,* utique proprio, ut liquet ex praecedenti textu: ibi: *a proprio contrahentium Parocho.* Cujus nomine etiam Vicarii *perpetui*, sicut etiam Beneficiati *curati*, subditos Parochianos pro Foro poenitentiali habentes, intelliguntur per dicenda infra

56 *Secunda pars*, quod alterutrius Sponsi proprius Parochus sufficiat, docetur a Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 19. *n.* 4 Bosco *de Matrim Disp.* 11. *sect.* 9. *Concl.* 13. Gutierrez *de Matrim cap.* 62. *n.* 4. Navarro *in Manual. cap.* 25. *in fine.* Pirhing *h. t. n.* 14. cum communi et certa aliorum: Estque declaratum a S. Congregatione, teste Sanchez, et Bosco *loc. cit.* Ratio est, quia contractus Matrimonialis est individuus, et non nisi inter duos consistere potest; consequenter si quis ut Parochus proprius potest assistere Matrimonio unius potest etiam assistere Matrimonio alterius cum illo contrahentis, *arg. l. Si commune.* 10. *ff. Quemadmodum servit. amitt.*

57 Quod intellige non tantum, quando nuptiae celebrantur in Parochia illius Parochi, qui assistit, sed etiam, si celebrantur in Parochia alterius Parochi, ita, ut quamvis ordinarie assistat Parochus ille, in cujus Parochia celebrantur, tamen etiam Parochus Sponsae v. g. possit assistere Matrimonio, quod contrahitur in Parochia Sponsi, prout etiam a S. Con-

gregatione declaratum refert Fagnanus *in c. Quod nobis. h. t. n.* 33. Tom quia Matrimonium est jurisdictionis voluntarie. Tum quia Concilium Tridentinum de loco nibil expressit, sed tantum statait, ut proprius Parochus assistat, de quo adhoc infra *n.* 65. *et seqq.*

58 *Tertia pors*, qood requiratur Parochus habitationis, seu domicilii, vel quasi talis, et non sufficiat Parochus originis, nisi sit etiam habitationis, docetor a Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 23. *n.* 7. Bosco *loc. cit. Concl.* 11. *n.* 388. *et seqq.* Perez *de Matrim. Disp.* 40. *sect.* 2. *n.* 1. Gobath. *tr.* 9. *casu* 18. *n.* 486. et alii communiter. Ratio est; qoia Concilium Tridentinum requirit proprium Parochum; hic autem est Parochus habitationis seu domicilii; utpote ratione cujus quis Parochianus est, et dicitur, per dicta *Lib. III. Tit. XXIX. de Parochis. n.* 10. Accedit, quod proprius Parochus sit ille, a quo quis alia Sacramenta v. g. poenitentiae recipit; et qui alteri dare potest licentiam, ad eadem sois Parochianis administranda, *c. Omnis utriusque sexus de Poenitent. et Remiss.* sed talis est Parochus domicilii: ergo. Unde etiam *portio Canonica*, quae est debitum Parochialo, non datur Parocho originis, sed domicilii, *arg. c. Cum quis.* 2. §. *Cum ab eo, de Sepult. in* 6. Accedit Declaratio Cardinalium, quam refert Bosco *loc. cit. n.* 400. sequentis tenoris: *Proprius Parochus est, in cujus Parochia contrahentes habitant tempore, quo Matrimonium contrahitur.*

59 Dices: Domicilium originis potentius ac fortius est quam habitationis; cum illud nunquam amittatur, *l. Assumptio.* 17. *ff. de Municip.* et *l. Origine.* 4. *C. de Municip.* sed cum ipso habitationis domicilio retineatur *l. Senatores.* 11. *C. de Senat.* domicilium habitationis vero pro libitu mutari et amitti potest, *l. Domicilium. ff. ad Municip.* ergo etiam Parochus originis valide assistere potest Matrimonio; praesertim, quia ei, qui duo domicilia habet, cujosvis domicilii Parochus assistere valeat. Resp. concesso *Ant.* negando *conseq.* quia Concilium expresse requirit proprium Parochum, hic autem joxta *num. praeced.* dicta est Parochus domicilii habitationis.

Nec refert, quod etiam locus originis vocetur domiciliom, saltem originis; nam contra est, quod in dubio nomine domicilii veniat domicilium habitationis. Sanchez *loc. cit. arg. c. statutum.* 11. §. *Cum vero. de Rescript. in* 6. et ibi Glossa ℣. *Unam dictam*, Anchoranus *n.* 4. et alii, ot proin, licet, si quis duo habeat domicilia habitationis, a quovis horum Parocho conjongi valeat; tamen a Parocho originis id fieri nequit; quia, ut supponitur, proprius Parochus Sponsi non est; quod tamen joxta Concilium Tridentinum requiritur.

Quod autem Ordo ab Episcopo domicilii originis conferri valeat, specialis dispositio Juris est, quae ad Matrimonium extendi non potest, praesertim cum nec ad alia Sacramenta Poenitentiae v. g. Eucharistiae etc. extendatur.

60 Caeterum quinam dicatur habere verum, vel quasi domicilium, vide *Lib. II. Tit. II. de Foro compet.* §. 2. solum adde, quod sicut ad acquirendum verum domicilium sufficiat unius diei habitatio cum animo ibidem constante permanendi, juxta dicta et probata *loc. cit.* ita etiam ad acqoirendum quasi domicilium sufficiat una aut altera dies cum animo ibidem habitandi per majorem anni partem, quod *loc. cit. ad finem* jam adduximus, et tenet Bosco *cit. Disp.* 11. *sect.* 9. *Concl.* 11. *n.* 406. Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 23. *n.* 12. *et* 14. Gutierrez *de Matrim. Disp.* 63. *n.* 19. favetque Declaratio Cardinalium apud Bosco *loc. cit.* Farinac. *in Novissimis ad Concil. Trident. Sess.* 24. *cap.* 1. *n.* 2. illis verbis: *Quando Matrimonium contrahitur inter duos alienigenas, et a parvo tempore in aliquo loco habitantes, qui tamen sint cogniti, et non comprehensi inter vagabundos, proprius eorum Parochus esse intelligitur, in cujus Parochia habitant eo tempore, quo Matrimonium contrahunt.* Ratio est; quia non apparet, cur quis possit acquirere verum domicilium per unum diem cum animo ibidem perpetuo manendi, et non quasi domicilium per unum diem cum animo per majorem saltem anni partem ibidem manendi, quod temporis spatium pro quasi domicilio requiritur, juxta dicta *Lib. II. Tit. II.* §. 2. *n.* 22.

Infertur, studiosos in loco studii, famulos mercenarios, et alios, qui per majorem anni partem alicubi morari intendunt, licet perpetuo ibidem manere non cogitent, primo statim die effici Parochianos, posseque et debere Parochum talis loci, illorum Matrimonio assistere; eo quod primo statim die quasi domicilium acquirant juxta dicta *num. praeced. et Lib. II. Tit. II.* §. 2. *n.* 23. Idem est de illis, qoi tempore pestis, belli longius duraturi in aliquem locum confugiunt animo ibidem permanendi, quamdiu bellum, aut pestis duraverit. Secus autem res se habet in illis, qui tantum recreationis, peregrinationis, aut negotii breviter expediendi causa, in aliquem locum se conferunt: quia cum hi animum non habeant, per majorem anni partem ibidem permanendi, consequenter nec domicilium habitationis, nec quasi tale acquirant, veri Parochiani in tali loco non sunt, nec Parochus talis loci Matrimonio eorum assistere potest, textu claro *c. Is, qui fidem de Sepult. in* 6. quae omnia amplius deducta vide apud Sanchez *loc. cit. n.* 12. et Gutierrez *loc. cit.* 61

Quibus non obstantibus, possunt hi omnes etiam in loco originis, aut in alio loco, assistente talis loci Parocho, Matrimonium contrahere, si volunt, dummodo illud, quod de facto habent, quasi domicilium deserant (uti juxta omnes quivis potest, *arg. l. Domicilium. ff. Municip.*) et ad alium locum, animo ibidem vel perpetuo, vel per majorem anni partem morandi, conferant, consequenter aliud domicilium habitationis, sicque alium Parochum acquirant. Secus foret, si quasi domicilium non deserere, sed statim redire intendentes, in originis, aut alio loco contrahere vellent; hoc enim in casu, cum prius domicilium non amittant, nec novum acquirant, a nullo alio, quam prioris illius quasi domicilii Parocho copulari valeant. 62

Resp. II. Proprius ratione veri, vel quasi domicilii Parochus alterutrius Sponsi valide assistit ejus Matrimonio in quocunque loco, aut Parochia, etiam tali, in qua nec Sponsus, nec Sponsa Parochiani sunt. Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *Disp.* 19. *n.* 14. Bosco *loc. cit. Disp.* 11. Pirhing *h. t. n.* 15. Perez *de Matrim. Disp.* 40. *sect.* 2. *n.* 7. Coninck *Disp.* 26. *dub.* 2. *n.* 22. Hurtado *de Matrim. Disp.* 5. *n.* 22. Castro Palao *de Sponsal. Disp.* 2. *punc.* 13. §. 9. *n.* 3. Gutierrez *de Matrim. cap.* 62. *n.* 5. cum communi aliorum contra Pontium *lib.* 5. *de Matrim. cap.* 16. *n.* 4. Ratio est; quia, ut supra *n.* 57. jam dictum, Concilium Tridentinum ad valorem Matrimonii tantum requirit, ut in praesentia proprii Parochi fiat, non vero, ut in propria Parochia fiat, eo quod per solam assistentiam, ubicunque tandem Matrimonium celebretur, jam non videatur Clandestinum Matrimonium, adeoque finis Concilii Tridentini habeatur. 63

Dices. Nemo potest extra Territorium proprium exercere jurisdictionem, *arg. c. fin. de Constit. in* 6. ibi: *Extra Territorium jus dicenti impune non paretur.* Et in specie Parochis prohibitum est, ut *nullus alterius Parochiae terminos aut jus invadat*, 64

sed sit unusquisque suis terminis contentus, et taliter Ecclesiam, et plebem sibi commissam custodiat, uti dicitur *can.* 1. *cau.* 13. *q.* 1. Accedunt plures Declarationes Cardinalium, quas refert Pontius *loc. cit. n.* 4. quarum una ad interrogationem Episcopi Brugnatensis data, ita decernit: *Ut si quando vir ad domum uxoris accedat pro contrahendo et consummando Matrimonio, is proprius Parochus sit, qui uxoris est, et illis benedictionem Sacerdotalem dare poterit de Jure.* Altera sic sonat: *Ut proprius Parochus sit, qui uxoris Parochus est, si in domo uxoris contrahitur, vel in ejus Parochia, ut supra in una Brugnatensi benedicere Sponsos debeat, non obstante quacunque consuetudine contraria etiam immemoriali.* Ex quibus Pontius infert, semper debere illum Parochum assistere, in cujus Parochia Matrimonium contrahitur.

Ad has instantias, et quidem ad *c. fin. de Constit. in* 6. respondetur, illud loqui de jurisdictione necessaria et contentiosa, consequenter non procedere de assistentia Parochi, utpote quae vel omnino non est exercitium, aut actus jurisdictionis, sed nudus actus testis qualificati cum aliis testibus assistentis Matrimonio: vel est actus jurisdictionis non contentiosae, aut necessariae, sed voluntariae, quae etiam extra Territorium exerceri potest, *arg. L.* 2. *ff. de Offic. Procons.* Ad *can.* 1. *cau.* 13. *q.* 1. respondetur, per illum ad summum probari, quod illicitum sit Parocho assistere Matrimonio in aliena Parochia cum solemnitate, quod ipsimet infra dicemus.

Ad Declarationes Cardinalium respondetur, per eas tantum probari, quod Parochus proprius Sponsorum in aliena Parochia non possit eorum Matrimonio solemni, id est, quod celebratur in Ecclesia cum consuetis solemnitatibus, praesertim cum benedictione Sacerdotali, assistere, quia ista cum quodam quasi strepitu judiciario fiunt, prout bene respondet Sanchez *loc. cit.* n. 19. Bosco *loc. cit. n.* 478. et ipsaemet indicant Declarationes allegatae, utpote in quibus expresse fit mentio de benedictione Sacerdotali.

Quod si contendas, illas etiam contra valorem sonare, respondetur eas esse correctas ab alia subsequenti Declaratione recentiori, prout testatur Fagnanus in *c. Quod nobis h. t. num.* 33. addens Sanctissimum voluisse, quod ita etiam imposterum respondeatur.

65 Resp. III. Etiam licite in quovis loco aut Parochia Parochus alterutrius Sponsi privatim, et absque pompa, benedictioneque publica Matrimonio assistere potest, Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 19. n. 18. Castro Palao *loc. cit. Disp.* 2. *punc.* 13. § 9. *n.* 5. Perez *de Matrim. Disp.* 40. *sect.* 2. *n.* 7. Gutierrez *de Matrim. cap.* 61. *n.* 6. Bosco *loc. cit. Concl.* 13. *n.* 11. contra Pontium *lib.* 5. *cap.* 16. *n.* 11. Ratio est; quia nullo Jure talis assistentia est prohibita, si fiat sine solemnitate publica: haec enim cum importet aliquem quasi strepitum judiciarium, in alieno Territorio exerceri nequit, ut bene advertunt DD. citati, *arg. c. Ut animarum de Constitut. in* 6. et *can.* 1. *cau.* 13. *q.* 1. quia tamen benedictio necessario connexa non est Matrimonio, eidem in aliena Parochia bene assistere potest Parochus Palao *loc. cit.*

66 Dicitur autem notanter *de Jure*: quia in plerisque Dioecesibus speciale habetur statutum, ut Matrimonia non nisi in Ecclesia cum benedictione celebrentur, ut in Frisingensi, prout patet ex *Ritual. p.* 1. *c.* 9. *memb.* 1. *n.* 4. contra quod, si absque licentia Ordinarii Parochus ageret, utique erraret, et puniri posset, nisi aliud obtinuisset consuetudo, prout etiam dictum Rituale Frisingense ibidem expresse limitat.

67 Infertur: validum quidem esse Matrimonium, quod Frisingenses non tantum in aliena Parochia, sed et aliena Dioecesi Oettingae v. g. vel Augustae contrahunt, si sibi assistentem habeat proprium Parochum, vel etiam alium Sacerdotem de licentia Parochi, aut Ordinarii, juxta dicenda infra *n.* 80. Non posse tamen dictum Parochum Matrimonio horum solemniter, in Ecclesia nempe assistere cum consuetis solemnitatibus, neo illud benedicere, sed debere copulationem facere in domo aut loco privato; quamvis si publice fieret, adhuc subsisteret; etsi tam Parochus ita assistens, quam contrahentes peccarent, et tanquam transgressores Legis puniri possent. Imo etiamsi in domo privata sine licentia Ordinarii assistat, errat, et puniri potest, non quidem de Jure communi, sed ex praescripto Ritualis.

Dices: Matrimonium non potest licite contrahi sine benedictione nuptiali in Ecclesia danda, utpote quae est de praecepto saltem leviter obligante, ut docet Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 82. *n.* 6. Gutierrez *cap.* 106. *n.* 106. et alii communiter, *arg. can.* 1. 2. *et* 3. *caus.* 30. *q.* 5. juncto Concilio Tridentino *loc. cit.* ergo etiam de Jure communi Parochus in aliena Parochia assistere nequit, hoc ipso quod in aliena Parochia benedictionem hanc dare non possit, prout fatentur Omnes. Resp. distinguendo *Ant.* benedictio nuptialis est de praecepto, ita ut statim, ac contrahitur Matrimonium, dari debeat, negatur: ita ut suo *tempore* conferatur (prout loquitur *can.* 1. *caus.* 30. *q.* 5.) conceditur *Ant.* et negatur *consequentia*. Hortatur tamen Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. *Ut ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent conjuges.* Quibus verbis aperte indicat, fieri posse Matrimonium, quin statim benedictio conferatur. 68

Infertur II. De Jure communi licitum esse, Matrimonium etiam in domo privata multo magis in portico Ecclesiae contrahere; cum enim juxta dicta *n.* 63. et *n.* 65. possit Parochus licite Matrimonio assistere in aliena Parochia, in hac autem assistere nequeat publice in Ecclesiae, neque benedictionem impertiri juxta dicta *n.* 64. *et seq.* necessario assistere debebit in domo privata, consequenter licitum erit, in domo privata contrahere, de Jure communi. In Dioecesi tamen Frisingensi, ex praescripto Ritualis in Ecclesia contrahi, et benedici debet Matrimonium, excepta rationabili locorum consuetudine, prout expresse ibidem addit, ex quo manifeste liquet, consuetudine fieri posse, ut in porticu Ecclesiae contrahatur Matrimonium; praesertim cum id de Jure communi sit licitum juxta dicta, nec causa irrationabilitatis contra talem consuetudinem allegari possit per ea, quae *Lib. I. Tit. IV.* §. 2. *et* 3. dicta sunt. 69

Resp. IV. Parochus Matrimonio valide ac licite assistit, etsi nondum sit Sacerdos, Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 20. *n.* 3. Pontius *lib.* 5. *cap.* 17. *n.* 1. Bosco *loc. cit. concl.* 8. Gutierrez *de Matrim. cap.* 62. *n.* 16. cum communi aliorum, contra nonnullos a Sanchez citatos. Ratio est: quia Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. tantum requirit, ut assistat Parochus; atqui talis esse potest etiam non Sacerdos, dummodo ad Ecclesiam Parochialem sit assumptus, *c. Licet canon. et c. Statutum. de Elect. in* 6. qui proin ea, quae a potestate Ordinis Sacerdotalis non dependent, bene exercere valet. Accedit Declaratio Cardinalium, quam pro Conclusione afferunt DD. citati. 70

Dices: ille, cui delegatur assistendi potestas, non potest esse alius quam Sacerdos, juxta communissimam, *arg. cit. Concil. Trident.* ibi: *vel alio Sacerdote de licentia ipsius Parochi*: ergo etiam ipse Parochus debet esse Sacerdos; praesertim, quia particula 71

alius est relativa et repetitiva similium, *arg. l. Si fugitivi C. de Servis fugitiv.* juncta Glossa final. *ibid.* Resp. concesso *Ant.* negando *Conseq.* quia praeterquam quod dictio *alius* non semper sit repetitiva similium, (uti patet ex illo Lucae 23. *Ducebantur et alii duo nequam cum eo*, id est, cum Christo, quem tamen nequam fuisse, nullatenus sequitur) Concilium ibi terminum *alio* adhibuit; quia Parochi ordinarie solent esse Sacerdotes. Quandonam autem dictio *alius* non sit repetitiva similium, desumitur ex aliis Juribus id declarantibus, vel quando subjecta materia, aut ratio id suadet, uti in praesenti.

72 Resp. V. Etiam ille Parochus, cui vel ob imperitiam, vel in poenam delicti administratio Sacramentorum, et specialiter assistentia Matrimonialis ab Episcopo interdicta est, valide Matrimonio assistit, Fagnanus *in c. Litterae quas de Matrim. contra interdict. Eccles. num. 5. et seq.* id late probans Bosco *cit. Disp. 11. sect. 9. concl. 9. a n. 335.* Sanchez *lib. 3. Disp. 21. n. 11.* cum communi aliorum. Ratio est: tum quia per tale interdictum aut prohibitionem non privatur titulo, et potestate Parochiali, consequenter Matrimonio valide adhuc assistere potest, eo quod quemvis Parochum proprium ad id legitimaverit Concilium Tridentinum *cit. Sess 24 de Reform. Matrim. cap. 1.* ut proin Parochus jure proprio, et non ex aliena facultate hunc actum exerceat, *arg. l. More majorum. ff. de Jurisdict. omnium Judic.* ibi, *Qui nam suo jure, non alieno beneficio habent.* Tum quia universaliter Matrimonia contra interdictum Ecclesiae valent; nisi interveniat impedimentum *dirimens*, *arg. c. 2. de Matrim. contract. contra interdict. Eccles.* Accedit pro conclusione Rotae decisio, et declaratio Cardinalium, quas refert Bosco *loc. cit.* Sanches *loc. cit.*

Dicitur autem notanter *valide*: quia *licite* non assistit, hoc ipso, quod contra obedientiam debitam, et quidem in materia gravi agat; quapropter etiam puniri potest. Omnes.

73 Resp. VI. Valide quoque assistit Matrimonio Parochus irregularis suspensus, interdictus, et excommunicatus etiam vitandus, Bosco *loc. cit. concl. 9.* Sanchez *loc. cit. n. 4.* Navarrus *consil 4. h. t in fine* Pontius *lib. 5. cap. 17. n. 6.* Palao *de Sponsal. Disp a pun. 13 §. 10. n. 6.* cum communi aliorum contra Avilam *de Censur p. 2. Disp. 3. dub. 1. concl. 5.* Ratio est: quia talis adhuc est, et manet verus Parochus proprius, qui una cum testibus a Concilio Tridentino praecise requiritur. Nec aliquo Jure statutum habetur, quod Parochus excommunicatus Matrimonio invalide assistat.

74 Dices. Parochus Matrimonio assistens, vel se habet ut actum jurisdictionis, officii, et potestatis publicae exercens, vel ut testem qualificatum agens: sed neutro modo valide assistere potest: ergo. Non *primo*: quia tales actus ab Excommunicato vitando exerciti, sunt irriti, et nulli, *c. Cum inter. 16. de Elect. c. Unico. Ne sede vacante. in 6. et c. Decernimus de Sentent. excommun. in 6.* Neque *secundo*: quia Excommunicati vitandi testimonium inidoneum, ac nullum est, *cit. c. Decernimus 8. et c. Licet. 13. de Sentent. Excommun. in 6. et c. Venientes. 38. de Test. et Attestat. in fine.* ergo.

Ad hanc instantiam respondetur, Parochum assistendo non exercere quidem actum jurisdictionis contentiosae, sed ad summum voluntariae, agereque testem qualificatum, et quidem utrumque valide, non obstantibus Juribus allegatis; quia non omnes actus potestatis publicae ab Excommunicato exerciti sunt invalidi, sed illi tantum, quos in specie Jura irritant, inter quos non est assistentia Matrimonialis. Nec etiam universaliter in omnibus et singulis habentur pro testibus inhabilibus dicti Excommunicati vitandi, cum admittatur eorum testimonium in causis Fidei, *c. In fidei. 5. et c. Praesidentibus. 6. de Haeretic. in 6.* Imo universaliter admittuntur, et sunt testes habiles in causis, in quibus etiam infames esse possunt testes, *arg. c. Tanta. 7. de Simon.* Inter has causas autem etiam est Matrimonium per dicenda infra *n. 103.* ergo.

Resp. VII. Valide insuper Matrimonio assistit Parochus putativus, id est ille, qui per communem errorem communiter, et vulgo verus Parochus esse creditur, et pro tali habetur, quamvis vere Parochus non sit, utpote qui vel ab initio Parochiam invalide v. g. *simoniace* accepit, vel ea rite acquisita, ob crimen aliquod occultum v. g. haeresis, vel ob aliam causam ipso facto jam privatus existit. Sanchez *lib. 3. Disp. 22. n. 5. et seq.* Bosco *Disp. 11. sect. 9. concl. 10.* Pirhing *h. t. n. 18.* Gutierrez *de Matrim. cap. 26.* Pontius *lib. 5. cap. 19.* cum communi aliorum. Ratio est, quia *error communis jus facit*, id est, ob errorem communem Jus supplet defectum, et jurisdictionem illius, de quo communis error est, ut habet unanimis Doctorum *arg. l. Barbarius. ff. de Offic. praetor. l. 2. C. de Sentent. et interloq.* juncto *can. Infamis. 3. q. 7. et c. Ad probandum. de Sentent. et re judic.* Idque propter bonum commune, utpote quod alias saepe graviter pateretur ob gravissima inconvenientia, et scandala, quae sequerentur, si omnia per Judicem putativum acta et gesta essent irrita ac nulla; praesertim quando error ille communis detegeretur, et aufferratur. 75

Dicitur autem notanter *per errorem communem*: quia error privatus contrahentium, et aliquorum non sufficit, nec ob eum Jus supplet jurisdictionem, uti est unanimis per Jura citata. Ratio est; quia ob privatum errorem unius aut alterius non sequuntur memorata inconvenientia et scandala; nec patitur bonum commune, ob quod solum tamen Jura jurisdictionem supplent, juxta dicta. Accedit, quod Leges non attendant ea, quae raro, et in particulari casu, sed communiter accidunt, *l. Nam ad ea. ff. de Legib.* ibi: *Nam ad ea potius debet aptari Jus, quae et frequenter et facile, quam quae raro eveniunt.* 76

Limitatur tamen Conclusio in casu, quo Parochus nullum etiam coloratum titulum habet, utpote a nullo legitimo Superiore institutus, sed aliunde intrusus, Sanchez *loc. cit. n. 49. et 50.* cum communissima aliorum, quos vide apud Sanchez *loc. cit.* quia universaliter gesta ab eo, qui nec coloratum titulum habet, non valent; etiamsi concurrat consuetudo centenaria, et error communis, *arg. c. 1. de R. J. in 6. et c. Ex frequentibus. de Instit.* prout late probavimus *Lib. II. Tit. XXII. §. 19. a n. 165.* ubi vide. 77

Nihilominus sententia contraria, quam tenet, et late probat Pontius *lib. 5. cap. 20. n. 2. et seq.* Bosco *loc. cit. n. 372.* Diana *p. 3. tr. 4. resolut. 3. ad finem*, et alii, probabilitate non caret, praesertim, quod revera eadem inconvenientia et scandala sequi, ipsumque bonum commune pati videatur, sive gaudeat, sive careat titulo colorato Parochus, sive sit intrusus sive non: dummodo adsit error communis, et ipse communiter verus putetur Parochus: prout consideranti patet. intuitu autem boni publici Jura ob errorem communem supplent jurisdictionem per dicta: ergo. 78

Procedit tamen Conclusio *n. 75.* data, etiamsi defectum veri tituli seu errorem tam Parochus, quam contrahentes sciant, dummodo communiter Parochus existimetur, Abbas *in c. Ad probandum. de Sentent. et Re judic. n. 15. et 16.* et ibi Felinus *n. 8.* 79

Imola *n.* 6. Sanchez *loc. cit. n.* 42. Bosco *loc. cit. n.* 174. Gutierres *de Matrim. cap.* 62. *n.* 22. Palao *loc cit. n.* 10. cum communi aliorum. Ratio est; quia sicut juxta dicta *n.* 76. error particularis contrahentium, et aliquorum non facit, quod Matrimonium assistente putativo Parocho sit validum, ita scientia eorum particularis non efficit, quod Matrimonium sit invalidum, si error communis adhuc viget, contrariorum enim eadem est disciplina, per vulgaria Juris.

80 Quaeritur III. A quo? cui? et quomodo concedi possit licentia, aut committi actus assistendi Matrimonio, loco Parochi? Resp. I. Quivis Ordinarius et Parochus proprius dare potest cuivis Sacerdoti licentiam valide et licite assistendi Matrimonio sui subditi: Ordinarius quidem Matrimonio sibi subditorum Dioecesis v. g. Parochus vero alterutrius Sponsi pro Matrimonio sui Parochiani, et per consequens etiam pro Matrimonio illius, qui cum suo Parochiano contrahit. Caret controversia ob claram Concilii Tridentini dispositionem *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap* 1. ibi: *Qui aliter quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia.* Quinam autem per Ordinarium, et qui nomine Parochi ad praesens intelligatur, habes supra a *n.* 55. *et Lib. II. Tit. XXXI* De quibus etiam late scribentem vide Sanchez *Lib.* 3. *Disp.* 18. *et seqq*

81 Resp. II. Licentia assistendi Matrimonio debet necessario dari tali, qui Sacerdos est. Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 20 *n.* 10. Navarr. *h. t. Consil* 6. *n.* 2. Pontius *de Impedim. Matrim. cap.* 26. §. 6. ℣. *Is autem.* Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *cap.* 4 *num.* 4. Palao *de Sponsal. Disp* 2. *pun.* 10. *n.* 5. Ratio est; quia Concilium Tridentinum *loc. cit.* expresse requirit, ut delegandus sit Sacerdos, ibi: *vel alio Sacerdote*, quae verba, quia juxta communem intelligentiam intelligi debent, *arg.* c. *Ex litteris* 11. 1. *de Sponsal.* ad Diaconum, vel Subdiaconum, aut alium Clericum non Sacerdotem extendi minime possunt; cum nomine Sacerdotis juxta communem intelligentiam non nisi Presbyter intelligatur. Accedit communis praxis ac consuetudo Ecclesiae optima Legum interpres, *L.* 37. *ff de Legib.*

82 Illud tamen fatentur tam citati, quam alii Doctores, non esse necesse, quod talis Sacerdos sit *Curatus*, sed possit esse quivis simplex etiam irregularis, excommunicatus, aut interdictus; quia Concilium ad delegationem plus non requirit, quam Sacerdotem; qualis est etiam simplex, excommunicatus etc. huc faciunt etiam dicta supra *n.* 73.

83 Resp. III. Licentia assistendi Matrimonio ab Ordinariis, vel Parocho concedi potest Sacerdoti, verbo, vel scripto, aut alio signo, idque specialiter, vel generaliter, generali nempe concessione peragendi cuncta munera Parochialia, Palao *loc. cit.* §. 12. *n.* 1. Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 35. *n.* 6. *et seqq.* Pontius *lib.* 5. *cap.* 19. *n.* 2. Navarrus *h. t. Consil.* 13. qui allegant etiam pro Conclusione Declarationem Cardinalium: Ratio est; quia Concilium Tridentinum *Sess* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. praecise requirit, ut licentia concedatur alicui *Sacerdoti*; nec addit, ut fiat in verbis, aut scriptis, aut speciali mandato: consequenter generaliter ac indistincte, prout nempe sub se comprehendit omnes licentiarum species intelligendum venit, c. *Quia circa.* 22 *de Privileg. et can.* 1. *dist.* 19. *et l. Si Chorus.* 39. *ff. de Legat.* 3. Et ita generaliter concessa videtur, quando alicui ab Ordinario, vel Parocho generaliter ac sine exceptione conceditur, aut committitur *Cura animarum*, Sanchez *loc. cit. n.* 9. et Doctores citati.

84 Item generaliter concessa censetur licentia assistendi Matrimonio per hoc, quod ab Ordinario, vel Parocho alicui in genere conceditur administratio Sacramentorum, Palao *loc. cit n.* 1. Pontius *loc. cit. n.* 2. et alii contra Sanchez *loc. cit n.* 8. Ratio est; quia generali commissione administrandi Sacramenta, censetur universim committi *cura animarum*, consequenter etiam potestas assistendi Matrimonio, prout patet ex Declaratione Cardinalium apud Farinacium *vol.* 4. *pag.* 175. ibi: *Requiritur commissio generalis administrandi Sacramenta, vel si haec absit, expressa, aut specialis licentia.*

Infertur, Capellanos, seu Cooperatores Parochorum, quibus ab Ordinario, aut Parocho in genere committitur *Cura animarum* in aliqua Parochia (prout fieri solet in partibus Germaniae) generaliter concessam habere etiam licentiam, et potestatem assistendi Matrimonio, ut proin Matrimonia coram eis contracta valeant, ac si contracta essent coram Parocho, per dicta *num.* 83. Secus foret, si Ordinarius in datione *Curae animarum* specialiter exciperet assistentiam Matrimonialem. Prout contingit in aliqua Dioecesi occasione cujusdam casus, quo duo Sponsi coram Cooperatore Parochi ob aliam causam praesente, praesentibus testibus publice sine praemissis Denuntiationibus contrahebant: post hunc enim casum Reverendissimus Ordinarius curam Cooperatorum postea limitavit; qua tamen limitatione facere non potuit, quin Matrimonium prius jam contractum, validum permanserit; praesertim, quod etiam sententia Sanchez *num. praecend.* allegata contra hoc Matrimonium non militarit, eo quod Cooperatoribus in illa Dioecesi non tantum administratio Sacramenti, sed *Cura animarum* in genere prius fuerit concessa; qua *Curae* concessione generali etiam licentiam assistendi Matrimonio concedi nec Sanchez, nec alius negat. 85

Quaeritur IV. Quis sit proprius Parochus vagorum, seu vagabundorum in ordine ad contrahendum Matrimonium? Ante responsionem suppono ex dictis *Lib II. Tit. II.* §. 2. *a. n.* 44. vagos, seu vagabundos illos esse, qui nullibi certam stabilem sedem, aut verum, vel quasi domicilium habitationis habent, *arg. l. Ejus, qui* 27. §. *Celsus.* 2. *ff. ad municipal.* sed hinc inde vagantur, vel priori vero, aut quasi domicilio relicto aliud quaerunt; sive deinde jam determinaverit quis, ubinam sedem seu domicilium sit collocaturus, sive non; quivis enim adhuc revera est, et dicitur vagus, donec etiam re et facto aliud domicilium obtineat; prout *cit. Lib. II. Tit. II.* §. 2. *n.* 45. jam diximus, et docet etiam Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 25. *n.* 3. Gutierrez *de Matrim. cap.* 65. *n.* 1. Bosco *cit Disp.* 11. *sect.* 9. *Concl.* 12. *n.* 431. *arg. cit.* c. *Ejus. qui. ff. Ad Municipal.* §. *Nam hunc puto sine domicilio esse.* Ratio est; quia, cum talis prius domicilium, ut supponitur, vere jam deseruerit, aliud autem actu needum habeat, pro illo tempore revera sine domicilio, consequenter vagus est. Nec refert, quod in mente jam resolverit, ubinam domicilium figere vellet; quia domicilium non sola animi destinatione, sed re et facto constituitur, *l. Domicilium. ff. Ad Municipalem* Neque refert, quod alicubi adhuc domicilium originis habeat, uti cum aliis bene observat Sanchez *l. cit. n.* 1. Gutierrez *loc. cit. n.* 2. et Doctores *num. seq.* citandi: alias enim vel pauci, vel nulli essent, aut dici possent vagi; cum domicilium originis semper retineatur, et nunquam dimittatur, nisi locus originis funditus evertatur, juxta dicta supra *n.* 59. *et jura ibidem allegata* 86

Infertur Eum, qui vel a domicilio originis vel habitationis vere, discedit, animo alibi domicilium constituendi, primo die, discedit, jam esse verum vagum, quantumvis certo sciatur, ubi natus 87

sit, item ubi ejus parentes etiamnum existant. Sanchez *loc. cit. n.* 1. Imola *in c. Dilectus, de Rescript. n.* 10. Jul. Clarus *in Pract. Crim lib.* 5. §. 5. *q.* 39. *n.* 8. Bosco *loc. cit.* dicens esse certum. Ratio est; quia pro illo tempore sine domicilio, sicque vagus est, consequenter a quovis Parocho loci, ubi exsistit, valide copulari potest, juxta statim dicenda H. N.

88 Resp. I. Parochus proprius vagorum in ordine ad Matrimonium, est quivis Parochus illius loci, ubi vagi acte versantur, Bosco *loc. cit.* Sanchez *loc. cit.* 5. 8 9. *et* 11. Gutierrez *loc. cit. num.* 10. Pontius *lib.* 5. *cap.* 14. Pirhing *h. t. n.* 19. cum communi aliorum. Ratio est; quia et hi debent habere aliquem proprium Pastorem, sed alius magis congruus estrui nequit, quam Parochus loci, in quo versantur, utpote a quo etiam alia Sacramenta percipiunt; ergo. Accedunt plures Declarationes Cardinalium, de quibus testatur Pontius *loc. cit.*

89 Resp. II. Parochus loci, in quo vagi acte versantur, valide assistit Matrimonio, etiamsi unus tantum ex eis sit vagus, Sanchez *loc. cit. n.* 14. Gutierrez *loc. cit. n.* 8. et alii. Ratio est; quia ad valorem Matrimonii sufficit, quod alterutrius Sponsi Parochus assistat, juxta dicta *n.* 65. atqui Parochus loci, in quo vagus pro tempore moratur, est proprius ejus Parochus per dicta *num praeced.* ergo.

90 Amplietur utraque *n.* 88. *et* 89. data Conclusio etiam ad casum, quo Sponsi ea intentione et animo, ut citius ac certius alibi copulentur, domicilium, quod habent, relinquunt, sicque aliquam quasi fraudem et dolum committant; dummodo vero et non ficto animo illud deserant, et ad aliud brevi se conferre revera non intendant, Sanchez *loc. cit. n.* 11. Pontius *loc. cit. n.* 6. Gutierrez *loc. cit. n.* 11 Bosco *loc. cit. n.* 444. Cardinalis de Luca, *de Matrim. discurs.* 1. *n.* 9. *et seqq* dicens saepe esse declaratum a S. Congregatione, fraudulentiam non obstare mutationi domicilii, nec invalidare Matrimonium. Idem docet, et de S. Congregationis Declarationibus testatur Fagnanus *in c. Significavit. de Paroch. n.* 37. *et seqq.* Ratio est; quia in tali casu hujusmodi personae revera sunt vagae per dicta supra *n.* 86. et 87.

91 Nec dicas, *fraus et dolus alicui patrocinari non debent, c. Sedes.* 15. et *c. Ex tenore* 16. *de Rescript.* Negatur enim, hic intervenire talem fraudem, cui resistunt Jura; cum tales personae utantur jure suo, quod cuivis licitum est, pro libitu domicilium deserere; *Nullus autem videtur dolo facere, qui utitur jure suo, L.* 55. *ff. de Reg. Jur.* et *L.* 3. §. 2. *ff. de Homine lib. exhib.* ibi: *Quia dolo malo non videtur habere, qui utitur jure suo.*

Dicitur tamen notanter, *dummodo vero et non ficto animo illud deserant etc.* hoc enim nisi fieret, vera fraus committi, et Matrimonium invalidare videretur per ea, quae dicentur infra *n.* 126. ubi vide.

92 Resp. III. Quamvis Matrimonium vagorum validum sit, etsi Parochus loci sine ulla praecedenti inquisitione de vagorum statu libero, et habilitate eisdem assistat, tamen ut licite quoque assistat, prius de eis diligenter inquirere, et inquisitione facta rem ad Ordinarium deferre, ab eoque licentiam obtinere debet. Unanimis, ob claram dispositionem Concilii Tridentini *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 7. ibi: *Parochis autem praecepit, ne illorum Matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Ratio est; periculum, ne tales vagi alibi uxorem jam habentes alteram ducant, prout Concilium *ibid.* praemittit illis verbis: *Multi sunt, qui vagantur, et incertas habent sedes, et, ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta aliam, et plerumque plures, illa vivente diversis in locis ducunt. Cui malo S. Synodus cupiens occurrere, omnes, ad quos spectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad Matrimonium facile recipiant, Magistratus etiam saeculares hortatur, ut eos severe coerceant.*

Hinc infert Sanchez *loc. cit. n.* 15. cum communi aliorum, Parochum, qui sine inquisitione facta, et licentia ab Ordinario obtenta, vagorum Matrimonio assistit, mortaliter peccare; quia in re gravissime agit contra praeceptum Ecclesiasticum. 93

Quod autem nihilominus valeat tale Matrimonium, tenet Sanchez *loc. cit. n.* 16. Pontius *loc. cit. n.* 8. cum communi, et certa aliorum. Ratio est: tum quia adsunt adhuc essentialia, et necessario requisita ad Matrimonium. Tum quia Concilium Legi suae non apposuit clausulam irritantem; conjugia autem contra simplicem Legem non habentia clausulam irritantem subsistunt, *arg. c. Ex litteris.* 2. *in fine, de Matrim. contra interdict. Eccles.* et pro regula tradit Sanchez. Accedit Declaratio Cardinalium, de quo *loc. cit.* testatur Sanchez: ergo.

Quaeritur V. An, et quando milites veniant nomine vagorum? et quis sit proprius Parochus eorum? Item an, et quid circa Matrimonia Militum valeant Curiones, seu Capellani Castrenses? Resp. I. Si Milites in Castris, aut Papilionibus existentes non habeant Capellanum Castrensem pro *animarum Cura* eorundem, a Sede Apostolica deputatum, vel ab Ordinario, in cujus Dioecesi existunt, approbatum et expositum, vagis annumerantur, consequenter eorum Parochus erit ipse Parochus loci, in quo pro tempore existunt. Conclusio patet ex dictis: cum enim Milites in Castris existentes, nec verum nec quasi domicilium habitationis habeant, juxta dicta *n.* 86. tales autem revera vagi sint, per dicta *n.* 86. consequens est, quod Parochus eorum proprius sit loci, in quo pro tempore existunt, per dicta supra *n.* 88. 94

Resp. II. Si Milites habeant Curionem, seu Capellanum Castrensem praeditum speciali facultate Apostolicae sedis, vel approbatione et licentia Ordinarii, in cujus Dioecesi illos exstare contigerit, poterit hic eisdem Sacramenta administrare, ac etiam Matrimonio eorum assistere juxta tenorem facultatis concessae a Sede Apostolica, vel ab Ordinario Dioecesis, in qua pro tempore Milites existunt; ita ut si haec non tantum pro castris, sed etiam pro Praesidiis sonet, utrobique Matrimonio assistere valeat; si autem tantum pro uno aut altero loco, vel tempore concessa inveniatur, eidem se accommodare debeat. Patet Conclusio. Cum enim non tantum Pontifex, sed et ordinarius alicui Sacerdoti alias non Parocho dare possit licentiam assistendi Matrimonio, textu claro Concilii Tridentini *Sess.* 24. *de Reform. Matrim.* ibi: *Seu Ordinarii licentia*, manifeste patet, quod si hic vel ille eam dat, et prout dat, taliter et non aliter eadem frui valeat Capellanus Castrensis. 95

Resp. III. Si Curiones seu Capellani Castrenses non habeant specialem facultatem a Sede Apostolica, vel expressam licentiam, et approbationem ab Ordinario, in cujus Dioecesi pro tempore existunt, tunc nec in Castris, nec in Praesidiis seu quartieris Matrimonio Militum valide assistere possunt. Haec Conclusio licet olim multum hinc inde disputata et controversa fuerit, tamen hodie certa est ob Declarationem Cardinalium repetitis vicibus, et novissime editam 29. Januarii, 1707. ad interrogationem Reverendissimi Ordinarii Frisingensis, quae in forma authentica exhibita ita sonat. 96

FRISINGENSIS.

97 *Cum occasione transitus, aut stationis hyberniae in Dioecesi Frisingensi praetendant Capellani Exercitum, eorum militibus Sacramenta administrare in locis, ubi permanent absque licentia Parochi, ac illorum Matrimoniis assistere absque praeviis Denuntiationibus, et contra dispositionem S. Concilii Tridentini jam recepti in dicta Dioecesi. Episcopus ad occurrendum malis exinde provenientibus, et polygamiis jam detectis, supplicat sibi subministrari remedium, ac declarari, an praedicti Capellani id peragere possint.*

Die 29. Januarii 1707. S. Congregatio Eminentissimorum. S. R. E. Cardinalium Tridentini Interpretum censuit, dandum esse Decretum alias hac de re editum, et signanter sub die 6. Martii 1694. in dubiis Capellanorum Exercitus tenoris sequentis, videlicet primo. An Capellani cujuscunque Exercitus sive Regulares, sive Saeculares Catholici possint administrare militibus in Praesidiis degentibus Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae, et extremae Unctionis sine speciali facultate Sedis Apostolicae vel licentia et approbatione Ordinarii, in cujus Dioecesi exstare contigerit? secundo. An assistere Matrimoniis militum cujuscunque Nationis degentium in Praesidiis cum militaribus foeminis sine dicta facultate Apostolica, et praecedenti probatione liberi status, ejusque recognitione coram Ordinario loci, et licentia Parochi, sub cujus Parochia maneant? tertio. An idem cum militibus degentibus in Castris, et stationibus hybernis vel aestivis? quarto. An idem cum militibus in actuali expeditione positis? quinto. An idem cum militibus nubere volentibus cum foeminis non militaribus sed Italis originariis loci seu Dioecesis, in qua reperiuntur? S. Congregatio etc. ad primum secundum tertium quartum et quintum respondet negative.

(L. S.) B. *Cardin. Puncinticus Praef.* *V. Petra Secret.*

gratis etiam quoad scripturam.

98 Infertur I. Quod in causa controversiae aut dubii, an Capellani Castrenses valide assistere valeant, vel valide adstiterint Matrimonio militum, tam Parochus, quam Ordinarius indagare possint ac debeant, et videre, an et qualem habeant facultatem aut licentiam a Sede Apostolica, vel ab Ordinario concessam, et juxta tenorem illius judicare.

99 Infertur II. Quod, etsi Capellanus Castrensis habeant licentiam ab Ordinario unius Dioecesis, vi hujus non possit assistere Matrimonio suorum militum, si in aliena Dioecesi illos extare contigerit; prout expresse patet ex Declaratione, vi cujus Capellanus Castrensis ad valide assistendum Matrimonio habere debet vel facultatem Apostolicam, vel licentiam et approbationem Ordinarii, in cujus Dioecesi extare contigerit.

100 Infertur III. Sublatam esse illam controversiam et differentiam, quid de Jure in Castris, et quid in Praesidiis seu Quartieris valeant; quia juxta allegatam Declarationem nullibi quidquam valent, nisi quantum et qualiter Papa vel Ordinarius concedunt.

101 Infertur IV. Quod si Capellani Castrenses ab Ordinario unius vel alterius Dioecesis licentiam habeant, Exercitum autem ad aliam Dioecesim venire contigerit, ab Ordinario talis Dioecesis licentiam petere, vel ab assistentia Matrimoniali abstinere, eamque Parocho loci relinquere debeant, sive dein in Praesidiis, sive in Castris extent milites.

102 Quaeritur VI. Quot, et quales ad valorem Matrimonii requirantur testes? Resp. I. Certum est, quod praeter assistentiam proprii Parochi, aut delegati ab eo, vel Ordinario, ad valorem cujusvis Matrimonii etiam vagorum, duo vel tres requirantur testes. Omnes textu claro Concilii Tridentini *cit. Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. per textum supra *num.* 54. allegatum.

103 Resp. II. Sufficiunt autem ad hoc quicunque testes, dummodo rationis sint capaces, et ea quae de Jure naturae requiruntur, habeant; adeoque habiles ad hoc testes existunt etiam impuberes, consanguinei, domestici, Religiosi, foeminae, excommunicati, infames, infideles, haeretici, et alii alias de Jure positivo ad testimonium ferendum inhabiles. Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 41. *num.* 5. Barbosa *de Offic. et potest. Episc. Allegat.* 32. *num.* 158. Palao *de Sponsal. Disp.* 2. *punct.* 13. §. 13. *n.* 3. Gutierez *cap.* 44. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *punc.* 2. *cap.* 4. *num.* 6. Bosco *cit. sect.* 9. *Concl.* 15. cum communi aliorum, contra paucos alios. Ratio est, quia Concilium Tridentinum *loc. cit.* duos, vel tres testes simpliciter, et sine ullius peculiaris qualitatis mentione ad valorem Matrimonii requirit; ergo sufficiunt ea, quae de Jure naturae ad testem requiruntur, praesertim cum Decretum Concilii Tridentini, quatenus ad valorem Matrimonii requirit testes, sit correctorium Juris communis (utpote de quo Matrimonia clandestina valida erant per dicta nu. 53.) ergo non est extendendum, sed quantum proprietas patitur; restringendum, juxta dicta *Lib. I. Tit. II. n.* 421.

Accedit, quod testes alias de Jure positivo minus idonei fidem faciant rei gestae, quando minus habilis cum habili, et omni exceptione majori concurrit, ut tradit et probat Mascardus *Concl.* 365. *num.* 13. prout in Matrimonio contingit, utpote ubi semper etiam Parochus, testis utique omni exceptione major, adest. Item habiles habentur in causis favorabilibus, *arg. c. In fidei.* 5. *de Haeretic. in* 6. inter causas autem favorabiles etiam Matrimonium numeratur *c. fin. de Sent. et re judicat.* et *c. Decreta.* 29. *de Appellat.* 104

Objicies *c.* 1. *de Consang. et affin.* ubi in causa Matrimoniali requiruntur *testes omni exceptione majores*, et *c. Super eo.* 22. *de Testibus et attestat.* ubi Mater non agnoscebatur pro teste habili pro Matrimonio alterius contracto cum filia: ergo. Resp. hoc c. 1. nihil probare contra Conclusionem; quia loquitur de Testibus ad dissolvendum Matrimonium jam contractum, ad quod utique requiruntur testes omni exceptione majores. Ad *c. super eo* respondetur. Matrem ibidem ex speciali ratione fuisse rejectam; cum enim (ut ibidem narratur) sponsus filiae suae esset *divitiis*, 105

nobilitate, potentia, et honore superior, et propterea Mater libenter vidisset Matrimonium hujus eum filia, hoc ipso specialiter suspectam se reddidit: unde est. e alia mulier contestis pro inhabili rejecta eon est; quamvis alias mulier non sit omni exceptione major, *can. Mulier, cau.* 33. *q.* 5. et *c. Forus.* 10. *in fin. de V. S.*

106 Quaeritor VII. Qualis Praesentia Parochi, et Testium requiratur et sufficiat? praesertim an sufficiat etiam coacta, et fraude obtenta? item an sufficiat casualis, successiva, vel requiratur requisita et simultanea? R. I. Ad valorem Matrimonii requiritur Parochi et Testium praesentia moralis et humana, sive talis ut proba intelligant, sponsos de praesenti contrahere Matrimonium. Caret controversia. Ratio patet, quia Concilium Tridentinum *loc. cit.* ideo requirit praesentiam Parochi et Testium, ut Ecclesiae de Matrimonio contracto testimonium ferre valeant; quod facere certe non possunt, nisi taliter praesentes sint, ut bene intelligant, quid agatur; ergo. Hinc utique invalidum foret Matrimonium contractum praesente Parocho aut teste dormiente, ebrio, vel alias ita distracto, ut non attenderit nec perceperit, quid actum sit.

107 Resp. II. Insuper requiritur ad valorem Matrimonii simultanea praesentia tam Parochi quam testium; nec sufficit successiva, id est, debent tam Parochus quam testes simul adesse praesentes, quando contrahunt sponsi, nec sufficit, si modo coram Parocho, modo coram testibus contrahant, Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 41. *num.* 3 dicens, esse certum. Veraerus *in Append. ad Specul. dub.* 6. *Concl.* 4 Bosco *loc. cit. n.* 596. Perez *de Matrim. Disp.* 40 *sect.* 9. *n.* 3. cum communi, *arg. cit. Concil. Trident.* ubi per copulativam dictionem, *Et praesente Parocho, et testibus* simultanea eorum praesentia aperte significatur. Ratio est; quia debent ita esse praesentes, ut de uno eodemque contracto Matrimoniali testari valeant, quod facere nequeunt, nisi simul praesentes existant.

108 Resp. III. Sufficit tamen ad valorem Matrimonii praefata moralis et simultanea Parochi et testium praesentia: etiamsi dolose illuc adducti sint, vel violente, et coacti etiam cum protestatione et contradictione ibidem existant, aut ad eos dolose veniant ipsi contrahentes; dummodo tam Parochus quam testes formaliter fuerint adhibiti Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 39. *n.* 9. Ledesma *de Matrim. q.* 45. *a.* 5. *punc.* 13. *dub.* 2. Barbosa *de Offic. et potest. Parochi. cap.* 21. *n.* 50. Perez *Disp.* 4. *sect.* 10. *n.* 5. Palao *de Spons. Disp.* 2. *pun.* 13. §. 8. *n.* 11. Pirhing *h. t. n.* 23. Diaus *part.* 10. *tract.* 13. *Resolut.* 96. Fagnanus *in c. Quod nobis. h. t. n.* 40. Pontius *lib.* 5. *cap.* 21. *n.* 5 Bosco *loc. cit. Concl.* 14. cum communi, et hodie certa aliorum. Ratio Conclusionis est; quia Concilium Tridentinum saepe *citatum*, plus non requirit, quam ut Matrimonium contrahatur *praesente Parocho, et duobus aut tribus testibus*, quod revera fit, si hi etiam dolo inducti, aut coacti et inviti, aut etiam casu sint praesentes, *arg. L. Coram* 10. *ff. de V. S.* ubi clare habetur, quod coram aliquo quid fieri dicatur, etsi eo invito fiat: ibi: *Scire autem, non etiam velle is debet*, et Glossa *in Extravag. Execrabilis, Joann. XXII. de Praebend.* ℣. *Coram*. Accedit, quod etiam per talem praesentiam satisfiat fini Tridentini; cum taliter quoque praesentes testes testimonium de contracto Matrimonio ferre, consequenter impedire valeant, ne stante hoc, cum alio contrahatur, *arg. cit. l. Coram ff. de V. S.* et *L. Ad fidem.* 11. *ff. de Testibus.* ibi: *Ad fidem rei gestae faciendam etiam non rogatus testis intelligitur.* Confirmatur pluribus Declarationibus Cardinalium, de quibus, ex Salzedo testatur Sanchez *loc. cit. numer.* 9. Fagnanus *in c. Quaesitum. de Poenitent. et Remiss. numer.* 7. dicens, S. Congregationem declarasse, validum esse Matrimonium, quod Parocho invito, et per vim adhibito aures etiam obdurante contractum fuit. Duas etiam refert Pontius *lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 5. quarum prima apud Farinacium *pagin.* 168. sic sonat: *Dummodo Parochus sit praesens, et intelligat id, quod agitur, licet dissentiat et contradicat: adhibitus vero Parochus intelligitur, etiamsi ex alia causa vocatus sit, dummodo sit adhibitus ad illum effectum.* Altera ita sonat: *Anvero si invitus et compulsus adsit Parochus, etiam contrahatur Matrimonium, procedente supra dicta prohibitione Ordinarii Matrimonium subsistat? Congregatio respondit, subsistere.*

Dicitur autem notanter in Conclusione, *dummodo tam testes, quam Parochus formaliter fuerint adhibiti*, id est, *requisiti*; adhiberi namque ad aliquid in Jure quis dicitur, qui ad id requiritur, seu rogatur, *arg. l. Haeredes.* §. *In Testamentis. ff. Qui Testamenta facere possunt*: quamvis enim DD. conveniant, validum esse Matrimonium, etsi Parochus et testes dolose adducti, aut vi detenti praesentes sint, dummodo ante contractum Matrimonialem requirantur, ut modo adesse, et testes esse vellent Matrimonio statim contrahendo. Tamen disconveniunt in hoc, an ad valorem requiratur, ut Parochus et testes etiam requirantur, seu rogentur, sicque formaliter adhibeantur? Sanchez siquidem *loc. cit. disp.* 41. *nu.* 7. Bosco *loc. cit. nu.* 558 Gobath *tr.* 9. *cas.* 18. *n.* 292. Barbosa *de Offic. et potest. Parochi, n.* 50. et plures alii negant. 109

Econtra Pontius *loc. cit. num.* 4. Fagnanus *loc. cit. num.* 54 Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell.* Glossa 48 *nu.* 32. *et seq.* Bonacina, et alii firmiter tenent, ad valorem Matrimonii omnino requiri, ut testes et Parochus formaliter, adhibeantur, seu, quod idem est, requirantur et rogentur. Ratio est; quia, ut ait Gonzalez *loc. cit. num.* 32. quando praesentia alicujus requiritur pro forma, et substantia alicujus actus, non sufficit, quod quis casualiter, et ad eum non requisitus adsit; cum, qui casualiter adest, adesse non censeatur, *arg. L. Quaesitum.* 78. §. *fin. de Legat.* 3. Hinc testis repentini dictum non attenditur: quia non praesumitur informatus, *can. qui ambulat. cau.* 5. *q.* 5. semper enim attenditur, quod principaliter agitur, non quod casualiter et incidentaliter fit, *L. Si quis nec causam. ff. Si certum petatur*, et ibi late Jason. a *num.* 3. *usque ad num.* 23. 110

Confirmant doctrinam suam ex Declarationibus Cardinalium ex Farinacio, quas allegat Pontius *loc. cit.* quarum una sic sonat: *Parochus praesens Matrimonio debet esse, et apparent, a contrahentibus ea de causa adhibitum fuisse.* Altera sequentis est tenoris: *An sit Matrimonium, si duo contrahant per verba de praesenti, proprio Parocho praesente, et aliis requisitis non omissis, cui contractui Parochus formaliter adhibitus non fuit, sed dum forte convivii, vel confabulationis, vel aliud tractandi causa adesset, audit hujusmodi contractum geri et postea alter contrahentium velit ab hujusmodi contractu ratione defectus resilire, S. Congregatio respondit, posse, nisi alia intervenerint, quae Parochum a contrahentibus adhibitum fuisse arguant, qui diceretur adhibitus, ut supra, quamvis ex alia causa fuisset vocatus, dummodo sit adhibitus ad illum actum.* 111

Quae Declarationes, si authentice exhiberentur, sententiam horum Doctorum, utique certam redderent. Doctores tamen Adversarii *n.* 109. citati de iisdem dubitare volunt praesertim; quia Concilium Tridentinum nullam mentionem facit, quod Parochus et Testes debeant esse rogati, aut requisiti, seu formaliter adhibiti, sed simpliciter, quod sint praesentes.

Verum, quia ex hoc solo capite Declarationes rejicere, aut suspectas habere, quod Declarationes

non afferuntur in authentica forma, via abest ab irreverentia et temeritate, si apud probatum Auctorem et fidelem Collectorem reperiuntur (qualis utique est Farinacius, et Fagnanus) prout ex Fagnano *in c. Quoniam de Constit. num.* 59. diximus in Prooemio *nu.* 128. horum sententia improbanda non videtur.

112 Illud tamen notandum, quod etiam juxta DD. *num.* 112. citatos, praesertim Pontium *loc. cit.* Matrimonium coram Parocho aut testibus prius vel ex alia causa, vel omnino etiam non rogatis, nec requisitis, sed casualiter tantum, aut ex alia causa praesentibus valeat, dummodo contrahentes tunc saltem, quando contrahere volunt, et antequam contrahant, eos de intentione contrahendi moneant, et ut testes Matrimonii statim contrahendi esse velint, paucis requirant, et rogent; quod in praxi facillime contingere, sicque evenire potest, etiam illos, qui casu, vel alia v. g. convivii aut confabulationis causa adsunt, sufficienter esse praesentes pro valore Matrimonii, dummodo nempe ante actualem contractum adhuc requirantur: quod ipsum etiam ultima verba Declarationis Cardinalium indicare videntur, ibi: *Qui diceretur adhibitus, quamvis ex alia causa esset vocatus, dummodo sit adhibitus ad illum actum.*

113 Resp. IV. Etiamsi Matrimonium Parocho coacte, aut casualiter praesente, aut dolose adducto vel inducto valeant, tamen ordinarie illicitum est, et quidem mortaliter, Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 39. *n.* 12. Bosco *loc. cit. Concl.* 14. cum communi. Ratio est: tum injuria quam inferunt Parocho: tum contemptus Ecclesiae, contra cujus prohibitionem agunt, praesertim, quod tales ordinarie etiam sine Denuntiationibus (quae juxta dicta *n.* 5. graviter obligant) contrahant. Putat tamen Sanchez, quod, si soli testes et non Parochus dolo ad interessendum inducantur, *aut* vi detineantur, non nisi veniale sit.

114 Dicitur autem *ordinarie*; quia si gravis causa et necessitas ad contrahendum urgeret, et Parochus vel testes assistere absque justa causa recusarent, possent astu aliquo, et aequivocatione, sine mendacio tamen induci ad interessendum contractui Matrimoniali. Bosco *loc cit. n.* 589. Dicastillo *Disp.* 3. *n.* 169. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 2 *cap.* 4. *n.* 6. Coninck *Disp.* 27. *dub.* 4. *in fine*, et alii. Ratio est; quia Leges humanae in gravi necessitate non ligant: *Nam quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum, c.* 4. *de R. J.*

115 Quaeritur VIII. quae sint poenae contrahentium et assistentium Matrimonio, ob defectum praesentiae proprii Parochi et testium *Clandestina*? Resp. I. Quando contrahitur Matrimonium sine praesentia proprii Parochi et duorum testium, tunc praeter nullitatem Matrimonii tam Parochus et testes, quam etiam ipsi contrahentes gravi poenae, arbitrio Ordinarii imponendae, subjacent, ita expresse Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *de Reform. Matrim cap.* 1. ibi: *Insuper Parochum vel alium Sacerdotem, qui cum minori testium numero, et testes. qui sine Parocho, vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri praecipit.*

Resp. II. *Si quis Parochus, vel alius Sacerdos, sive Regularis, sive saecularis sit etiamsi id sibi ex privilegio, vel immemoriali consuetudine licere contendat, alterius Parochiae Sponsos sine illorum Parochi licentia, Matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit: ipso Jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur* Sunt formalia Concilii Trident. *loc. cit.* quibus, cum sint clara, nihil addendum videtur.

Volunt aliqui Parochum proprium sine debito numero testium assistentem, triennio esse suspendendum, *c. fin.* §. *fin. h. t.* Sanchez tamen *Disp.* 48. *num.* 4. Pontius *lib.* 5. *cap.* 37. *num.* 12. Perez *Disp.* 42. *sect.* 4. *n.* 3. id negant, et merito; quia c. *fin.* §. *fin. h. t.* loquitur de Parocho assistente Matrimonio sine Denuntiationibus, et non de nostro casu, ut legenti patet.

§. III.

De Praesentia Parochi et Testium in locis ubi Concilium Tridentinum non est promulgatum, vel non receptum: ubi etiam de Matrimonio Haereticorum inter se: et Matrimonio Catholicorum locis haereticis non habentium copiam Parochi.

SUMMARIUM.

116 *Concilium Tridentinum alicubi non est promulgatum, alicubi non receptum.*
117 *Praesentia Parochi et testium non requiritur in locis, ubi Concilium Tridentinum non est promulgatum?*
118 *Requiritur, ut etiam in Parochia sit promulgatum. et quando praesumatur ibidem promulgatum?*
119 *Incolae loci non promulgati, vel non recepti Concilii Tridentini valide,*
120 *Sed non licite contrahunt Matrimonium sine praesentia Parochi et testium.*
121 *Idem dic de eo, qui e loco recepti Tridentini veniens cum incola illius loci contrahit.*
122 *Valide etiam contrahunt sine Parocho et testibus, si ambo e loco promulgati ad locum non recepti Concilii veniunt, animo ibidem verum, vel quasi domicilium figendi.*
123 *Vel saltem alio fine quam praecise contrahendi ibidem Matrimonium. Et num. seq*
124 *Ratione contractus sortitur quis Forum.*
125 *Invalide vero contrahunt, qui solo fine illuc clandestine contrahendi, et iterum brevi revertendi illuc veniunt. Et num. seq.*
127 *Quia in fraudem Legis, et contra Legem agere aequiparantur.*
128 *Secus est, si animum contrahendi ibidem domicilium habent,*
129 *Aut vagi sint.*
130 *E loco non recepti, ad locum recepti Concilii Tridentini venientes non possunt sine Parocho et testibus contrahere.*
131 *Valent quoque sine his Matrimonia Catholicorum in locis haereticis, vel ubi Concilium non est promulgatum:*
132 *Vel nullus adest, nec tuto adiri potest Ordinarius aut Parochus: afferuntur Declarationes Cardinalium.*
133 *Ratio hujus quae sit? Et num. seq.*
Necessitas aut impossibilitas non excusat a Lege irritante. Ibid.
135 *In locis haereticis promulgati Concilii Tridentini, ubi Parochus haberi non potest, ad valorem nihilominus requiruntur duo testes.*
136 *Ac etiam Parochus, si haberi potest.*
137 *Doctrinae practicae de valore Matrimonii in Terris Infidelium, Saxoniae, Angliae, Hollandiae, Ratisbonae, Augustae, contracti a Catholicis, usque ad num.* 140.
140 *Matrimonia haereticorum in locis promulgati Concilii sine Praesentia Parochi et testium contracta sunt nulla.*

141 *Nova hujus Declaratio Cardinalium affertur.*
142 *Matrimonia haereticorum cum impedimento Ecclesiastico dirimente quocunque contracta sunt nulla.*
143 *Haeretici tenentur ad Leges Ecclesiae.*
144 *Consuetudo eorum contra Leges Ecclesiae est irrationabilis et invalida. Et num. seq.*
146 *Respondetur ad Auctoritatem Doctorum pro valore Matrimonii haereticorum scribentium.*
147 *Matrimonia haereticorum cum impedimento dirimente contracta sunt invalida, ubicunque contrahantur.*
148 *De Matrimoniis haereticorum Augustae, Ratisbonae, in Anglia, Saxonia, Suevia, Prussia, Hollandia contractis. Et duobus num. seqq.*
151 *An Matrimonia haereticorum sint invalida ex eo, quod non sint Sacramenta, vel dissolubiliter contrahantur? Remissive.*

116 Supponitur primo, Concilium Tridentinum in aliquibus locis omnino non esse promulgatum alicubi vero esse quidem promulgatum, sed in puncto clandestini Matrimonii non esse receptum: Promulgatum non esse, plures asserunt in Anglia, Scotia, Suecia, Saxonia, Prussia etc. Receptum vero in puncto Clandestini Matrimonii non esse, etsi promulgatum sit, in Gallia, et aliquibus partibus Poloniae etc. Verum hoc, quia facti est, ulterius non deducimus, sed in casu emergenti cuivis Judici examinandum et indagandum relinquimus an in loco, de quo est casus, Concilium Tridentin. promulgatum sit, nec ne. Hoc itaque supposito ad Quaestiones Juris procedendo,

117 Quaeritur I. An praesentia Parochi et testium necessaria sit ad valorem Matrimonii, ubi Concilium Tridentinum vel non est promulgatum, vel in puncto *Clandestinitatis* non receptum? Resp. I. Validum esse Matrimonium sine praesentia Parochi et testium contractum in locis, ubi Concilium Tridentinum promulgatum non est. Ita unanimis ac certa. Ratio est, quia quamvis alias ad obligationem Legis non requiratur, ut ubique promulgetur, sed sufficiat, si Romae in locis consuetis promulgetur per dicta *Lib. I. Tit. II. de Constit* tamen in hac materia aliter discurrendum est, prout patet ex ipso Concilio Tridentino *Sess. 24. de Reform. Matrim. cap.* 1 expresse disponente, Decretum suum in aliquo loco seu Parochia non tenere, nisi ibidem fuerit promulgatum, ibi: *Decernit insuper, ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis in eadem Parochia factae, numerandos.* Ergo a sensu contrario, et quia exceptio firmat Regulam in casibus non exceptis, dictum Decretum in locis et Parochiis, ubi promulgatum non est, non obligat. Accedit Declaratio Cardinalium, quam ex Zypaeo refert Bosco *part. 5 Disp. 11. sect. 9 Concl. 5* ibi: *Ubi Decretum Concilii Tridentini Sess. 24. c. 1 de Reform. Matrim non est publicatum, valere Matrimonia contracta absque observatione formae a Concilio praescriptae.*

118 Infert Fagnanus in c. *Quodam Praedecessore de Schismaticis n.* 143. Barbosa *ad Concil Trident loc. cit num.* 109 ad hoc, ut dictum Decretum obliget in aliqua Parochia, non sufficere, quod in Dioecesi sit promulgatum, sed necessario requiri, ut etiam in ipsa Parochia promulgatum habeatur; prout clare desumitur ex ipso textu num. *praeced.* allegato. Et expresse declaravit S. Congregatio teste Fagnano *loc. cit.* quae tamen Declaratio ulterius addidit, praesumi publicationem in aliqua Parochia esse factam, ubi Decretum illud aliquo jam tempore fuit observatum, quam Declarationem etiam affert Bosco *loc. cit.* illis verbis: *S. Congregatio censuit, publicationem praesumi, ubi id Decretum fuerit aliquo tempore in Parochia tanquam Decretum a Concilio observatum.*

Resp. II. In locis et Provinciis, ubi Concilium Tridentinum promulgatum quidem, sed receptum non est quoad dispositionem de Matrimonio *Clandestino*, incolae illius loci valide contrahunt Matrimonium absque praesentia Parochi et testium. Communis et certa. Quamvis enim ad intrinsecam Legis constitutionem et obligationem non requiratur acceptatio populi, tamen si populus in non acceptatione, et usu contrario per decennium saltem pergit, cessat obligare Lex, licet primi Legem sine justa causa non acceptantes, et non observantes peccarint, prout amplius diximus *Lib. I. Tit. II. de Constit* § *VI. de Acceptatione Legum, et Tit. IV. de Consuetud.* § 1. 119

Dicitur autem notanter *valide*; quia licite non agunt, sed peccant, *Clandestinum* Matrimonium sine praesentia Parochi et testium contrahentes: quamvis enim non peccent contra Concilium Tridentinum, utpote non receptum, consequenter post decennium, non amplius obligans per dicta *n. praeced.* peccant tamen contra Jus commune juxta dicta *n.* 54. licet non irritentur Matrimonia *Clandestina* per dicta *n.* 55. *Arg. c. fin. h. t.* 120

Quaeritur II. An, et quando Matrimonium Clandestinum sine praesentia Parochi et testium valide contrahunt illi, qui e loco promulgati Concilii Tridentini se conferunt ad locum, ubi promulgatum, aut receptum non est? Resp. I. Quando quis e loco promulgati et recepti Concilii se confert ad locum, ubi promulgatum aut receptum non est, ibique cum incola illius loci Matrimonium contrahit, validum est sine praesentia Parochi et testium. Caret controversia. Ratio est: quia, cum contractus Matrimonialis individuus sit, et claudicare non possit, incola vero loci illius sine praesentia Parochi et testium valide contrahat, necessario validum quoque erit Matrimonium contrahentis cum eodem. 121

Resp. II. Si ambo Sponsi e loco recepti Concilii se conferant ad locum non recepti, aut non promulgati Concilii, animo verum, vel quasi domicilium ibi figendi, valide ibidem contrahere possunt Matrimonium sine praesentia Parochi et testium. Rursus communis ac certa, ut videre est apud Sanchez *lib. 3. Disp.* 18. n. 27. Ratio est: quia tunc fiunt incolae et Parochiani illius loci, consequenter non amplius stringuntur legibus prioris domicilii jam derelicti. 122

Resp. III. Qui alio fine quam contrahendi Matrimonium, v. g. negotiationis, aut peregrinationis causa in locum non recepti Concilii Tridentini se conferunt, aut illic conveniunt, valide ibidem Matrimonium contrahunt sine praesentia Parochi et testium, etiamsi animum non habeant figendi ibidem verum, vel quasi domicilium. Sanchez *loc. cit. n.* 28. Pontius *lib.* 5. *cap* 9 *n.* 2. Ledesma *de Matrim q* 45 *a.* 6 *punc.* 5 *dub. fin concl* 1. Bosco *Disp.* 11 *sect* 9. *Concl.* 6. cum communi aliorum. Ratio est: Tum quia peregrini non obligantur Legibus et praeceptis Ecclesiae, etiam in sua patria vigentibus, si promulgata aut recepta non sunt in loco, ubi de facto ut peregrini et advenae existunt, aut transeunt, sed possunt se accommodare consuetudinibus dicti peregrinationis loci, prout cum communi aliorum docuimus in Theologia nostra Morali *Tr* 2. *dist* 3. *q.* 10 *n.* 10 *arg can. Quae contra* 2. *dist.* 8. *can. Illa* 11. *dist.* 11 *et can Quisquis.* 1 *dist* 41. 123

Tum et quidem praecipue, quia quoad solemnitatem adhibendam in contractibus solae inspiciuntur Leges et consuetudines loci, in quo contractus celebratur, ita ut secundum Leges et consuetudinem loci pro valore, aut invaliditate contractus ibidem celebrati judicandum sit, prout habet communissima et fere unanimis Doctorum, signanter 124

Bosco *loc. cit. num.* 192. Sanchez *loc. cit. nu.* 10. Pontius *loc. cit.* Abbas *in c.* 1. *de Sponsal.* Ancharanus *in c. fin. de Constit.* eo quod ratione contractus quisis etiam peregrinus sortiatur Forum, *arg. c. fin. de Foro competent. c. Romana eod. in C.* et *l. Si fundus.* 6. *ff. de Evict.* ibi: *Si fundus venierit, ex consuetudine ejus Regionis, in qua negotium gestum est, pro evictione caveri oportet.* ergo etiam Matrimonium utpote verus contractus, quem peregrinus alicubi celebrat, juxta consuetudinem illius loci judicari debet.

Dicitur autem notanter, *si alio, quam Matrimonium contrahendi fine*, quia quamvis Conclusio num. 123. posita quasi omni careat controversia, si alio, quam contrahendi fine ad praefata loca venire contingeret; tamen magna hodie controversia est in casu, quo ob finem contrahendi aliqui illuc veniant. Ad quam

125 Resp. IV. Quamvis spectandis principiis Juris et rationis probabilissimum sit, eos, qui solo fine contrahendi Matrimonium, consequenter in fraudem Legis e loco recepti *Concilii Tridentini* in locum non recepti, vel non promulgati v. g. e Germania vel Italia in Galliam, vel ex Bavaria in Saxoniam se conferunt, animo ibidem nec verum, nec quasi domicilium figendi, sed tantum simpliciter Matrimonium contrahendi, eoque contracto brevi iterum revertendi ad suum domicilium, valide ibidem contrahere Matrimonium: tamen probabilius est, illud hoc tempore invalidum esse.

Prima pars, quod valeat tale Matrimonium docetur a Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 18. *n.* 29. Pontio *lib.* 5. *cap.* 9. *n.* 4. Coninck *de Matrimonio*, *Disp.* 27. *nu.* 14. Aversa *de Matrim. q.* 6. *sect.* 2. Diana *et aliis*, docetis praecipue illo non inani fundamento, quod, si quid obesset, foret fraus et dolus, per Jura num. seq. citanda: atqui hic non obest, cum tales vel nullam, vel saltem non malam committant fraudem et dolum, sed utantur jure, vi cujus quivis potest ad alium locum etiam non recepti Concilii Tridentini se conferre, consequenter juxta legem et consuetudinem ibidem vigentes Matrimonium contrahere, cum contrahens juxta has obivis judicentur per dicta num. 124. *Nullus enim videtur dolo facere, qui jure suo utitur, L.* 55. *de Reg. Jur.*

126 *Secunda* pars, quod hodie non amplius valeat, docetur et solide probatur a Barbosa *de Offic. et potest. Paroch.* Ledesma *de Matrim. q.* 45. *a.* 5. *dub.* ult. *Concl.* 1. et 3. eamque tenet Bosco *Disp.* 11. *sect.* 9. *Concl.* 6. Engel *h. t. num.* 20. Henric. *in Summa lib.* 11. *de Matrim. cap.* 3. *numer.* 8. Lugo *Respons. Moral. lib.* 1. *dub.* 36. Gobath *tr.* 9. *casu* 18. *num.* 481. Zypaeus *in Consult. Canon lib.* 4. *tit. de Spons. et Matrim. Consultat.* 6. et communis aliorum Recentiorum post Breve Urbani VIII. statim citandi scribentium. Ratio est; quia *fraus et dolus alicui patrocinari non debent, c. Sedes.* 15. *et c. Ex timore* 16. *de Rescript.* juncta *l. Itaque* 12. § 1. *ff. de Furt.* Accedunt Declarationes Cardinalium, de quibus testatur Zypaeus *loc. cit.* Lugo *loc. cit.* Bosco *loc. cit.* Engel *loc. cit.* Barbosa *loc. cit.* addentes, illas confirmatas per Breve ab Urbano VIII. editum 1627. 14. Augusti ad instantiam seu interrogationem Archiepiscopi Coloniensis, cum enim apud S. Congregationem inter alias duplex quaestio sequens proponeretur. Primo: *An retinentes domicilium in loco, in quo Concilium in hoc puncto est promulgatum, valide possint contrahere ubi non est promulgatum?* Secundo: *Si solo animo, absque Parocho et testibus, contrahendi se transferant, habitationem non mutantes*, et ad quaesita S. Congregatio respondere, *Non esse legitimum Matrimonium inter sic contrahentes cum fraude*, Summus Pontifex hanc responsionem laudavit, et approbavit illis verbis: *Resolutionem hujusmodi de Auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et laudamus*: subjunxit dein omnes clausulas salutares adhiberi solitas. Et quoniam de hoc Brevi, praecedentes Declarationes confirmante, prudens dubitandi ratio non apparet, utpote de quo tot Classici Auctores testantur, et in specie Cardinalis de Lugo, dicens, se accepisse exemplum ex Autographo illius Brevis, contrariam sententiam amplius docere a temeritate vix alienum foret.

127 Accedit ratio; quia *in fraudem legis*, et *contra legem agere* aequiparantur, *arg. l. Contra legem* 29. *et l. seq. ff. de Legib.* cum Concordantiis, unde *l. Hoc modo.* 64. *ff. de Condit. et demonst.* statutum habetur, ea, quae in fraudem legis fiunt, *ipso Jure rescindi*; eo quod talis fraus perniciosa videatur Reipublicae communi bono, ob quod leges latae sunt; ibi: *Legem enim utilem Reipublicae adjuvandam interpretatione*.

Nec in contrarium facit, quod pro se cum sequacibus allegat Sanchez ex *L.* 55. *ff. de Reg. Jur.* quia non procedit, quando aperte constat, quod quis directa intentione fraudandi legem operetur, etsi incidentaliter alii respectus concurrant, prout cum aliis bene observat Barbosa *loc. cit.*

128 Dicitur autem notanter in Conclusione, *animo ibidem nec verum, nec quasi domicilium figendi*, quia, si quis in loco non promulgati, aut non recepti Concilii Tridentini, verum, aut quasi domicilium figere serio intendit, valide ibidem Matrimonium contrahit, sine Parocho et testibus, etiamsi ad hunc finem et effectum illuc se conferat. Ratio est: tum quia hoc ipso, quod alibi incola et Parochianus fieri quis revera intendat, et in effecto fiat, plene utitur jure suo, nec in fraudem legis agere dicitur, sicut ille, qui solo animo ibidem contrahendi Matrimonium, et postea statim iterum revertendi, ad locum non recepti Concilii se confert. Tum quia fraus, si quae esset, re et effectu, quo quis efficitur verus incola et parochianus talis loci, tollitur. Hinc nec Declarationes Cardinalium, nec Breve Urbani VIII. de hoc casu loquuntur: sicut nec de eodem, sed de illo solummodo casu quaestio fuit proposita; quid Juris, *si NB. retinentes locum, domicilium, et habitationem non mutantes* ad locum non recepti Concilii Tridentini se conferunt: ergo casu, quo quis habitationem non retinet, sed mutat domicilium verum, vel quasi tale alibi eligit, non tangitur. Confirmatur Declarationibus Cardinalium ex Fagnano, et Cardinali de Luca supra *numer.* 90. allegatis; quae ut cum aliis *num.* 126. productis concordentur, alia via adesse non videtur, quam dicere, quod praesenti numero annotamus. Id ipsum etiam sentire videtur Cardinalis de Luca *loc. cit. discurs.* 26. *n.* 15. addens S. Congregationem pluries declarasse, fraudem talem vel affectionem (utpote quae revera dolus et fraus non est) non obstare valori Matrimonii.

129 Idem dic de vagis sola intentione contrahendi ad locum non promulgati Concilii Tridentini se conferentibus, dummodo prius domicilium revera ac serio dimiserint; nec enim Declarationes Cardinalium, et Breve Urbani VIII. eos non afficiunt, utpote quae loquuntur de retinentibus domicilium, quod hoc notandum. Concordant etiam dicta *numer.* 88. *et seqq.*

130 Resp. V. illi, qui e loco non promulgati, vel non recepti ad locum recepti Concilii Tridentini in puncto *Clandestinitatis*, se conferant, non possunt ibi valide contrahere Matrimonium sine praesentia Parochi et testium, sive dein ibidem domicilium figant, sive tantum transeant. Haec est communis ac certa, caretque controversia. Patet ex

dictis supra *num.* 124. ubi cum communi aliorum ostendimus, quemvis ratione contractus sortiri Forum, adeoque teneri ad solemnitatem illam, quam leges et consuetudines ibidem vigentes praescribunt, juxta quas solas etiam de valore aut invaliditate contractus inibi judicatur per Jura ibi allegata.

131 Quaeritur III. An valeant Matrimonia Catholicorum sine praesentia Parochi et testium contracta in locis haereticis? Notandum prius, non esse hic quaestionem de Matrimonio, quod contrahunt Catholici cum haereticis (de hoc enim jam diximus supra *Tit. I. a n.* 357.) sed de Matrimonio, quod Catholici inter se contrahunt in locis haereticis. Resp. I. Matrimonia Catholicorum sine praesentia Parochi et testium contracta in locis haereticis illis, in quibus Concilium Tridentinum nunquam fuit promulgatum, sunt valida. Haec est communis ac certa, patetque absque ulteriori probatione ex dictis supra *a num.* 117.

132 Resp. II. Pariter valent Matrimonia Catholicorum etiam in illis locis haereticis, ubi Concilium Tridentinum aliquando fuit promulgatum, sine praesentia Parochi adhibitis tamen duobus testibus contracta, casu quo ob metum, vel potentiam haereticorum nullus adest Episcopus, vel Parochus, nec alius Sacerdos ab iis licentiam assistendi habens, neque datur ad eorum aliquem alibi existentem tutus accessus. Invalida vero sunt, horum aliquis haberi potest. Bosco *Disp.* 11. *sect.* 9. *Concl.* 5. Zypaeus *in Jur. Pontific. L.* 4. *numer.* 16. Ardekin *de Matrim. cap.* 8. §. 4. Sporer *p.* 1. *cap.* 1. *sect.* 1. *num.* 34 Diana *p.* 11. *tr.* 6. *Resol.* 1. Marchantius *in Tribunal. Tom.* 3. *p.* 2. *tr.* 1. *Tit.* 7. *quaest.* 10. *Concl.* 5. Herinx *Disp.* 5. *q.* 11. *numer.* 10. *h. t. num.* 12. et hodie communis aliorum post Declarationes Cardinalium, statim allegandas scribentium. Probatur Conclusio ex Declarationibus Cardinalium, quas citati Doctores adducunt, et Authenticas esse asserunt, datas ad Episcopum Tricariensem sequentis tenoris Anno 1605. 19. Januarii.

Congregatio Concilii perpensis consultationibus Episcopi Tricariensis circa formulam Matrimoniorum, quae in partibus Hollandiae, Zelandiae, Frisiae contrahuntur, ita censuit.

Primo. *Ubi Decretum ejusdem Concilii cap.* 1. *Sess.* 24. *de Reform. non est publicatum, valere Matrimonia contracta absque observatione formae a Concilio praescriptae.*

Secundo. *Publicationem praesumi, ubi id Decretum fuerit aliquo tempore in Parochia tanquam Decretum Concilii observatum.*

Tertio. *Haereticos quoque, ubi Decretum dicti cap.* 1. *est publicatum, teneri talem formam observare, et praeterea ipsorum etiam Matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram Ministro haeretico vel Magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse.*

Quarto. *Ubi etiam constat, Decretum Concilii esse observatum, sed Parochialis Ecclesia utpote vacans proprio Parocho careat, et Cathedralis itidem Episcopo atque Capitulo, habentibus a Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit, qui vices Parochi, vel Episcopi suppleat, Matrimonium valere absque praesentia Parochi: servata tamen in eo, in quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus.*

Quinto. *Si extant quidem Parochus, et Episcopus, sed nullo constituto Vicario uterque metu haereticorum lateat, ita ut vere ignoretur, ubinam sit, vel eodem metu a Dioecesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est Matrimonium contractum absque forma Concilii, adhibitis tamen, ut dictum, duobus testibus.*

Quod vero attinet ad casum specialem in scriptis ejusdem nuntii contentum, Congregatio ita duxit respondendum. cum secundum ea, quae proponuntur, Matrimonium fuerit contractum in Parochia, in qua fuerat publicatum dictum Decretum, et extaret in Antverpiensi, cujus erat Parochia, Vicarius, qui juxta Concilii Decretum poterat providere, utique hujusmodi Matrimonium absque forma contractum, esse nullum Huc usque S. Congregatio.

Similem, eandemque recenter Anno 1676. editam Declarationem contra valorem Matrimonii contracti in loco haeretico, ubi Concilium Tridentinum promulgatum fuit, et Parochus Catholicus haberi commode potuisset, adducit Bruno Neusser *Disp.* 182. *q.* 2. ad finem.

Rationem *primae* partis, quod Matrimonia in me- 133
moratis locis sint valida, aliqui desumunt tum ex impossibilitate; quia *Nemo potest ad impossibile obligari c. nemo* 6. *de Reg. Jur. in* 6. consequenter, cum in casu Conclusionis impossibile sit Catholicis habere Parochum Catholicum aut deputatum ab eo, non obligantur ad Legem Concilii Tridentini pro Matrimonii valore Parochum requirente. Tum ex necessitate: *Nam quod non est licitum in lege necessitas non facit licitum, c. Quod non. de Reg. Jur.* Verum hae rationes Conclusionem efficaciter non probant; quamvis enim bene probent contra legem praecise praecipientem, aut prohibentem ita, ut quis in casu impossibilitatis, vel gravis necessitatis eam observare non teneatur, et transgrediendo non peccet; tamen non probant contra leges irritantes et praescribentes formam substantialem, qualis etiam est lex Concilii Tridentini irritum declarans Matrimonium in loco promulgati Concilii sine Parocho et testibus contractum; prout cum aliis solide probat Sanches *lib.* 3. *Disp.* 17. *n.* 4. indeque infert, invalidum esse Matrimonium sine Parocho et testibus contractum, etiamsi illud contrahendi fuerit summa necessitas, et simul concurrerit impossibilitas habendi Parochum v. g. in articulo mortis ad legitimandam prolem etc. Et certe, si necessitas ac impossibilitas cessarent etiam legem irritantem, posset quivis consanguineam in *secundo gradu*, vel alias impedimento Jure Ecclesiastico *dirimente* affectam, sine ulla dispensatione ducere; casu quo aliam habere non posset, vel eam ducendi urgeret gravis necessitas, quod nemo dixerit.

Est ergo alia, et quidem illa ratio, videlicet, 134
quia vel S. Congregatio virtute supra dictarum responsionum declaravit, per Epikejam, et secundum aequum et justum, hunc casum non comprehendi in Concilio Tridentino, utpote quod suo Decreto voluit principaliter obviare malis ex Matrimonio *Clandestino* ordinarie venientibus, minime vero causare, quod in plurimis integris Territoriis, Provinciis, ac Dioecesibus Catholici ex defectu Parochorum Matrimonio conjungi nunquam possent; sic enim in talibus locis brevi deficeret fides Catholica. Vel certe Summus Pontifex dictas Declarationes S. Congregationis confirmando censetur pro talibus locis haereticis, in quibus Parochus Catholicus non est, nec ad eum tutus datur accessus, paterne dispensare, quod etiam sine praesentia Parochi contrahere valeant.

Dicitur autem notanter in prima parte Conclu- 135
sionis *num* 132. positae, adhibitis tamen duobus testibus; quia hos etiam in praefatis locis requiri, expresse declarat S. Congregatio *num* 132. ibi: *Adhibitis saltem duobus testibus*, neque in his, ut in Parocho dispensatum censetur; et merito, quia hi facile haberi possunt.

Altera pars Conclusionis, videlicet, quod Ma- 136
trimonium sit nullum, si ibidem vel adsit Episcopus, aut Parochus, aut saltem tutus ad eum alibi

existentem assensum, tenent DD. citati, patetque ex adducta. Declaratione.

137 Et ex his Conclusionibus infertur I. Validum esse Matrimonium, quod Catholici v. g. Mercatores, aut peregrini contrahunt in locis infidelium, in Regno Turcico v. g. quia ibidem Concilium Tridentinum nunquam fuit promulgatum. Idem est de Matrimonio Catholicorum contracto in Suecia, Saxonia, Prussia, Anglia, Scotia, Dania, Pomerania, et aliis partibus Septentrionalibus, quia nec in his locis Concilium Tridentinum fuit promulgatum, cum jam ante illud a vera fide defecerint, prout ex *Carono in Apostolatu Missionariorum q.* 91. et *Verviis art.* 1. notat Bruno Neusser *Disp.* 182. *q.* 2. *n.* 4. quam tamen doctrinam intellige cum limitatione.

138 Infertur II. Matrimonia Catholicorum contracta in Hollandia, Zelandia, Frisia, et aliis confoederatis Provinciis, tam Principi Territorii, quam S. Romanae Ecclesiae Rebellibus, invalida esse, casu quo vel Episcopum, vel Parochum Catholicum, vel alium Sacerdotem licentia assistendi praeditum ibidem habere, aut ad eum secure, ac tuto venire possunt, eo quod memoratae Provinciae primum defecerint, postquam ex mandato Philippi II. per Gubernatricem Belgii Margaritam Parmensem Decretum Tridentinum jam fuit promulgatum, teste Brunone Neusser *loc. cit.* et Variviis. Secus est, si Sacerdotem Catholicum inibi non habent, nec tuto ad eum venire valent.

139 Infertur III. Matrimonia Catholicorum Augustae, Ratisbonae, ubi Concilium Tridentinum est promulgatum, ipsique Catholici cum haereticis permixti libere vivunt, Parochosque Catholicos vel ibidem habent, vel in vicinia facile habere possunt, invalida esse, si absque praesentia Parochi et testium contrahunt, quae cuncta patent ex Declarationibus allegatis.

Quaeritur IV. An, et quando Matrimonia haereticorum sint invalida? Resp. I. De Matrimoniis haereticorum ob defectum veri Parochi Catholici ac testium *Clandestinis*, eodem fere modo esse discurrendum, quo de Matrimonio Catholicorum hactenus discurrimus. Videlicet *primo*, quod si absque praesentia Parochi et testium contrahantur in locis, ubi Concilium Tridentinum non fuit promulgatum; vel ubi promulgatum quidem est, Parochus tamen, aut Ordinarius Catholicus ibidem non invenitur, nec tutus ad eum accessus est, omnino valeant, *nisi NB. aliud obstet. Secundo* econtra invalida sint, si contrahantur in locis promulgati Concilii, ubi vel Ordinarius et Parochus Catholicus adest, vel in vicinia facile ac tuto haberi possit. Tota Conclusio patet ex allegatis Declarationibus Cardinalium, utpote quae etiam de haereticis procedunt, prout bene observat Bosco *loc. cit. n.* 163. post Zypaeum, Bruno Neusser, et alii, patetque ex ipsis Declarationis verbis expresse sonantibus: *Haereticos quoque ubi Decretum dicti cap. I. est publicatum, teneri talem formam observare, et praeterea ipsorum etiam Matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram Ministro haeretico, vel Magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse.* 140

Confirmatur haec *secunda* pars ex recentissima Declaratione Cardinalium, vi cujus nullum ac irritum declaratum fuit Matrimonium eo quod fuerit sine praesentia Parochi, etsi coram Magistratu saeculari haeretico contractum sit in loco, ubi Concilium erat promulgatum, et facile haberi aut adiri potuisset Parochus Catholicus. Declaratio quam refert Bruno Neusser *cit. Disp.* 182. *q.* 2. *ad finem* est sequentis Tenoris. 141

RUREMONDENSIS MATRIMONII.

Catholicus cum Haeretica, quae haeresin abjurare promiserat, Matrimonium coram Magistratu saeculari in loco ubi Concilium Tridentinum est receptum, et Parochus commode haberi et adiri poterat, contraxit, et postea consummavit: Verum quia mulier non solum ad haeresin abjurandam adduci non potuit, sed etiam alteri Viro nupsit; Orator ad partes viventes sub obedientia S. Sedis se recepit et cum alia muliere contrahere desiderat: sed quoniam Ordinarius recusat permittere absque S. Congregationis declaratione, Orator supplicat decerni: An praedictum Matrimonium ab ipso cum dicta Haeretica, modo ut praesertur, sit nullum?

Die II. Maij MDCLXXVI. S. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum secundum ea, quae proponuntur, censuit dictum Matrimonium fuisse nullum.

I. Cardinalis Colomoe Praef.
(L. S.)
Gratis etiam quoad Scripturam.

St. Archiepiscopus
Brancaccius Episc. Viterbiensis.

Dicitur notanter in Conclusione, *nisi aliud obstet*, etsi enim in locis non promulgati Concilii Matrimonium ex defectu existentis Parochi *Clandestinum* sit validum, erit tamen invalidum, si cum alio impedimento dirimente contractum fuit, uti statim dicetur.

142 Resp. II. Omnia Matrimonia haereticorum cum alio, quam *Clandestinitatis* impedimento, etsi vi solius Legis Ecclesiasticae *dirimente* ubicunque tandem contracta, irrita sunt ac invalida. Hanc Conclusionem tenent ac tenere debent omnes, qui Conclusionem praecedentem *num.* 140. positam tenent, cum juxta dicta ibidem Matrimonia haereticorum contra irritans Decretum Concilii Tridentini *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. contracta sint nulla, nulla quoque et irrita erunt contracta ab eis contra alias Leges Ecclesiasticas irritantes, v. g. cum consanguinea vel affine *intra quartum gradum*, aut rapta, vel cum impedimento Criminis; cum non sit major ratio, cur haereticorum Matrimonia contra unam Legem irritantem Ecclesiasticam sint irrita, et non sint irrita, quae contrahuntur contra aliam similiter irritantem Legem Ecclesiae, *arg. c. Translato.* 3. *de Constitut. et l. Si libertam.* 28. *C. de Nupt.*

143 Ratio autem tam hujus, quam praecedentis Conclusionis quoad *secundam* partem, quod videlicet Matrimonia haereticorum sine Praesentia Parochi, et universaliter contra quamcunque legem Ecclesiae irritantem, seu cum impedimento *dirimente* contracta, sint nulla, est: quia haeretici per Baptismum Ecclesiam ingressi tenentur ad omnes leges Ecclesiasticas pro universali Ecclesia latas prout solutis objectionibus amplius docuimus *Lib. I. Tit. II. §. XII. a. numer.* 274. ergo etiam ad leges irritantes Matrimonia cum impedimento dirimente contracta.

144 Nec dicas cum quibusdam Adversariis contra utramque Conclusionem, Leges Ecclesiasticas apud haereticos consuetudine legitime praescripta esse sublatas: cum enim contra legem Ecclesiasticam valeat consuetudo legitime praescripta, *c. fin. de consuetud.* haeretici autem consuetudinem jam legitime praescriptam utpote ultra centum annos durantem habeant contra leges Ecclesiasticas irritantes Matrimonia; consequens est, illos eisdem non amplius stringi. Nam contra est, quod consuetudines haereticorum contra Leges Ecclesiasticas irrationabiles ac penitus irritae, nulliusque valoris sint, juxta dicta *Lib. I. Tit. IV. de Consuetud. §. 5. numer.* 145. ubi vide. Hinc non obstante hac haereticorum consuetudine irritum declaratum est Matrimonium sine Parocho contractum juxta dicta *numer.* 141.

145 Confirmatur, quia si consuetudines haereticorum contra Leges Ecclesiasticas valerent, sequeretur, eos nullis amplius obligari legibus; cum contra omnes induxerint consuetudinem, et non sit major ratio, cur consuetudo eorum valeat contra unam, et non contra aliam; atqui hoc est contra unanimem, simulque absurdum: nam ex eo sequeretur, frustraneas de facto esse cunctas Leges contra haereticos factas, et contra totum *Tit. VII. de Haereticis in Lib. V. Decretalium.*

146 Instabis, adesse tamen plures Doctores Classicos, ut Layman *lib. 5. tr. 10. p. 2. cap. 4. num. 7.* Tanner *Tom. 4. Disp. 8. q. 3. dub. 6.* Dicastill. *de Matrimo. Disp. 3. Dub.* 10. Sporer *p. 4. cap. 1. Sect. I. nu.* 55. docentes valere cuncta haereticorum Matrimonia sine praesentia Parochi Catholici contracta etiam in locis, ubi promulgatum est Concilium Tridentinum, et facile haberi potest Parochus.

Ad hanc instantiam respondetur, hos Doctores non esse audiendos, eo quod nullum solidum afferant fundamentum. Nec enim pro eis solide quid probat haereticorum consuetudo, uti jam ostendimus: nec tacitus consensus Summi Pontificis scientis et tacentis, ac benigna interpretatio, quod Decretum Tridentinum ad haereticos se non extendat, quia contra hoc expressissime militant repetitae Declarationes Cardinalium, et mens Pontificis aperte manifesta per dicta *numer.* 134. Plura contra haec vide apud Gobath *tr. 9. casu 18. a num.* 511.

Dices adesse quoque Declarationes Cardinalium dicentium, Matrimonia haereticorum valere. Resp. Illas Declarationes loqui de Matrimoniis contractis in locis, ubi non est promulgatum Concilium Tridentinum, sed non est facilis accessus ad Parochum.

147 Dicitur etiam in Conclusione n. 142. posita: *ubicunque tandem contracta* quia quamvis Matrimonia cum impedimento *Clandestinitatis* contracta in locis, ubi Tridentinum non est promulgatum, sint valida per dicta *num.* 140. eo quod Concilium Tridentinum ad valorem illius sui Decreti expresse requirat promulgationem in singulis Parochiis: Tamen valida non erunt haereticorum Matrimonia in loco non promulgati Concilii contracta cum alio quam *Clandestinitatis* impedimento dirimente, quia leges Ecclesiasticae alia impedimenta statuentes, talem promulgationem non requirunt, sed hoc ipso quod sint insertae Juri communi sive veteri, sive novo, solito modo, promulgato, obligant ubique etiam ubi particulariter promulgatae non sunt per dicta *Lib. I. Tit. II. de Constit.* §. 5. Et certe si omnium Legum Ecclesiasticarum promulgatio deberet fieri etiam in locis haereticis, vix ullis illi obligarentur legibus Ecclesiae, utpote quae apud eos nunquam promulgantur, imo frustra factae essent, et adhuc fierent tot Leges contra haereticos, utpote quos defectu promulgationis nulla obligaret.

Infertur proinde I. Omnia Matrimonia haereticorum Augustae, et Ratisbonae contracta esse nulla ac invalida, quia ibidem Concilium Tridentinum est promulgatum, possuntque ibidem facile haberi Ordinarium aut Parochum. 148

Infertur II. Matrimonia haereticorum contracta in Anglia, Scotia, Saxonia, Suecia, Frisia, Dania, Pomerania esse valida, quia juxta dicta *numer.* 147. ibi nunquam fuit promulgatum Concilium Tridentinum. 149

Infertur III. Matrimonia haereticorum contracta in Hollandia, aut aliis unitis Provinciis esse valida, ibi, ubi non est, nec haberi potest Ordinarius aut Parochus Catholicus: secus, ubi haberi potest; quia in his Provinciis Concilium Tridentinum fuit promulgatum. 150

Quaeritur V. An invalida sint Matrimonia haereticorum ex eo, quod non sunt Sacramentum, et dissolubiliter contrahantur? Resp. Hanc quaestionem ventilari infra. 151

TITULUS IV.

De Sponsa duorum.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
2 *Duos maritos aut uxores simul habere, Jure Divino, et humano illicitum, atque invalidum est.*
3 *Ut proin nec consuetudo, nec dispensatio Pontificia aliquid contra illud valeat.*
4 *Poena attentantium contrahere cum duabus.*
5 *Si quis Sponsalitia de futuro cum duabus contrahit, Sponsalia posteriora etiam juramento firmata invalida sunt.*
6 *Etsi eisdem accesserit copula, cum quo secunda Sponsa conscia fuit priorum Sponsalium.*
7 *Imo etsi ignara fuerit priorum Sponsalium.*
8 *Et grave patiatur damnum, prior vero Sponsa modicum aut nullum.*
9 *Solvitur objectio.*
10 *Impedimentum publicae honestatis quid?*
11 *Oritur ex Sponsalibus de futuro et de praesenti, seu Matrimonio rato.*
12 *De Jure antiquo ex omnibus etiam invalidis Sponsalibus oriebatur Impedimentum publicae honestatis usque ad quartum gradum inclusive.*
13 *Jure novo Tridentino ex Sponsalibus de futuro invalidis, non consurgit, bene tamen ex validis, sed non ultra primum gradum dirimit.*
14 *Impedimentum tamen honestatis publicae ex Matrimonio rato proveniens, procedit adhuc juxta Juris antiqui dispositionem.*
15 *Ex Sponsalibus de futuro oritur dictum impedimentum, etsi postea solvantur Sponsalia ex aliqua causa.*

16 *Vel mutuo consensu.*
17 *Probatur ex Declaratione Cardinalium.*
18 *Solvitur objectio.*
19 *Ex Sponsalibus gravi metu injuste incusso initis non oritur Impedimentum publicae honestatis.*

1 Contingit nonnunquam quod quis cum duabus successive, contrahat, hinc sequitur praesens Titulus statuens, quid Juris in hoc casu. Et quamvis praesentis Tituli capitula tantum loquantur de illis, qui cum duabus de praesenti, seu ipsum Matrimonium contrahere attentant, tamen Canonistae communiter hic etiam examinant casum, quo quis cum duabus Sponsalia de futuro contrahit. Quos imitantes nos quoque faciemus, simulque de impedimento publicae honestatis trademus.

2 Quaeritur I. An, et quomodo illicitum ac invalidum sit Matrimonium cum duabus vel duobus, seu habere duas uxores, aut maritos. Resp. Jure humano, Canonico et Civili, ac etiam Divino illicitum invalidumque esse Matrimonium cum duabus aut duobus simul. Unanimis ac certa Catholicorum, de Jure Canonico patet toto praesenti *Tit. de Sponsa duorum.* de Jure Civili habetur §. 6. *Instit. de Nuptiis*, ibi: *Eadem duobus nupta esse non potest*: et infra: *Duas uxores eodem tempore habere non licet*, cum Concordantiis. De Jure Divino constat ex *Math.* 19. estque definitum de Fide a Concilio Tridentino *Sess.* 24. *can.* 2. ibi: *Si quis dixerit, licere Christianis plures habere uxores, et hoc nulla lege Divina esse prohibitum, anathema sit.*

3 Infertur proin cum unanimi Doctorum, nec consuetudine, nec dispensatione Pontificia fieri posse, quod quis habeat duas uxores, aut aliqua duos maritos; quia contra Jus Divinum consuetudo nec quidquam valet, c. *fin. de consuet.* nec dispensatio Pontificia per dicta *Lib. I. Tit. II. de Constit.* §. 18. *numer.* 455.

Nec obstat, quod in Lege veteri Patriarchis et Judaeis plures uxores habere licitum et validum fuerit. Resp. enim cum c. *Gaudemus* 8. *de Divortiis*, id Divina dispensatione factum esse, quam concedere quamvis adhuc possit Deus, tamen de facto non concessit, sed potius Christus eam prius datam revocavit, *Matth.* 19.

4 Resp. II. Qui vivente uxore Matrimonium cum alia attentat, incurrit poenam infamiae *L. 1. in fine ff. De his, qui notantur infamia* et *L. 2. C. de Incestis nupt.* ibi: *Neminem, qui sub ditione sit Romani Imperii, binas uxores habere posse, vulgo patet; cum etiam in edicto Praetoris hujusmodi viri infamia notati sint.* Imo gladio et ultimo supplicio in Romano Imperio puniuntur, si secundum Matrimonium consummaverint, juxta ordinationem *Caroli V. Art.* 121.

5 Quaeritur II. Quid Juris? et cui adhaerere debeat, si quis cum duabus, aut quae cum duobus Sponsalia de futuro contrahit, praesertim si cum Sponsa secunda fornicatio, aut etiam impraegnatio intervenit? Resp. I. Si quis, vel quae cum duabus, aut duobus Sponsalia de futuro contrahit, nec copulam habuit cum secunda Sponsa, irrita et nulla sunt Sponsalia posteriora, etiamsi juramento sint firmata; consequenter adhaerere tenetur priori Sponsae, si haec velit. Abbas *in c. Sicut.* 22. *de Sponsal. et Matrim. num.* 8. et ibi Joan. Andreas *numer.* 4. Ancharanus *num.* 3. Sanchez *lib.* 1. *de Sponsal. Disp.* 50. eoque teste unanimis et certa aliorum, *arg. cit. c. Sicut de Sponsal. et c. Unica de Sponsal. in* 6. Ratio est; quia, quod uni jam promissum est, ac vi promissi Jure debetur, alteri promitti amplius non potest.

Nec obstat, quod secunda Sponsalia quis firmet juramento: quia, cum tale juramentum sit in praejudicium tertii, illicitum et vinculum iniquitatis est, ac propterea obligatorium non censetur, *arg. c. Quanto* 18 *de Jurejur can Inter caetera, cau.* 22. *q.* 4. cum Concordantiis. *Nam non est obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum*, c. 58. *de Reg. Jur. in* 6.

Resp. II. Etsi posterioribus Sponsalibus accedat copula, aut etiam impraegnatio, nulla sunt et irrita, si cum prima quoque Sponso aut Sponsa habita fuit copula, aut posterior Sponsus aut Sponsa conscius fuit, quod Matrimonium ei promittens, prius jam cum alia contraxerit Sponsalia. Palao *de Sponsal. Disp.* 1. *pun.* 22. *numer.* 5. Pontius *de Sponsal. lib.* 12. *cap.* 14. cum communi ac certa aliorum. Ratio *primae* partis est: quia si cum prima quoque Sponsa habita fuit copula, ejus utpote prioris jus majus est; tum per Jura *numer. praeced.* allegata: tum per *Regulam* 54. *Jur. in* 6. *Qui prior est tempore, potior est jure.* 6

Ratio *secundae* partis est: quia, si ea pars, cum qua contracta sunt posteriora Sponsalia, conscia fuit priorum Sponsalium, jam hoc ipso particeps fuit delicti iniquae promissionis, ac nullitatis ejusdem: consequenter contra jus prioris Sponsae aut Sponsi praetendere nihil potest: praesertim cum decepta dici non possit, *arg. L.* 1. §. 6. *ff de Aedilit. edict.*

Resp. III. Etiam in casu, quo posterioribus Sponsalibus accessit copula, et pars illa, cum qua posteriora Sponsalia fuere contracta, ignara fuerit priorum Sponsalium, consequenter vere decepta, valent Sponsalia priora, adhaerendumque est priori Sponso aut Sponsae. Sanchez *de Sponsal. Disp.* 49. *nu.* 5. Gutierez *de Matrim. cap* 27. *numer* 7. *in fine.* Henriquez *lib.* 11. *de Matrim. cap.* 13. *numer.* 3. et alii contra Palao *loc. cit. numer.* 6. Pontium *loc. cit. numer* 4. *arg. l. Non dubium.* 5. §. *Sed et si C. de Legib.* et *c. Illud. de Jure Patronat.* Ratio est: tum quia per injuriam posteriori illatam non debet, nec potest auferri jus suum priori. Tum quia magna aperiretur via fraudibus et dolis, dum quivis liberari a priori Sponsa, et cum alia conjungi cupiens, absque omni alia causa illico se liberare posset, spondendo nempe alteri Matrimonium, et copulam cum eadem habendo. 7

Limitat quidem Sanchez *loc cit. numer.* 6 et alii Conclusionem in casu, quo posterior Sponsa, grave, et non aliter quam Matrimonio reparabile damnum patitur, econtra Sponsa prior nullum, vel non nisi modicum damnum sentiret: tunc enim ajunt, hanc ex aequitate saltem, et charitate teneri cedere juri suo, et sustinere leve damnum illud, ut altera a gravi liberetur. Verum hanc limitationem saltem pro Foro externo merito rejicit Gutierez *loc cit. numer.* 7. Tum quia nullo Jure potest probari, ut, quod sibi de Jure competit, alteri ex charitate relinquat, vel ad 8

liberandum alterum a gravi malo jus suum derelinquet. Unde esto casus contingere posset, quod prima Sponsa ad evitandum grave damnum secundae in Foro interno ex charitate teneretur, non apparet tamen, quo Jure in Foro externo ad id compelli posset.

9 Objicies cum Adversariis, quando alicui prius venditur equus, et postea idem alteri venditur, simul et traditur, manet equus posteriori emptori, *l. Quoties. C. de Rei vendicat.* ergo idem dicendum de Sponsalibus, eo quod accedente copula in secundis Sponsalibus corpus quasi actu tradatur. Resp. negando *Conseq.* et paritatem. Disparitas est: tum quia, illud, non item hoc in Jure expressum habetur. Tum quia per copulam corpus non ita traditur Sponsae secundae, sicut equus secundo emptori; cum per copulam Sponsalia sequentem non amplius efficiatur Matrimonium, sicut erat ante Concilium Tridentinum *c. Veniens.* 15. *et c. Is qui fidem et Sponsal. et Matrim.* consequenter etiam post copulam talem Sponsa secunda nullum jus acquirat in corpore Sponsi, nec illo ante Matrimonium licite uti potest, uti equo statim licite uti, et de eo pro libitu disponere post traditionem potest secundus Emptor.

10 Dices, quando unus agit de damno vitando, et alter de lucro quaerendo, potius favendum est illi, quam isti *per vulgaria.* atqui in casu nostro secunda Sponsa egit de damno vitando, et prima de lucro acquirendo; ergo illi *magis*, quam isti favere oportet. Resp. negando *Minor.* quia, qui jam habet jus quaesitum ad aliquam rem, illamque prosequitur, non amplius de lucro quaerendo, sed de damno vitando egit, cum omissio lucri, aut Juris jam quaesiti et radicati damnum sit, ut bene ostendit Gonzalez *Ad Regul.* 8. *Cancellar.* Glossa *n.* 17. *et seqq.*

Quaeritur III. Quid sit? unde proveniat? quousque se extendat? et quid operetur Impedimentum *publicae honestatis*? Resp. I. *Impedimentum publicae honestatis* est impedimentum Jure Ecclesiastico dirimens Matrimonium cum consanguineis Sponsi aut Sponsae. Ita in re communis, patebitque ex dicendis. Ratio introducendi hoc impedimentum fuit; quia honestati et decentiae inconveniens videbatur, quod Sponsus aut Sponsa matrimonialiter conjungeretur alicui, cujus consanguineo prius jam, etsi non carne, mente tamen et animo per Sponsalia erat conjunctus. Hinc pro exigentia honestatis naturalis statuit Ecclesia, ut, si quis habuit Sponsalia cum aliqua, non possit amplius Matrimonium contrahere cum ejus consanguinea, *c. Ad audientiam.* 4. *c. Sponsam* 8. *de Sponsal. et Matrim.* can. *Si quis desponsaverit* 11. *can. Si quis uxorem.* 4. *cau.* 27. *quaest* 2. *c. un. de Sponsal. in* 6. et alibi.

11 Resp. II. Impedimentum *publicae honestatis* provenit non tantum ex Sponsalibus de futuro, sed etiam de praesenti, seu ex Matrimonio rato nondum tamen consummato. Quod oriatur ex Sponsalibus de futuro est certum, patetque aperte ex Juribus *numer. praeced.* allatis. Quod autem etiam ex Sponsalibus de praesenti, seu Matrimonio rato consurgat, tenent Abbas *in cit. c. Sponsam* 8. *h. t. numer.* 1. et ibi Joan Andreas *prin* Fagnanus *in c. Ad audientiam. h. t.* Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 70. *numer.* 1. cum communi aliorum. Quamvis enim clarus textus de hoc non habeatur, tamen non obscure desumitur ex *cit. can. Si quis desponsaverit.* 11. et *can. Si quis uxorem* 14. *cau.* 27. *q.* 2. *et c. Ad audientiam. h. t.* uti advertit Pontius *lib.* 7. *cap.* 35. *numer.* 2. Ratio desumitur a Minori ad Majus; quia, cum conjunctio animorum ex Matrimonio rato major et fortior sit ea, quae provenit ex Sponsalibus de futuro, magisque contra honestatem sit, accipere consanguineam uxoris, quam Sponsae, consequens est, quod, si ob honestatem sequatur impedimentum ex Sponsalibus de futuro, a fortiori sequetur ex Sponsalibus de praesenti, seu Matrimonio rato nondum consummato inter Maritum et consanguineos uxoris, et reciproce inter uxorem et consanguineos Mariti; praesertim, quia aliud inter hos impedimentum ostendi non potest; cum ex Matrimonio solummodo rato, et nondum consummato affinitas non oriatur per dicenda infra.

Resp. III. Quamvis olim de Jure antiquo Impedimentum *publicae honestatis* consurgeret ex quibusvis Sponsalibus de futuro et praesenti, etiam invalidis (dummodo invalida non essent ex defectu consensus) textu expresso *c. un. de Sponsal. et Matrim in* 6. Et quidem inter Sponsam et consanguineos Sponsi, ac vicissim inter Sponsum et consanguineos Sponsae usque ad *quartum gradum*, ut docet Abbas *in cit. c. Sponsam numer.* 4. Glossa *in c. un. de Sponsal. in* 6. *V. Consanguinitatis*, et ibi Joan. Andreas *numer.* 4. Anchoranus *numer.* 3. Sanchez *lib.* 7. *Disp* 68. *num* 9. cum communi aliorum, *arg. cit. c. Sponsam.* 8. *de Sponsalib.* ubi universaliter ita disponitur: *Sponsam alterius nullus consanguineorum aliquo modo sibi potest Matrimonio copulare.* Intellige de consanguineis usque ad *quartum gradum* instar affinitatis, *arg. c. Non debet.* 8. §. *Prohibitio de Consanguinit. et Affinit.* 12

Tamen Jus antiquum a Concilio Tridentino hodie est correctum, quoad Impedimentum proveniens ex Sponsalibus de futuro, ita, ut ex his quacunque ratione invalidis, non amplius oriatur dictum Impedimentum, ex validis autem Consurgens non nisi ad *primum gradum* dirimat, prout expresse habetur *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 3. ibi: *Justitiae publicae honestatis Impedimentum, ubi Sponsalia quacunque ratione invalida erunt, sancta Synodus prorsus tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.* Quae verba, cum sint clara, nec explicationem, nec probationem aliam requirunt. 13

Resp. IV. Allegatum *numer. praeced.* Decretum Concilii Tridentini solummodo locum habet in Sponsalibus de futuro, non item de praesenti; adeoque sicut antiquo Jure ex Matrimonio rato nondum consummato, quacunque ratione invalido (dummodo non fuerit invalidum ex defectu consensus) oriebatur Impedimentum *publicae honestatis* inter Sponsam et consanguineos Sponsi usque ad *quartum gradum* inclusive per dicta *numer.* 10. Ita etiamnum res se habet Concilio Tridentino circa Impedimentum ex Sponsalibus de praesenti, seu ex Matrimonio rato proveniens, nihil immutante Fagnanus *in c. Ad audientiam. de Sponsal. numer.* 20. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 70. *numer.* 5. dicens, 14

id certissimum esse. Pontius *lib.* 7. *cap.* 35. *numer.* 5. *ad finem.* Palao *de Sponsal. Disp.* 4. *pun.* 10. *numer.* 3. cum communi aliorum. Fundamentum est, qui ita expresse declaravit Pius V. in Decreto 1568. emanato, quod incipit *Ad Romanam*, et habetur in Bullario Cherubini Tom. 2. *Constit* 62. *dicti Pontificis*: ibi: *Motu proprio Auctoritate Apostolica tenore praesentium declaramus, et definimus Decretum Concilii hujusmodi omnino intelligendum esse, et procedere de Sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in Matrimonio sic, ut prae fertur, contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis gradibus et casibus, in quibus de Jure veteri ante praedictum Decretum Concilii introductum erat. Et ita ab omnibus judicari debere, mandamus, atque statuimus.*

Rationes etiam sui Decreti ibidem allegat Papa. Prima est, *quod Sponsalium appellatione, qua dictum Concilium utitur, non nisi improprie Matrimonium verbis de praesenti conceptis contractum continetur.* Secunda est, *quod hic agitur de correctione Juris veteris, quo casu secundum proprietatem verborum duntaxat procedendum est.* Tertia et praesertim, quod *longe majorem rationem prohibitionis in Matrimonio per verba de praesenti contractu, quam in Sponsalibus de futuro vigere, a nemine dubitetur.* Hinc ob clarissimam, simul et rationabilissimam Legem Pii V. rationes Adversariorum olim apparentes nec adducere, nec solvere amplius necesse videtur.

15 Resp. V. Ex Sponsalibus de futuro semel valide oritur, et manet Impedimentum *publicae honestatis*, etsi dein ex aliqua causa, vel etiam mutuo consensu iterum dissolvantur. Quod maneat Impedimentum, si non mutuo consensu, sed ob aliam causam, v. g. mortem, fornicationem, aut notabilem mutationem unius ex Sponsis solvantur, fatentur satis communiter, *arg. cit. can. Si quis desponsaverit.* 12. *can. Si quis uxorem.* 14. *can.* 27. *q.* 2. *c. Sponsam.* 8. *de Sponsal.*

16 Quod autem adhuc maneat, si mutuo consensu Sponsorum solvantur, gravis erat olim controversia inter Doctores. Barbosa siquidem *de Offic. et potest. Episc. Allegat.* 51. *num.* 188. Palao *de Sponsal. Disp.* 4. *punc.* 10. *num.* 9. Pontius *lib.* 7. *cap.* 36. Gutierrez *de Matrim. cap.* 103. *n.* 11. Hurtado *Disp.* 21. *Difficult.* 1. *n.* 5. Engel *de Sponsal.* §. 6. *n.* 3. id negant. Tum quia juxta Concilium Tridentinum invalida Sponsalia non inducunt Impedimentum, sed quae mutuo consensu solvuntur, sunt invalida, juxta omnes: ergo Tum quia declaravit S. Congregatio juxta ipsos.

Econtra Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 68. *n.* 21. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. Fagnanus *in c. Ad audientiam, de Sponsal. nu.* 29. Perez *de Matrim. Disp.* 8. *sect.* 2. *n.* 4. et alii affirmant, quibuscum etiam sentimus. Ratio est: quia ex Sponsalibus validis oritur memoratum Impedimentum juxta Concilium Tridentinum *numer.* 12. allegatum; Sponsalia autem, quae postea consensu mutuo solvuntur, ab initio fuere valida: ergo ex eis oriebatur Impedimentum, et semper durat; cum nec ex Jure nec ratione ostendi queat, quare cesset; praesertim quia Sponsalibus etiam mutuo consensu solutis, ratio motiva constituendi memoratum Impedimentum honestas nempe naturalis supra nu. 10. allegata adhuc perseverat.

Accedit, et nostram doctrinam certam reddit 17
recentissima, eaque authentica Declaratio Cardinalium 1658. edita, et ab Alexandro VII. approbata, quam refert Fagnanus *loc. cit.* et Gobath *Tract. IX. casu XV. numer.* 358. de qua Declaratione ita refert Fagnanus. *Alphonsus Reiza, et Isabella Rodriquez Pacen. Dioecesis Sponsalia per verba de futuro inter se contraxerunt, sed cum antequam se vidissent, aut simul loquerentur, Isabella gravi morbo correpta fuisset, se invicem a promissione, et juramento absolverunt: nunc autem Alphonsus volens contrahere cum Maria sorore germana dictae Isabellae dubitat, an ex Sponsalibus cum Isabella contractis, et mutuo consensu dissolutis ortum sit publicae honestatis Impedimentum? S. Congregatio censuit, Sponsalia haec, cum a principio valida fuerint, induxisse Impedimentum publicae honestatis, licet mutuo consensu dissoluta; quia Concilium hoc solum desiderat, quod a principio valida sint: et quia a principio valida, deinde dirempta per mortem, id impedimentum inducunt, ita et dissoluta consensu. Et novissime, jubente Sanctissimo Domino Nostro propositum fuit in S. Congregatio Concilii, an Sponsalibus valide ab initio contractis, dein mutuo consensu dissolutis, sit sublatum impedimentum justitiae publicae honestatis. Et pluries proposito dubio, ac mature examinato, tandem sub die sexta Julii 1658. Eminentissimi Patres in antiqua ejusdem Congregationis sententia consistentes censuerunt non esse dubium. Cujus sententiae una cum rationibus hinc inde deductis, et recentioribus ejusdem Congregationis in hac materia responsis, facta relatione ad Sanctissimum, Sanctitas Sua die 10. ejusdem mensis praedictam Congregationis resolutionem probavit, eandemque jussit in dubium deinceps non revocari.*

Ex quo patet, quod Declaratio ab Adversariis, allegata vel legitima non fuerit, vel si fuit, per subsequentem et a Pontifice approbatam Infirmata, consequenter doctrina nostra stabilita habeatur.

Nec obstat, quam ex Concilio Tridentino desu- 18
mere nituntur, ratio; quia Concilium, dum dixit ex Sponsalibus invalidis non oriri Impedimentum *publicae honestatis*, loquebatur de illis, quae statim ab initio fuere invalida, non autem de illis, quae ab initio valida, postea ex aliqua causa, aut mutuo consensu fuere dissoluta: alias certe etiam cessaret impedimentum, si Sponsalia morte unius Sponsi solvantur, quod est contra omnes etiam Adversarios.

Resp. VI. Ex Sponsalibus de futuro gravi metu 19
injuste incusso initis nullum sequitur Impedimentum *publicae honestatis.* Conclusio patet ex dictis *Lib. I. Tit. XL. de His, quae vi, metusque causa.* §. 3. *a. n.* 44. ubi probavimus, talia Sponsalia esse ipso Jure nulla, consequenter nullum inducere Impedimentum, cum hoc non nisi ex validis sequatur Sponsalibus, per dicta *num.* 12.

TITULUS V.

De Conditionibus appositis in Desponsatione, vel in aliis Contractibus.

1 *Ratio Ordinis.*

1 Actum est hucusque de Sponsalibus, et Matrimonio pure, seu absoluta contractis. Verum quia ea, sicut et alii Contractus nonnunquam etiam sub conditione fiunt, ideo praesens Titulus subjungitur. Et quoniam *Conditioni* valde affinis est modus, causa, ac demonstratio, etiam de his ad finem agetur.

§. I.

De Natura, et Divisione Conditionis: ubi etiam de Sponsalibus et Matrimonio sub Conditione possibili: honesta: et in specie: *Si Papa dispensaverit*: vel *Si virginem te invenero.*

SUMMARIUM.

2 *Varia acceptio Conditionis.*
3 *Conditio proprie quid?*
4 *Alia tacita, alia expressa.*
5 *Alia de praesenti, alia de praeterito, alia de futuro, quae ultima sola est Conditio propria.*
6 *Alia necessaria: alia contingens: alia potestativa: alia casualis: alia mixta.*
7 *Alia possibilis: alia impossibilis.*
8 *Alia honesta: alia turpis.*
9 *Tandem alia suspensiva: alia resolutiva.*
10 *Conditio necessaria habetur pro non adjecta.*
11 *Nisi adjiciatur pro temporis determinatione.*
12 *Actus per conditionem de praeterito aut praesenti non vitiatur, sed hac existente valeat, non existente nullus est.*
13 *Etiam Matrimonium.*
14 *Nec validatur per copulam subsequentem.*
15 *Possibilis et honesta conditio de futuro suspendit quemvis contractum.*
16 *Qui tamen impleta conditione statim valet sine novo consensu.*
17 *Etiam Matrimonium.*
18 *Probatur ratione.*
19 *Et declaratione Cardinalium.*
20 *Matrimonium sub conditione de praesenti initum non potest consummari, donec resciatur extare conditionem.*
21 *Licitum est sub honesta conditione de praesenti, futuro, vel praeterito contrahere Sponsalia.*
22 *Et Matrimonium, quamvis hoc non expediat.*
23 *Matrimonium et Sponsalia inter inhabiles sub conditione:* Si Papa dispensaverit, *contracta secundum aliquos etiam post completam conditionem sunt nulla.*
24 *Quae de Jure fieri non possunt, impossibilia reputantur, etsi Papa dispensare valeat.*
25 *Tam Sponsalia, quam Matrimonium sub conditione:* Si Papa dispensaverit, *licita sunt.*
26 *Et valida: probatur Et num. seq.*
28 *Clarior probatio: Conditio:* si Papa dispensaverit, *non est impossibilis, sed etiam de Jure possibilis; usque ad num. 32.*
32 *In casu, quo Papa licite dispensare non potest, censetur impossibilis, ac inhonesta conditio,* Si Papa dispensaverit.
33 *Resp. Ad decisiones Rotae.*
34 *Neuter eorum, qui sub conditione,* Si Papa dispensaverit, *contrahunt, tenetur procurare dispensationem.*
35 *Tenetur tamen unus exspectare, si alter procurare velit.*
36 *Dispensationem procurans tenetur ad expensas solus.*
37 *Nisi aliter conventum fuerit.*
38 *Conditio,* si te virginem invenero, *est quandoque honesta,*
39 *Quandoque inhonesta.*

2 Notandum prius, terminum *Conditio* habere varias significationes. Aliquando enim sumitur pro statu personae, §. *fin. Instit. de Jure person.* ibi: *Si servorum conditione nulla est differentia.* Subinde sumitur pro optione, seu electione, *l. Papinianus.* 8. §. *Si quis* 12. *de Inoff. Testament.* Interdum sub modo, *c. Verum.* 4. *h. t.* Ordinarie vero, et prout in praesenti agitur, sumitur pro aliqua circumstantia alicui dispositioni adjecta, *a* cujus existentia dependere volumus actum, seu dispositionem. Hinc

3 Quaeritur I. Quid ad praesens, et quotuplex sit *Conditio*? Resp. I. *Conditio* ad praesens est adjectio dispositioni, id est, actui, vel contractui apposita, vel subintellecta suspendens, aut resolvens ipsam dispositionem, quae sub ea fit. Abbas, et Baldus *in Rubr. h. t.* cum communi, *arg.* §. *sub conditione Inst. de V. O.* Quae conditio ordinarie exprimitur per particulam, *Si*, v. g. *Si Pater consentiat; Si Titius Consul fiat etc.* Caeterum *Conditionis* descriptio data patebit ex sequenti Conclusione.

4 Resp. II. *Conditio* varie dividitur. Et quidem *primo* in Expressam et Tacitam. *Expressa* est, quae verbis expressis apponitur. *Tacita* vero, quae actui inest, etsi non exprimatur: hinc in definitione additum est, *vel subintellecta. Tacitae* aliae sunt generales, quae nempe cuivis contractui tacite insunt, v. g. *Si Deus voluerit; si potero etc.* Aliae speciales, quae alicui contractui in specie insunt, ut in Sponsalibus, *si nullum intervenit impedimentum: si reo in eodem statu permanserit.*

5 *Secundo.* Alia *Conditio* est de praesenti, alia de praeterito, alia de futuro. *Conditio de praesenti* est, quae circumstantiam pro praesenti tempore, quo fit contractus, denotat, v. g. *Promitto tibi Matrimonium, si virgo es:* vel *si non corrupta. Conditio de praeterito* est, quae circumstantiam jam praeteritam respicit, v. g. *Contraham tecum, si navis ex India jam advenit.* Et *Conditio de futuro* est, quae circumstantiam primum eventuram denotat, et donec eveniet, dispositionem, et obligationem suspendit, eaque non eveniente dissolvit, *arg. cit.* §. *Sub conditione.* 4. *Instit. de V. O.* Et haec de futuro est proprie Conditio: non item de praesenti, vel praeterito, *l. Institutio* 10. *ff. de Condit. instit.* ibi: *Cum nulla sit*

conditio, quae in praeteritum conferatur, vel quae in praesens; veluti, si Rex Gothorum vivit: Si navis in portu stat. Ratio est; quia de natura veram conditionis est, suspendere valorem actus, et obligationis ejus, atque facere, ut actus possit subsistere vel deficere, juxta existentiam nempe vel defectum *Conditionis*: hoc autem non facit *Conditio de praesenti, aut praeterito, l. Cum ad praesens. ff. de Reb. Credit.* et §. *Conditiones* 6. *Instit. de V. O.* ibi: *Conditiones, quae ad praesens, vel praeteritum tempus referuntur, veluti, Si Titius Consul fuit: Si Maevius vivit, dare spondes? Nam si ea ita non sunt, nihil valet stipulatio, sin autem ita se habent, statim valet.*

6 *Tertio.* Conditio de futuro cursus dividitur in necessariam, et contingentem. *Necessaria* est, quae necessario eveniet, v. g. *Si cras sol orietur, hoc faciam.* Econtra *contingens* est, quae potest evenire, vel non. Et haec subdividitur in potestativam, casualem, et mixtam. *Potestativa* est, quae est in potestate, illius, cui apponitur, ita, ut, si velit eam adimplere, omnino possit, *arg. l. 2. ff. de Condit. et demonst.* *Casualis* est, quae non dependet a voluntate illius, cui apponitur, sed alicujus tertii, vel Dei, v. g. *Ducam te, si hic annus frugifer erit:* vel, *Si Princeps mihi illud officium conferat. Mixta* est, quae de utraque participat, ita ut partim a voluntate illius, cui apponitur, partim ab alio dependeat, *arg. l. Si pater. C. de Instit. et substit.*

7 *Quarto.* Rursus Conditio alia est possibilis, alia impossibilis. Illa est, quae evenire potest. Haec est, quae vel naturaliter fieri nequit, vel a Lege prohibita est: quia etiam illa, quae de Jure nequeunt fieri, impossibilia vocantur, per dicta *Lib. I. Tit. 40. n. 46.*

8 *Quinto.* Insuper Conditio alia est honesta, alia inhonesta, seu turpis. *Honesta* est, quae nulla Lege prohibita invenitur. *Inhonesta seu turpis,* quae contra Legem Divinam, aut naturalem, vel humanam est.

9 Tandem alia est suspensiva, alia resolutiva. *Suspensiva* est, quae suspendit actum, donec conditio eveniat, estque futura contingens, de qua supra *n. 5. Resolutiva* est, quae non obstat, quin actus statim valeat, facit tamen, ut resolvatur et pereat, non quidem si conditio deficiat, sed eveniat, *arg. L. 3. ff. de contrah. Empt.* quae tamen propria Conditio non est, hoc ipso quod actum non suspendat.

10 Quaeritur II. Quid efficiant Conditiones necessariae? Item Conditiones impossibiles de praeterito, vel praesenti? Resp. I. *Conditio necessaria* quaecunque etiam de futuro concepta, Sponsalibus, Matrimonio, vel alii contractui adjecta non vitiat actum, nec suspendit, sed facit, quod actus, seu contractus illico valeat, ac si nulla conditio apposita fuisset, D. Bonaventura *in 4. dist.* 28. *q. 3. n.* 1. Abbas *in c. in fine.* Sanchez *lib. 5. Disp.* 2. *n.* 2. Navarrus *in Manual. cap.* 22. *n.* 67. Fagnanus *in c. Si conditiones h. t. n.* 16. cum communi aliorum tam Theologorum, quam Canonistarum, *arg. l. Si pupillus.* 9. §. 1. *ff. de Novation.* ibi: *Qui sub conditione stipulatur, quae omnino extitura est, pure videtur stipulari.* Ratio est; quia, cum *Conditio necessaria* jam sit determinata in sua causa, et non possit non evenire, jam habetur pro existente, *arg. l. Haeres meus,* 79. *ff. de Condit. et demonst.*

11 Limitatur Conclusio in casu, quo ex circumstantiis colligitur, *Conditionem necessariam* esse appositam, non tanquam conditionem, sed tanquam praefinitionem ac determinationem temporis, quo quis juxta promissum nubere velit: v. g. *Contraham tecum, si Pater meus morietur,* quamvis enim haec conditio sit necessaria, *cit. l. Haeres meus. ff. de Condit. et demonst.* tamen bene fieri potest, quod non per modum conditionis, sed temporis appositus, ut sensus sit, quamprimum *pater meus mortuus fuerit, contraham tecum.* Et hinc usque ad mortem patris suspenditur obligatio contrahendi, Sanchez *loc. cit.* cum aliis.

Resp. II. *Conditio de praeterito,* vel *praesenti,* v. g. *Si virgo, aut nobilis es: Si navis ex India jam advenit, contraham tecum,* pariter non suspendit, nec vitiat Sponsalia, Matrimonium, vel alium contractum, sed facit, quod actus illico valeat, si conditio revera tunc verificatur; vel sit irritus ac nullus, si non verificatur. Sanchez *lib. 5. Disp.* 6. *n.* 1. eoque teste Omnes. Textu Claro §. *Conditiones.* 6. *Instit. de V. O.* quem textum vide supra *num.* 5. Ratio est; quia contractus dependet a voluntate et conventione contrahentium, *c. Contractus.* 85. *de Reg. Jur. in* 6. ibi: *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur:* consequenter si sub praefata conditione contrahunt, contractus subsistente conditione valebit, non subsistente autem nullus erit; etiamsi contrahentes ignorent conditionem jam existere, vel extitisse, Layman *lib* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *cap.* 7. *num.* 1. Pirhing *h. t. n.* 3. *arg. l. Cum ad praesens. ff. de Reb. credit.* et *l. Cum in secundo. ff. de Injusto rupto.* 12

Infertur cum Fagnano *in cit. c. Si conditiones h. t. n. 14. et seqq.* Non tantum Sponsalia, sed ipsum etiam Matrimonium esse nullum, quod contrahitur sub *conditione de praeterito aut praesenti,* si conditio non subsit, v. g. *Contraho tecum si es legitima,* vel si es virgo, vel *si non es Leprosa etc.* quamvis enim error qualitatis non vitiet Matrimonium per dicta supra, tamen vitiat, et annullat illud, si adjiciatur per modum Conditionis, et haec deficiat. 13

Nec validatur tale Matrimonium per copulam subsequentem. Fagnanus *loc. cit. n.* 22. Abbas in *c. Per tuas* 6. *h. t. n.* 4. et ibi Ancharanus; licet enim per copulam carnalem subsecutam validetur Matrimonium sub *Conditione de futuro* initum *c.* 5. *et* 6. *h. t.* secus tamen est, ubi apponitur *Conditio de praeterito,* aut *praesenti,* utpote quae actum non suspendit, juxta dicta, sed statim validum aut invalidum reddit, per dicta *num.* 12. consequenter ab illa per copulam quis recedere praesumi non potest, uti a *Conditione de futuro.* 14

Quaeritur III. Quid operentur *Conditiones de futuro contingente possibiles honestae,* v. g. *Si Pater tuus consentiat, si hoc officium obtinebis etc.* Sponsalibus, aut Matrimonio, vel aliis contractibus appositae? Resp. I. Hae conditiones quemvis contractum suspendunt, ita ut non valeat, nec obliget, donec conditio adimpleatur, aut eveniat. Communis ac certa Ratio est; quia natura hujus *Conditionis* est, actum, cui apponitur, suspendere, *arg. §. Sub conditione. Instit. de V. O.* Et de Sponsalibus in specie expresse habetur *c. De illis.* 3. *h. t.* de Matrimonio autem *c. Super. eo.* 5. *eod.* 15

Resp. II. Sponsalia sub *Conditione honesta de futuro* contracta evadunt absoluta, et obligant sine novo consensu, quamprimum conditio evenit, ac impletur. Communis ac certa, argumento a sensu contrario, *c. un. de Sponsalib. in* 6. Ratio est: quia universaliter omnes contractus sub *Conditione de futuro* celebrati, sine novo consensu perficiuntur, quamprimum conditio purificatur, *arg. l. Haec conditio.* 7. *de Contrah. Empt.* et *l. Potior.* 11. §. 1. *ff. Qui potior in pig.* ibi: *Cum enim semel conditio existit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.* 16

Resp. III. Etiam Matrimonium in praesentia Parochi et testium per verba de praesenti sub *Conditione de futuro,* v. g. *Contraho tecum, si Pater meus consentiet,* sine novo consensu evadit absolutum, et valet conditione eveniente. Sanchez *lib. 5. Disp.* 8. 17

n. 5. Abbas *in c. De illis* 3. *h. t. ad finem* Aucharanus *in c.* 1. *h. t. n.* 1. et ibi Joan. Andreas *n.* 1. Innocentius post principium, Pirhing *h. t. n.* 23. Fagnanus *in c. Super eo. h. t. a n.* 2. cum communi Canonisterum contra Gutierrez *Canon. qq. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 21. et alios, *arg. c. Super eo.* 5. *h. t.* ubi proposita quaestione, an, qui per verba de praesenti sub *Conditione de futuro* contraxit, teneatur consummare Matrimonium, respondit Papa, quod ante eventum non teneatur consummare; ergo e sensu contrario post eventum tenetur, consequenter validum evadit Matrimonium.

Nec obstat, quod *in cit. c. Super eo*, solum dicatur, eum ante eventum conditionis non teneri ad *contrahendum*; respondetur enim, ibi ly *contrahere* idem significare ac consummare; ut interrogatio et responsio conveniant, *arg. L.* 1. *C. de Divers. Rescript.* et *c. Qualiter.* 24. *de Accusat.* ibi: *ut juxta formam judicii sententiae quoque forma dictetur.*

18 Ratio autem Conclusionis est: Tum quia consensus per verba de praesenti, sub *Conditione de futuro* datus, virtualiter perseveret usque ad eventum conditionis, nisi revocetur, *arg. c. fin de Procurat. in* 6. ergo si dein conditio adimpletur, consensus absolutus evadit, consequenter ad Matrimonium perficiendum sufficiens adest, *arg. cit. l. Potior.* 11. §. 1. *ff. Qui potior pignor.* Tum quia omnes alii contractus sub *conditione de futuro* initi, eveniente et non revocata conditione, sine novo consensu evadunt absoluti ac perfecti per dicta *num.* 16. et communem ac certam aliorum: ergo etiam contractus Matrimonii, praesertim cum non appareat ratio, cur hic solus contractus a generali Juris Regula, ac dispositione degeneret.

19 Confirmatur ex repetitis Declarationibus Cardinalium per Romanos Pontifices approbatis, de quibus vide apud Fagnanum *in cit. c. Super eo h. t. a. n.* 4. vi quarum habetur, quod Matrimonium per verba de praesenti sub *honesta conditione de futuro* contractum, etiam post Concilium Tridentinum valeat, nec opus amplius sit, ut in praesentia Parochi et testium fiat, ad evitandas lites et difficultates, quae ex diversitate opinionum inter Doctores facile oriri possent.

20 Illud etiam notandum, quod sicut de Matrimoniis sub *Conditione de praesenti aut futuro* initis diximus, ea absoluta et perfecta fieri, quamprimum adimpletur conditio, etsi adimpletionem adhuc ignorent contrahentes, ita de Matrimoniis per verba de praesenti sub *Conditione de futuro* celebratis per Jura *num* 12. citata: licet antequam conditionem resciant Matrimonium licite consummare nondum possint, hoc ipso, quod ignorent, Matrimonium inter ipsos existit.

21 Quaeritur IV. An etiam liceat Sponsalia et Matrimonia sub *Conditione* contrahere? Resp. I. Sponsalia sub *honesta conditione* sive de *praesenti*, sive *praeterito*, sive *de futuro* contrahere omnino licet. Omnes, *arg. Toto Titul. praesenti.* Ratio etiam est: quia nullibi reperitur prohibitum; juxta vulgatum autem et communiter acceptum Axioma, *Gloss in c. Inter corporalia.* §. *Non invenitur. de Translat Episc.* ibi: *Concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur, arg c. Jam nunc. cau.* 28. *q.* 1. *et c.* 1. *de Procurat in* 6. Confirmatur quotidiana, et approbata praxi.

22 Resp. II. Quamvis etiam nullibi prohibitum sit, consequenter concessum censeatur Matrimonium sub *honesta conditione de praesenti, praeterito, vel futuro* contrahere per dicta *num. praecerd.* et toto praesenti *h. t.* praesertim *c. Super eo.* 5. Tamen ob plura incommoda consultum non videtur, ut Matrimonium sub *Conditione de futuro* contrahatur, nisi specialis urgeat ratio, aut necessitas, ut cum aliis bene monet Gobath. *Tr.* 9. *n.* 138. suadens Parochis, ne tali Matrimonio assistant. Illud etiam omnino advertant Parochi, necesse est, ut si ob causam gravem Matrimonium sub Conditione contrahatur, illud consummare non permittant, donec certo constet conditionem esse adimpletam, ne contingat, uti in casu, quem refert Fagnanus *in c. si conditiones. h. t.* quo aliquis cum quadam contraxit sub conditione, *si es legitima*, et post multiplicem usum et copulam conjugalem (ut putabat) rescivit, eam non esse legitimam. Ex hoc enim dictum Matrimonium fuit nullum declaratum, non obstante copula carnali; quia, licet per hanc Matrimonium *sub conditione de futuro* statim evadat validum, tamen secus est de Matrimonio sub *conditione de praesenti, aut praeterito.*

Quaeritur V. De Sponsalibus et Matrimoniis inter habentes impedimentum, initis sub hac conditione, *Si Papa vel Episcopus* (in casu, quo hic potest) *dispensaverit.* Ante responsionem notandum, gravissimam esse controversiam inter DD. de hac quaestione, nam Abbas *in c. Super eo.* 5. *h. t. n.* 8. et ibi Aucharanus *n* 7. Joan. Andreas *n.* 2. Sylvester §. *Matrimonium.* 3. *q* 9. Cardinalis de Luca *in Annotat. ad Concil. Trident. Discurs.* 27. Diana *p.* 11. *tr.* 2. *Resolut.* 70. ubi pluries pro se citat Rotae decisiones, imo perpetuam Rotae praxin, et plures alii a Sanchez relati *lib.* 5. *Disp.* 5. *n.* 3. volunt, tam Sponsalia, quam Matrimonium sub dicta conditione contractum, nulla atque irrita esse, ac proinde licere utrique etiam post obtentam dispensationem Pontificiam resilire, nisi de novo contrahant. Ratio et fundamentum ipsorum praecipuum, imo unicum est; quia haec conditio impossibilis est, consequenter habetur pro non adjecta, juxta dicenda infra §. *seq.* Hinc sicut Sponsalia aut Matrimonium ab habentibus Impedimentum *dirimens* essent nulla, si absque tali conditione fuissent contracta, sic erunt quoque nulla, si apponitur illa conditio, utpote, quae tanquam impossibilis, habetur pro non adjecta, juxta dicenda infra §. *seq.* 23

Quod autem Conditio, *Si Papa dispensaverit*, reputetur inter impossibiles, probare conantur: 24 quia, quae de Jure fieri nequeunt, censentur impossibilia, etiamsi ex dispensatione Papae aut Principis fieri queant, prout jam diximus *Lib. I. Tit. XL. Ite his, quae vi metusque causa* § 3 *n* 46. patetque praeter Jura ibidem allegata, ex *l. Inter stipulatorem.* 83. §. 5. *et l. Continuus.* 137. §. 6. *ff. de V. O* ibi: *Ubi omnino conditio jure impleri non potest, vel id facere ei non liceat, nullius momenti fore stipulationem, proinde ac si ea conditio, quae natura impossibilis est, inserta esset. Nec ad rem pertinet, quod Jus mutari potest, et id, quod nunc impossibile est, postea possibile fieri; non enim secundum futuri temporis Jus, sed secundum praesentis aestimari debet stipulatio,* cum Concordantiis Quibus non obstantibus,

Resp I. Tam Sponsalia de futuro, quam Matrimonium per verba de praesenti contractum sub conditione, *si Papa dispensaverit.* licite fiunt, et obtenta dispensatione valent in casu, quo Papa, aut Episcopus licite potest dispensare, Sanchez *lib.* 5. *Disp.* 5. *n.* 12 *et* 13 Pirhing *h. t. n.* 27. Engel *h. t. num.* 16. Bosco *p.* 5. *Disp.* 11. *sect.* 8. *Concl.* 6. rem egregie probans, Coninck *Disp.* 29. *dub.* 1. *Concl.* 3. *num.* 18. Pontius *lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 2. Pelao *de Sponsal. Disp.* 1. *pun.* 16. *num.* 7. cum communi aliorum *Primo pars*, quod licite fiant, patet; quia conditio, *si Papa dispensaverit*, honesta est, sub *conditione honesta* autem licitum est Sponsalia et Matrimonium contrahere, licet consultius 25

ao tutius sit abstinere a Matrimoniis sub conditione contrahendis per dicta *n.* 22. ergo.

26 *Altera pars*, de qua est controversia, videlicet, quod obtenta dispensatione valeant Probatur Tam Sponsalia, quam Matrimonium sub *honesto et possibili conditione de futura*, purificata conditione, valent juxta dicta num. 15. *et seqq* atqui conditio, *si Papa aut Episcopus dispensaverit*, est honesta ac possibilis, seu non *impossibilis*: ergo. *Minorem*, circa quam solam versatur difficultas, probant DD. citati a potiori taliter: quod, licet conditio, *si Papa aut Princeps dispensaverit*, impossibilis, et consequenter actus sub ea factus, invalidus sit in casu, quo Papa non solet dispensare per Jura num. 24. citata: tamen aliter se habeat res in casu, quo Papa solet dispensare. *arg. l. Cum servus.* 49. § *fin. ff. de Legat. I.* ibi: *Quoniam commercium earum nisi jussu Principis non sit. cum distrahi non soleant*: ubi verba notant: *cum distrahi non soleant.*

27 Confirmant variis exemplis ex Jure, quibus constat, actus alias a Jure prohibitos, factos tamen sub hac conditione, *si Princeps dispensaverit*, valere: sic enim juxta communissimam, et verissimam apud Sanchez *loc. cit.* n. 14. valet institutio Spurii sub conditione. *si Princeps dispensaverit*: sic etiam licet *rei Feudalis* venditio a Jure prohibita sit Feudatario; tamen si fit cum conditione, *si Dominus directus consenserit*, et hic postea consentiat, valet. Item votum Episcopi ingrediendi Religionem sub conditione, *si Papa dispensaverit*, obtenta dispensatione valet. Rursus possunt duo exorta de Beneficio lite pacisci inter se de danda pensione sub conditione, *si Papa dispensaverit etc.*

28 Verum quamvis praefata probatio bona videatur, melior tamen et clarior videtur sequens brevissima: Papa ex causa justa licite et valide de Jure potest in quibusvis impedimentis solo Jure Ecclesiastico *dirimentibus* dispensare, prout omnes fatentur, etiam Adversarii per dicta *Lib. I. Tit. II* §. 18. *a num.* 458 ergo Conditio, *si Papa dispensaverit* nec inhonesta, nec impossibilis, sed omnino honesta, et etiam de Jure possibilis est, hoc ipso, quod, ut supponitur, de Jure licite et valide adimpleri valeat.

29 Hinc quamvis verissimum sit, quod Adversarii *num.* 23. citati dicunt, et per Jura ibidem allegata probant, ea, quae de Jure prohibita sunt, pro impossibilibus reputari, etsi Papa aut Princeps in eis possit dispensare, adeoque illa simpliciter, et absque dispensatione, vel absque dispensationis conditione, quae contractum ad licitum tempus referat, facere semper illicitum sit, et consequenter pro impossibili habeatur, tamen per hoc neutiquam probant, quod ipsa conditio, *si Papa dispensaverit*, illicita, aut de Jure prohibita, consequenter impossibilis sit. Et declaratur exemplo: quia de Jure prohibitum est, die Veneris comedere carnes, id de jure etiam pro impossibili habetur, etiamsi Papa in hoc dispensare valeat: Hinc illicitum erit sine dispensatione comedere carnes: item illicitus, simul et invalidus erit actus aut contractus Sponsaliorum v. g. Matrimonii sub hac conditione: *contraham tecum, si die Veneris mecum comedis carnes*, initus, quia haec conditio impossibilis et inhonesta est; utpote quae absque dispensatione licite fieri non potest. Tamen illicita vel impossibilis non erit conditio, nec actus ab ea initus, *comedam die Veneris carnes, si Papa dispensaverit.*

30 Pariter quamvis de Jure prohibitum, et consequenter impossibile sit, contrahere cum consanguineo in *tertio gradu*, etsi Papa in hoc dispensare valeat, cum omnis actus aut contractus sub hac conditione utpote impossibili factus, nullus sit, v. g. *Dono tibi mille, si cum consanguinea tua contrahas Matrimonium*, etsi Papa in hoc dispensare valeat: tamen nec Jure prohibitum nec impossibile erit contrahere cum consanguinea sub conditione *si Papa dispensaverit*; quia haec conditio honesta et possibilis est, hoc ipso, quod licite et valide adimpleri queat.

Et per hoc patet ad fundamentum Adversariorum, utpote qui decepti videntur in illo, quo confundunt conditionem de Jure prohibitam consequenter impossibilem, etsi Papa in ea dispensare valeat, cum ipsa actuali conditione, *si Papa aut Princeps dispensaverit*. Unde nec quidquam pro eis probant Jura ab eisdem allegata; utpote quae praecise probant, quod conditio, quae de Jure prohibita est, impossibilis sit, et consequenter actus sub ea conditione facti irriti existant, tamen minime probant, nullusque textus allegari potest, quod conditio, *si Princeps, aut Papa dispensaverit*, impossibilis sit, vel actus alias a Jure prohibitus sub ea tamen conditione, nempe *si Papa, aut Princeps dispensaverit*, invalidus aut illicitus existat. Quin imo extant exempla et casus, quod actus et contractus alias prohibiti a Jure, sub conditione, *si Papa aut Princeps dispensaverit*, liciti sint, et purificata conditione valeant, uti patet ex dictis *n.* 27. 31

Limitatur solummodo Conclusio et doctrina hactenus allata in casu, in quo saltem licite dispensare non potest Papa, uti v. g. foret, si penitus nulla subesset dispensandi causa: quia, cum etiam Pontifex sine justa causa in Jure communi dispensare licite non valeat per dicta *cit. Lib. I. Tit. II* §. 18. utique conditio, *si Papa dispensaverit*, de Jure prohibita, consequenter impossibilis foret in casu, quo licite dispensare nequit. Dicitur autem in hac Limitatione *solummodo*, quia non placet limitatio, quam faciunt nonnulli in casu, quo *non solet* dispensare, vel in quo non nisi difficillime dispensat Papa: quia sive soleat sive non, dummodo licite ac valide in aliquo casu dispensare possit, jam erit conditio honesta, et possibilis, *si Papa dispensaverit*, hoc ipso, quod licite et valide impleri valeat. 32

Ad Decisiones a Diana et aliis allatas respondetur, extare plures etiam Decisiones contrarias pro nostra Conclusione facientes, quarum plures allegat Castro Pala. *de Sponsal Disp.* 1. *pun.* 16 n. 10. ac novissime Gobatu *tr.* 10. *de Sponsal. n.* 165 ubi refert, se compertum habere, in tribus instantiis pronunciatum esse pro Matrimonio, sub conditione. *Si Papa dispensaverit*, etiam in casu, quo probari non poterat, post obtentam dispensationem fuisse adhibitum novum consensum: consequenter cum Rota nonnunquam ipsa roteiur, et legem non faciat, a Conclusione nostra discedendum non est. 33

Resp. II Quamvis neuter Sponsorum, qui sub conditione, *si Papa dispensaverit*, contraxerunt Sponsalia, aut Matrimonium, teneatur procurare dispensationem, tenetur tamen quivis eorum in sensu diviso vel procurare dispensationem, vel proportionato tempore exspectare, donec pars altera, si velit, procuraverit, nisi aliud in contractu conventum fuerit *Prima pars*, quod neuter teneatur, docetur a Palao *de Sponsal. Disp.* 1 *pun.* 16. *no.* 12. Navarro *lib.* 4. *Consil. de Sponsal. Consil.* 4. in *prima edit.* Coninck *Disp.* 29. *dub.* 2. *n.* 35. et alii contra Sanchez *lib.* 5. *Disp.* 5. *n.* 36. et alios. Ratio est: quia, uti supponitur, nullus se obligavit ad procurandam dispensationem, sed tantum ad contrahendum, *si Papa dispensaverit*: ergo ad plus obligari non potest; nam *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*, c. 85. *de Reg. Jur. in* 6. 34

Secundam partem, videlicet, quod saltem exspectare teneatur, donec pars altera dispensationem 35

procuret, si velit, docet Gobath *Tr.* 10. *casu.* §. *n.* 164. pateique inde; quia hoc ipse, quod sub *conditione de futuro* contractum inierit, expectare proportionato tempore debet, an conditio illa eveniat, necne; alias penitus inanis esset omnis contractus sub conditione initus, quod est contra Jus tam Canonicum *h. t.* quam Civile *de Demonstr. et condit. ff. et C. cum Concord.*

36 Caeterum quamvis velit Sanchez *loc. cit. n.* 37. utrumque Sponsum teneri ad expensas pro rata: quia, ut ait, est negotium commune; tamen probabilius videtur, illum solum ad omnes expensas teneri, qui nuptias anhelans, dispensationem procurat: Merito enim pars altera dicere potest: *Causam tuam, et non mea magis: ego enim praecise promisi contrahere tecum, si Papa dispensaverit, dispensationem autem procurare non promisi, nec eam desidero; si tu eam desideras, tuis expensis eam procura.*

37 Dicitur autem notanter in Conclusione, *nisi aliter in contractu conventum fuerit*: Nam quia *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*, c. 85. *de Reg. Jur. in* 6. juxta Conventionem specialem specialis erit obligatio.

38 Quaeritur VI. Quid Juris de Sponsalibus, vel Matrimonio contractis sub hac conditione, *si te virginem invenero?* Resp. I. Si haec conditio ponitur de licita exploratione virginitatis, v. g. per inspectionem honestarum Matronarum juxta *c. causam.* 14. *de Probat.* aut per inquisitionem de vita et fama puellae, aut alio licito modo, erit *conditio honesta possibilis*, consequenter de eadem sicut de caeteris conditionibus honestis possibilibus discurrendum erit. Sanchez *lib.* 5. *Disp.* 16. *numer.* 7. Navarrus *cap.* 22. *nu* 66. Ledesma *de Matrim. q.* 47. *a* 5 *dub.* 3. Perez *Disp.* 16. *sect.* 10. *nu.* 7. *et* 8. cum communi aliorum. Ratio patet; quia nihil inhonesti in ea invenitur.

39 Resp. II. Si vero praefata conditio intelligitur de exploratione virginitatis facienda per copulam, aut inspectionem, quam ipse Sponsus peragere vult, vel alium illicitum modum, turpis est, consequenter de ea discurrendum, prout de aliis turpibus conditionibus §. *seq* discurremus. DD. citati, cum communi aliorum. Ratio patet; quia talis conditio invitat ad peccandum; ergo jam hoc ipso turpis est.

§. II.

De Conditionibus impossibilibus, ac inhonestis aut turpibus appositis Matrimoniali, Sponsalitio, aut aliis Contractibus.

SUMMARIUM.

40 *Si Matrimonio adjicitur turpis Conditio de futuro substantiae Matrimonii non contraria, valet Matrimonium, et conditio habetur pro non adjecta: secus si repugnat substantiae Matrimonii.*
41 *Ponitur, et solvitur objectio ex Jure. Et num. seq usque ad n. 45. Omnes reliqui Contractus sub conditione impossibili, sunt nulli. Ibid. et n. seq.*
43 *Matrimonium est causa favorabilis, et pro ea in dubio judicandum.*
44 *Quando Matrimonium sub conditione impossibili ac turpi de futuro nullum sit?*
45 *Turpis conditio de praeterito vel praesenti attenditur, et non habetur pro non adjecta.*
46 *Bene tamen Conditio ex natura impossibilis de praeterito aut praesenti. Et n. seq.*
48 *Doctrina practica de quibusdam Matrimoniis sub conditione turpi aut impossibili initis in specie, usque ad n. 51.*
Matrimonia haereticorum pleraque nulla: et quare? Ibid. Matrimonia quot, et quae? Ibid.
51 *Omnes Contractus sub conditione impossibili ex natura aut facto initi, sunt nulli.*
52 *Etiam Sponsalia.*
53 *Solvitur objectio*
54 *Et Confirmatur ulterius Conclusio de Sponsalibus. Et n. seq*
56 *Matrimonium et ultimae voluntates per appositionem Conditionis impossibilis non vitiantur.*
57 *Turpis conditio de futuro repugnans substantiae Matrimonii apposita Sponsalibus, illa annullat.*
58 *Secus est, si substantiae Matrimonii non repugnat.*
59 *Solvitur instantia*
60 *Turpis Conditio de praesenti aut praeterito apposita Sponsalibus, quid faciat?*
61 *Modus, Causa, et Demonstratio quid? et nu. seq*
Matrimonium, vel Sponsalia sub Causa, aut Demonstratione etiam falsa, inita valent Ibid
63 *Quid Juris de Sponsalibus aut Matrimonio sub Modo?*
64 *Modus etiam substantiae Matrimonii repugnans, non vitiat illud.*

Quaeritur I. Quid Juris de Matrimonio sub *Conditione impossibili aut turpi, sive inhonesta contracto?* Resp. I. Si adjicitur Matrimonio *turpis aut impossibilis conditio de futuro*, quae repugnat substantiae Matrimonii, vitiatur, et ipso Jure nullum est Matrimonium: Si vero aliae adjiciantur *Conditiones turpes, aut impossibiles*, substantiae tamen Matrimonii non repugnantes, validum est Matrimonium, et Conditiones pro non adjectis habentur. Communis ac certa, texto claro *c. fin h t.* ibi: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur; puta, alter dicat alteri: Contraho tecum, si generationem prolis evites: vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem: aut si pro quaestu adulterandam te tradas etc. Matrimonialis Contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu. Licet aliae Conditiones appositae, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* 40

Objicies. Consensus contrahentium est de substantia Matrimonii per dicta supra *arg. l. Nuptias* 3. *ff. de Reg. Jur.* sed in tali Matrimonio deest consensus saltem contrahentis sub *conditione* impossibili ex natura, utpote qui *non* voluit se obligare, nisi sub *conditione impossibilis* apposita; quam quia evenire non posse, bene scivit, censendus est, quod nullatenus se obligare, aut contrahere intenderit, *arg. §. Si impossibilis*, 11. *Instit. de Inutil. stipul.* ibi: *Si impossibilis conditio obligationibus adjiciatur, nihil valet stipulatio*, et *l. Non solum.* 31. *ff. de Obligat. et Act.* ibi. *Non solum stipulationes impossibili conditione applicatae nullius momenti sunt, sed etiam caeteri quoque contractus, veluti emptiones, locationes, impossibili conditione interpositae, aeque sunt nullius momenti, quia in eo re, quae ex duorum pluriumve consensu agitur, omnium voluntas spectatur, quorum dubio in hujusmodi actu talis cogitatio est, ut nihil agi existimetur, apposita ea conditione, quam sciant esse impossibilem.* 41

In solvenda hac gravissima instantia, et explicatione *cit. c. fin. h t.* multum laborant et variant DD. Optima videtur interpretatio ac responsio eorum, qui dicont dispositionem dicti *c. fin* §. *fin h. t.* tantum 42

habere locum in casu, quo dubium est de intentione et animo contrahentis sub *conditione impossibili* aut *turpi*, an nempe serio talem conditionem adjecerit, nolens alias contrahere, an vero jocose tantum: stante enim tali dubio praesumit Ecclesia ita contrahentem vere et absolute voluisse contrahere, et conditionem jocose tantum adjecisse, hoc ipso, quod sciverit, talem conditionem vel ex natura, vel de Jure impossibilem adimpleta esse.

43 Ratio hujus interpretationis ac constitutionis *cit. c. fin. h. t.* est: Tum quia in dubio semper pro valore Matrimonii judicandum est *c. fin. de Sentent. et re judic.* ad evitenda gravissima scandala, et animarum pericula, quae sequerentur ex dissolutione Matrimonii forsan valide contracti, praesertim si dein aliis nuberent separati, *arg. c. Licet 47. in fine, de Test. et Attest.* ubi propterea dicitur: *Tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos; quam conjunctos legitime contra statuta Domini separare.* Tum quia Matrimonium est causa favorabilis sicut Testamentum, *c. Directoe. 59. in fine, de appel.* et *cit. c. fin. de Sentent. et re judicat.* ergo sicut ob hanc causam in Testamento *conditiones impossibiles* habentur pro non adjectis, *arg. l. Obtinuit et l. Multa ff. de Condit. et Demonstr.* ita habendae erunt in Matrimonio.

44 Quod si vero ex circumstantiis constaret, aut appareret, *Conditionem impossibilem*, vel *turpem*, serio adjectam fuisse, consequenter sine animo contrahendi, nisi sub illa conditione, quae impleri vel de facto, vel de Jure non potest, Matrimonium utique nullum foret, Sanchez *lib. 5. Disp. 3. n. 16.* Wagnereck *in c. Si conditiones. h. t.* Pirhing *h. t. n. 18.* Engel *eod. n. 12. et 13* quia tunc Ecclesiae praesumptio cederet veritati, *arg. l. Continuus. 137. §. 2. in fine. ff. de V. O.* et ibi Glossa *ṽ. Nullus.*

45 Resp. II. Si Matrimonio apponitur *inhonesta*, aut *turpis conditio de praesenti, vel praeterito* non habetur pro non adjecta, sed omnino attenditur, ita ut Matrimonium statim valeat, si conditio illa subsistat; irritum autem et nullum sit, si non subsistat. Covarruvias *de Matrim. p. 2. cap. 3. §. 2. n. 2.* Alexander de Nevo *in c. de Illis. 3. h. t. n. 16.* et alii, per ea, quae supra *num. 5.* dicta sunt. Accedit, quod *turpis conditio de praesenti, aut praeterito* non invitat ad peccandum, sicut de *futuro*, uti *loc. cit.* bene adserit Covarruvias

Nec obstat *c. fin. h. t.* turpes conditiones pro non adjectis reputans, uti patet ex textu supra *n. 40.* adducto. Nam contra est, quod *cit. c. fin.* loquitur de Conditionibus proprie dictis, hoc ipso, quod verba Legum et Canonum in propria significatione accipere, et intelligere oporteat, *arg. c. Inter. 2. de Translat. Episc.* et *l. Non aliter. 69. ff. de Legat. 3.* Conditio autem de praesenti aut praeterito, proprie conditio non est, *l. Institutio 10. ff. de Condit. et Demonst.* cujus textum vide supra *n. 5.*

46 Num autem *Conditio* ex natura, aut facto *impossibilis de praesenti vel praeterito* habeatur pro adjecta, variant DD. Pontius siquidem *lib. 3. c. 4.* cum Sylvestro *ṽ. Matrimonium 3. q. 1. in fine* affirmant per fundamenta praecedentis Conclusionis; Covarruvias vero *loc. cit.* Sanchez *lib. 5. Disp. 4. n. 3.* et alii melius negant, et volunt, talem conditionem semper haberi pro non adjecta, consequenter Matrimonium initum semper *esse* validum, idque probant ex eo, quod Matrimonium non minus sit favorabile quam Testamentum, *c. Directa. de Appellat.* sed in Testamento ob favorem ejusdem etiam talis conditio habetur pro non adjecta *arg. l. Maevio. 45. ff. de Haered. instit.* ergo etiam in Matrimonio.

47 Nec currit paritas cum *Conditione turpi*; haec enim rejicitur a Jure, et habetur pro non adjecta, quia allicit ad peccandum; quae merito, cum in *turpi conditione de praesenti aut praeterito* non militet, bene dicitur, quod haec in Jure inter rejectas non comprehendatur. *Conditio* autem ex natura *impossibilis* rejicitur, quae est omnino impossibilis, quod aeque militat in *Conditione de praesenti*, aut *praeterito*, ac *futuro*: aeque enim *impossibilis conditio est* si dico: *Contraham tecum, si caelum digito tetigisti;* ac *si caelum digito tanges.* E contra non aeque ad peccatum invitat, si dico: *Contraho tecum, si hunc jam occidisti*, ac si dico *si hunc occides.*

Infertur I. Pro praxi, Matrimonia sequenti modo contracta esse nulla: *Contraham tecum, si generationem prolis evitabis*, v. g. seminando extra vas, aut procurando sterilitatem, vel abortum. Item *contraho tecum ad certos annos, ut hac vel illa circumstantia eveniente aut non eveniente possim iterum discedere, aut alteri nubere*, prout in multis locis faciunt haeretici, utpote qui cum hac expressa, eisque praelecta conditione contrahunt, ut una pars discedere, et alteri pro libitu nubere queat, si compars adulterium committit, vel e secta haeretica ad fidem Catholicam se convertit. Ratio est, quia hae conditiones omnes repugnant Matrimonii substantiae, consequenter vitiant aut irritant Matrimonium per dicta *n. 40. Prima* namque conditio hic allegata est contra *bonum prolis. Secunda* contra *bonum fidei*, seu mutuae fidelitatis vi conjugii debitae. *Tertia* est contra *bonum Sacramenti*, individuam societatem exigens, in quibus tribus substantialia bona Matrimonii consistunt, *can. Omne. 10. caus. 27. q. 2.* 48

Infertur II. Matrimonia sequenti modo contracta illico esse valida: *Contraho tecum, si hunc occidas, aut illud furtum committas*, vel *si fidem haereticam accepteris*, vel *si caelum digito tangas*, vel *si ex aqua vinum efficias* etc. Quia sunt conditiones *inhonestae*, vel impossibiles substantiae Matrimonii non repugnantes, consequenter pro non adjectis habentur, nisi ex conjecturis constet, ita promittentem non habere animum contrahendi sub hac conditione per dicta supra *n. 40. et n. 44.* 49

Infertur III. Matrimonia sub sequentibus conditionibus contracta dependere quoad valorem ab existentia conditionis: v. g. *Contraho tecum, si es haeretica*, vel *si hunc occidisti*, vel *si illam rem furata es*, vel *si Rebellibus adscripta jam es*; quia sunt *conditiones turpes de praesenti, vel praeterito*, quae pro adjectis attenduntur per dicta *n. 45.* E contra statim validum esse Matrimonium sequens: *Contraho tecum, si de facto caelum digito tangis*, vel *si cogitationes cordis mei agnoscis*, per dicta *n. 46.* 50

Quaeritur II. Quid Juris de Sponsalibus et aliis Contractibus sub *Conditione impossibili, aut turpi et inhonesta* initis? Resp. I. Contractus, consequenter etiam Sponsalia, solo excepto Matrimonio, et ultimis voluntatibus, per appositionem *Conditionis ex natura aut facto impossibilis* vitiantur, et sunt Ipso Jure nulli. Conclusio plures habet partes; quarum *primam* de contractibus in genere tenent Omnes, teste expresso *l. Non solum ff. de Oblig. et Act.* cujus textum vide supra *n. 41.* ubi etiam ratio additur; quia nempe hoc ipso, quod quis contractui *impossibilem conditionem* apponat, censetur nullum habere animum contrahendi. 51

Intellige tamen Conclusionem de *Conditione impossibili affirmativa*, v. g. *si caelum ascenderis*: nam si *negativa* apponitur v. g. *Si caelum non ascenderis*, Contractus pure initus censetur, adeoque valet, teste claro *l. Impossibilis. 7. de V. O.* Ratio est: quia, cum ejus contraria sit impossibilis, ejus negativa erit necessaria, vera et praesens, quae statim iocat, *arg. l. In illa ff. de V. O.*

52 *Secunda pars* de Sponsalibus docetur a Salmanticensibus et Ledesma *de Matrim. q.* 44. *a.* 5. Perez *Disp.* 12. *sect.* 3. *n.* 3. et aliis contra Sanchez *lib.* 5. *Disp.* 17. *n.* 2. et communissimam aliorum, quamvis Sanchez fateatur, nostram sententiam solidiori non fundamento. Probatur. De Jure *Conditio impossibilis* apposita vitiat omnes contractus per dicta *num. proced.* ergo etiam Sponsalia. Tum quia *Legis verba generalia generaliter sunt intelligenda*, c. *Quia circa de Privileg.* Tum quia *exceptio unius firmat regulam in contrarium*, *arg.* c. *In iis, quae. ff. de Legib.* Solum autem excipitur Matrimonium *c. fin. h. t.* et ultimae voluntates, per Jura infra *n.* 56. citanda; ergo haec exceptio probat, quod Sponsalia a Lege communi non sint excepta, consequenter juxta eam vitientur, et sint nulla per *Conditionem impossibilem* appositam, sicut caeteri contractus, *cit. l. Non solum. ff. de Obligat. et Act.*

53 Objicies cum Adversariis illud tritum, Sponsalia sunt initium et via ad Matrimonium: ergo quod de hoc in Jure est dispositum, censetur etiam dispositum de Sponsalibus, *arg. l. Oratio.* 16. *ff. de Sponsal.* consequenter, cum *c. fin. h. t.* de Matrimonio disponatur, quod *Conditio impossibilis* ei adjecta illud non vitiet, sed habeatur pro non adjecta, idem dicendum erit de Sponsalibus. Hoc est principale, et unicum Adversariorum fundamentum, quod tamen facile solvitur. Respondetur enim, illud commune dictum: *Disposita de Matrimonio censentur etiam disposita de Sponsalibus*, locum non habere, quando de Matrimonio disponitur ex speciali ratione, quae non militat in Sponsalibus, Gutièrrez *de Juram. p.* 1. *cap.* 51. *n.* 9. et ipse Sanchez *lib.* 5. *Disp.* 12. *n.* 3. cum communi, prout contingit in praesenti, siquidem *c. fin. h. t. Conditiones impossibiles* Matrimonio appositas pro non adjectis statuit ob specialem favorem Matrimonii, et ad gravissima incommoda ac pericula animarum vitanda, quae ex dissolutione Matrimonii forsan invalidi sequerentur, juxta dicta *n.* 42. Qui favor et ratio specialis, cum non inveniatur in Sponsalibus, dictam dispositionem *c. fin. h. t.* de Matrimonio factam, ad Sponsalia extendere non debemus.

54 Confirmatur a simili in Matrimonio *Clandestino*, de quo licet extet dispositio Concilii Tridentini *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. quod sit invalidum, tamen juxta communem et certam etiam Adversariorum sententiam, dicta Concilii Tridentini dispositio non extenditur ad Sponsalia, quia videlicet ratio illa specialis, quam Concilium pro Matrimonio habuit, non militat in Matrimonio, per dicta *Tit. I. § I. n.* 22.

55 Confirmatur ulterius: *Quae a Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*, c. *Quae.* 28. *de Reg. Jur. in 6.* atqui dispositio *c. fin. h. t. Conditiones impossibiles* in Matrimonio pro non adjectis habens, a Jure communi exorbitat: cum juxta hoc, quin et naturale Jus Contractus sub *Conditione impossibili* sit nullus, *arg. cit. l. Non solum. ff. de Obligat. et Act.* ergo ulterius extendi non debet.

56 *Tertia* tandem *pars*, quod Matrimonium, et ultimae Voluntates per Conditionem impossibilem non vitientur, sed haec habeatur pro non adjecta, caret controversia. Et quidem de Matrimonio jam dictum est ex *c. fin. h. t.* De ultimis Voluntatibus autem constat ex §. *Impossibilis. Instit. de Haered. instit.* ibi: *Impossibilis conditio in institutionibus, et legatis, nec non in fideicommissis et libertatibus pro non scripta habetur*, cum Concordantiis, et jam dictum est supra.

57 Resp. II. Si Sponsalibus adjicitur *turpis Conditio* de futuro, repugnans substantiae Matrimonii, vitiantur et nulla sunt Doctor Seraphicus *in* 4. *dist.* 28. *q.* 3. *n.* 13. D. Thomas *ibid. dist.* 29. *q.* 2. *a.* 1. cum communi aliorum, *arg. c. fin. h. t.* licet enim de solo Matrimonio loquatur, tamen quia ratio dispositionibus de his Conditionibus etiam in Sponsalibus urget, ad haec quoque extendi debet. *arg. l. Oratio.* 16. *de Sponsal.* Quaenam autem sint Conditiones repugnantes substantiae Matrimonii, vide supra *num.* 48.

Resp. III. Si Sponsalibus adjicitur *turpis*, aut *inhonesta Conditio de futuro* substantiae Matrimonii non repugnans, v. g. *Ducam te, si mecum fornicaris*, vel *si fidem Catholicam derelinquis*, vel *si illud furtum facies*, vel *si hunc occidas etc.* non habetur pro non adjecta, sed attenditur, ita ut licet ante impletam talem conditionem Sponsalia non obligent, tamen postquam impleta est talis Conditio, Sponsalia valent, et obligant aeque ac si *honesta Conditio de futuro* adjecta, ac impleta esset. Pontius *lib.* 2. *de Matrim. q.* 10. *sect.* 5. Palao *de Sponsal. Disp.* 1. *pun.* 16. *n.* 4. Ledesma *de Matrim. q.* 47. *a.* 2. *ad finem*, Perez *de Matrim. Disp.* 1. *sect.* 3. *n.* 4. ubi citat communem contra Sanchez *lib.* 5. *Disp.* 17. *num.* 2. qui pro se citat concordem omnium. Ratio est; quia reliqui Contractus sub *turpi Conditione de futuro* adimpleta conditione, ut diximus, valent et obligant, ut fatentur Omnes, *arg. L.* 11. §. 4. *ff. Qui potiores pignor.* ergo etiam Sponsalia, utpote specialiter non excepta. 58

Non obstat *c. fin. h. t.* ubi Conditiones Matrimonio oppositae habentur pro non adjectis. Respondetur enim illam specialem de Matrimonio factam dispositionem Juris non extendi ad Sponsalia, per dicta supra *n.* 53. *et seqq.* 59

Resp. IV. Si Sponsalibus adjicitur *turpis Conditio de praesenti aut praeterito*, eundem effectum habet, quem in Matrimonio, juxta dicta supra *n.* 45. ob eadem rationes et Juris fundamenta. 60

Quaeritur III. Quid Juris de Sponsalibus et Matrimonio *sub Modo? sub Causa?* et cum *Demonstratione?* Agunt DD. plerumque hic etiam de his, quia conditionibus valde affines sunt. Quid autem sit *Modus*, *Causa*, et *Demonstratio*, et quo modo contractus vel actus aliquis fieri possit *sub Modo*, vel *sub Causa*, vel *cum Demonstratione* habes Lib. III. Tit. XXVI. a n. 656. ubi vide, ac superflua fiat repetitio. Hoc praesupposito, Resp. I. Sponsalia, et Matrimonium, aliique Contractus celebrati sub *Causa*, vel cum *Demonstratione*, sive possibili sive impossibili, sive turpi, sive honesta, sive substantiae Matrimonii contraria sive non, nec suspendunt, nec vitiant Contractum, etsi contingat error, nisi hic versetur circa personam, v. g. si quis ita dicit: *Contraho*, vel *contraham tecum*, *quia es dives*, vel *quia es nobilis*, vel *quia es virgo*, vel *quia es virtuosa*, vel *quia es omnipotens*, vel *quia es haeretica*, vel *quia generationem prolis evitabis*, vel *quia mecum fornicata es etc.* (quae sunt merae causae) vel, *quia es talis*, *virgo*, *dives etc.* (quae est *Demonstratio*) valent Sponsalia, et Matrimonium, etsi talis dives, aut virgo, aut nobilis etc. non esset. Sanchez *lib.* 5. *Disp.* 19. *n.* 2. Palao *de Sponsal. Disp.* 2. *pun.* 11. § 5. *n.* 2. Pirhing *h. t. n.* 29. Engel *h. t. n.* 10. cum communi aliorum. Ratio est; quia *Causae* et *Demonstrationes* etiam falsae non obstant contractui, nec vitiant illum, sed habentur pro non adjectis, *arg. l. Falsa.* 33. *et l. Cum tale.* 72. §. 6. *de Condition. et Demonst.* juncto §. *Longe.* 31. *Instit. de Legat.* 61

Nec refert, etsi quis non contraxisset, si errorem scivisset; quia error circa qualitatem non vitiat Sponsalia aut Matrimonium per dicta *Tit. I. n.* 345. bene tamen circa personam, juxta dicta *ibid. arg. l.* 62

Quoties. 9. *ff. de Haered. instit.* ubi ratio additur illis verbis: *Quoniam voluntas deficitur.*

63 Resp. II. *Modus* sive possibilis, sive impossibilis, sive turpis, sive honestus Sponsalia aut Matrimonium, aliosque Contractus nec suspendit, nec vitiat, sed, si *Modus* turpis aut impossibilis est, habetur pro non adjecto: si vero possibilis et honestus est, parit obligationem exequendi id, quod per *Modum* oneris fuit adjectum: v. g. si quis dicat: *Contraho*, vel *Contraham tecum, ut digito caelum tangas*, vel *ut me adjuves ad illum occidendum*, aut *illud furandum etc.* valet Matrimonium, aut Sponsalia, et conditio habetur pro non adjecta, nec parit ullam obligationem illam adimplendi: si quis vero ita dicat: *Contraho*, vel *Contraham tecum, ita tamen, ut illos pupillos educes, tantam dotem offeras, mecum ad illum locum pergas etc.* valet quidem statim actus, ita tamen, ut alter obligatus maneat ad *Modum*, seu onus adjectum exequendum, Sanchez *lib.* 5 *Disp.* 19. Pirhing *h. t. n.* 32. Sylvester V. *Matrimonium* 3. *q.* 12. cum communi aliorum dicentium, quod hi modi non suspendant contractum. Ratio est; quia in actu sub *Modo* consensus non praestatur a *Modo*, sicut fit in *Conditione*, sed illum praecedit, in quo differt a *Conditione*. Nam natura *Modi* est, ut non suspendat actum. *l. Cum ab eo* 41. *ff de Contrah. Empt.*

Quod autem *Modus* turpis aut impossibilis non vitiet actum, sed habeatur pro non adjecto, patet tum ex dictis supra de hujusmodi Conditionibus, tum ex dicendis infra *num. seq.* et amplius docet Molina *de J. et J. Disp.* 208. *n.* 11. quod vero *Modus* honestus novi obligationem pariat, clare patet ex *L.* 1. *C. de Donat. sub modo.*

64 Resp. II. Non vitiantur, sed valent Sponsalia, et Matrimonium etiam sub *Modo* substantiae Matrimonii contrario contracta, Palao *de Sponsal. Disp.* 2. *pun.* 11. §. 5. *n.* 3. Ledesma *cit. q.* 47. *a.* 5. *dub.* 3. Perez *Disp.* 16. *sect.* 15. *n.* 14. contra Sanchez *loc. cit. num.* 5. Pirhing *loc. cit. n.* 30. Ratio est; quia universaliter loquendo, nullus *Modus* suspendit actum, nec consensus dependenter a *Modo* praestatur, sed jam perfectum supponit, eique advenit *cit. l. Cum ab eo ff. de Contrah. Empt.* et si valide jam est contractus, per talem non amplius vitiari potest: ergo.

Nec objicias cum Sanchez *loc. cit. c. fin. h. t.* ubi expresse habetur, quod Conditiones substantiae Matrimonii contrariae vitient illud. Resp. enim, quod, cum illud *c. fin. h. t.* expresse loquatur de solis *Conditionibus*, ad *Modos* extendi non queat, ne *Modus* et *Conditio* confundantur.

TITULUS VI.

Qui Clerici, vel voventes Matrimonium contrahere possunt.

SUMMARIUM.

1 *Ratio Continuationis.*
2 *Ordines Sacri dirimunt Matrimonium contrahendum.*
3 *Non item Ordines Minores.*
4 *Etiam Graeci in Majoribus constituti non possunt Matrimonium contrahere, bene tamen illo antea contracto uti possunt.*
5 *Pueri ante usum rationis ordinati, possunt postea nubere.*
6 *Quod aliqui etiam de Ordinatis ante pubertatem volunt.*
7 *Contrarium tamen probabilius est.*
8 *Vi Ordinati non tenentur ad continentiam, sed possunt nubere.*
9 *Sicut etiam gravi metu incusso Ordinati.*
10 *Confirmatur.*
11 *Solvitur instantia. Et num. seq.*
Coacta voluntas est voluntas: *quando verificetur? Ibid.*
13 *Infantes vel vi, aut metu ordinati, si postea tacite vel expresse votum ratificant, tenentur ad castitatem, si sciunt votum prius fuisse nullum.*
Ratificatio actus nullius non fit, si ignoratur, actum fuisse nullum. Ibid.
14 *Ordines Sacri Matrimonium prius contractum non dirimunt.*
15 *Contrahendum dirimunt solo Jure Ecclesiastico. Et duobus num. seq.*
16 *Papa dispensare potest, ut existentes in Majoribus etiam Sacerdotes et Episcopi nubant.*
17 *Voti solemnitas a sola Ecclesia provenit.*
18 *Clerici beneficiati, sive in Majoribus, sive in Minoribus constituti, si nubunt, ipso facto privantur Beneficio.*
19 *In Majoribus constituti insuper incurrunt excommunicationem, et irregularitatem.*
20 *Conjugati, vel Desponsati quando nubere possint. Remissive.*
21 *Omne et solum votum solemne dirimit Matrimonium.*
22 *Sunt tantum duo vota solemnia, illud nempe quod Ordini est annexum, et Professio Religiosa.*
23 *Professio Religiosa non tantum contrahendum, sed etiam jam contractum nondum consummatum Matrimonium dirimit.*
24 *Votum simplex castitatis, intrandi Religionem, aut suscipiendi Ordines non dirimit, sed tantum impedit Matrimonium.*
25 *Stante voto castitatis nubens non potest petere debitum, bene tamen reddere.*
26 *De Votis simplicibus emissis post Sponsalia. Remissive.*

Absoluta materia de Sponsalibus et Matrimonio pure et conditionate initis, explicatisque nonnullis impedimentis praesertim *publicae honestatis*, ac *clandestinitatis*, pergit Compilator ad reliqua Impedimenta Matrimonii examinanda, et quidem in praesenti Titulo de duobus *dirimentibus* agit, Ordine nempe Sacro, et Voto castitatis solemni, ac *impediente*, Voto nempe simplici. 1

Quaeritur I. An? quando? respectu quorum? et quo modo Matrimonium dirimat Ordo: Resp. I. Quod Ordines Sacri sint impedimentum *dirimens* Matrimonium contrahendum, et consequenter, quod Clerici in Ordinibus Sacris constituti Matrimonium nec licite nec valide contrahere possint, certum est ac de fide. Omnes. Patetque ex Concilio Tridentino *Sess.* 24. *de Sacramento Matrimonii. can.* 9. ibi: *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto etc. Anathema sit.* Concordant can. *Presbyteris.* 8. *dist.* 27. ibi: *Presbyteris, Diaconis, et Subdiaconis etc.* item can. *Presbyterum* 10. *dist.* 28. *cap.* 1. *de Clericis conjug. c.* 1. *et* 2. *h. t.* et alibi passim. Rationem sanctissimarum harum Ecclesiae Legum Clericos reddentium inhabiles, vide *Lib. III. Tit. III. de Clericis conjug. a. n.* 3. 2

Dicitur autem notanter in Conclusione *Ordines sacri*; quia Ordines Minores nec impediunt, nec dirimunt Matrimonium, uti jam diximus *Lib. III. Tit. III. n.* 1. quamvis Clerici in Minoribus constituti 3

Beneficium perdant, si nubant, ut *ibid. n.* 9. diximus.

4 Nec obstat mos Graecorum, qui etiam in Majoribus constituti uxores habent. Respondetur enim, quod Graeci quoque in Majoribus constituti nec valide, nec licite Matrimonium inire queant: quamvis eodem ante contracto, postea in Majoribus constituti, licite uti potuerint, prout post Azorium *p. 1. lib.* 13. *cap.* 12. *q.* 3. ex ipso Graecorum usu ac moribus probat Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 28. *n.* 3. *arg. c. Cum olim de Clericis conjug. can. Si quis eorum. dist.* 32. cum Concordantiis: prout etiam jam diximus *cit. Lib. III. Tit. III. n.* 8. ut proin tota differentia inter Clericos Latinos et Graecos consistat in hoc, quod Clerici Graeci post contractum Matrimonium possint suscipere Ordines Sacros, et in his constituti cum uxore, quam prius duxerant, conjugaliter vivere, quod tamen non possunt Clerici Latini, exceptis certis casibus, de quibus vide *Lib. III. Tit. XXXII de Convers. conjugat.*

5 Limitatur tamen Conclusio I. In pueris carentibus usu rationis; quamvis enim hi valide ordinari valeant, *arg. c. un. de Clerico per saltum*, tamen non tenentur ad continentiam, sed possunt valide ac licite Matrimonium contrahere, nisi ad usum rationis venientes, Ordinationem, et Votum expresse vel tacite ratificent, libere exercendo v. g. actum aliquem Ordini suscepto proprium, Abbas *in cit. c. un. de Clerico per saltum. n.* 3. et ibi Joan. Andreas *n.* 5. Barbosa *n.* 7. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 30. *n.* 5. cum communi. Ratio est; quia hi non sunt inhabiles ad Matrimonium ratione Ordinis Sacri, utpote quod stare potest cum illo, per Jura *num. praeced.* allegata pro Graecis. Nec ratione Voti annexi; cum ex defectu liberi consensus ad illud non teneantur.

6 Praecedentem Limitationem aliqui extendunt etiam ad Ordinatos post usum rationis ante pubertatem, anno v. g. decimo, aut duodecimo, Sanchez *loc. cit. n.* 8. Abbas, et Joan. Andreas *loc. cit.* Barbosa *de Offic. et potest. Episc. Allegat.* 15. *n.* 4. *arg. c. Ad nostram. de Regul.* ubi votum Professionis ante annos pubertatis emissum, declaratur irritum, et Concil. Trident. *Sess.* 25. *cap.* 15. *de Regular.* ubi idem votum ante annos 16. completos dicitur nullum; quod idem dicendum existimant de Voto Ordinibus annexo; cum et ipsum sit solemne *c. un. de Voto.* 6. ibi: *Votum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem Ordinis sacri.*

7 Palao econtra *de Sacramento Ordinis Disp. un. pun.* 17. *n.* 10. Bonacina *de Matrim q.* 3. *pun.* 9. *n.* 16. Coninck *Disp.* 20. *dub* 14. *n.* 136. et alii cum Glossa *in can. Pueri cau.* 1. *q.* 1. ℣ *Ad sacros*, probabilius docent, tales ad votum teneri, et ad Matrimonium esse inhabiles. Ratio est; quia Jure naturali ad valide vovendum sufficit usus rationis; at Jure positivo nullibi irritatur tale votum: ergo.

Nec in contrarium probant Jura *n.* 6. allegata: Tum quia de Professione Religiosa specialis adest dispositio Juris: Tum quia non est paritas inter Professionem Religiosam, et Ordinem sacrum; cum illa longe sit difficilior isto, et propterea ad illam valide emittendam Jura majorem aetatem merito exigant. Et certe, si Adversarii paritatem horum votorum manutenere velint, concedere contra se ipsos debent, quod etiam ille non teneatur ad continentiam, sed nubere adhuc possit, qui post pubertatem anno decimo quinto ordinatus fuit; cum hujus professio Religiosa jure novo sit nulla utpote ante annum 16. edita, *Concil. Trident. loc. cit.*

8 Limitatur Conclusio *n.* 2. data, II. in iis, qui contra propriam voluntatem vi ordinantur. Ita Omnes teste Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 29. *n.* 1. Ratio patet; quia, cum tales invalide ordinentur, nec characterem accipiant, textu claro *c. Majores.* 3. § *Item quaeritur de Baptismo*, utique horum Ordo non parit impedimentum: nam non *Entis non sunt qualitates, nec effectus.*

Limitatur III. In illis, qui gravi metu injuste incusso Ordines Majores quasi coacti susceperunt, 9
Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 29. *n.* 5. Barbosa *de Offic. et Potestat. Episc. Allegat.* 15. *n.* 5. Zoesius *De his, quae vi, metusque causa n.* 7. Pirhing *h. t. n.* 2. et alii satis communiter cum Glossa *in c. Majores. §. fin. de Baptismo*, ℣. *Conditionaliter.* contra Palao *de Sacram. Ordin. Disp. un. pun.* 17. et Pontium *lib.* 7. *cap.* 19. *n.* 4. et plures alios. Ratio est; quia impedimentum Ordinis tantum consurgit ratione voti Ordinibus Majoribus annexi per dicenda infra *n.* 15. Atqui votum non valet nec obligat in iis, qui gravi metu injuste incusso ordinantur, cum universaliter nullum votum etiam expressum, nedum tacitum, ex gravi metu injuste incusso valeat, prout jam diximus *Lib. I. Tit. XL. n.* 58. *arg. c.* 1. *et c. Cum dilectus.* 6. *De his, quae vi metusque causa*, quia oportet, ut liberum sit arbitrium in vovendo *c. Licet.* 6. *de voto. siquidem voluntarium sibi militem eligit Christus, can. Non est. cau.* 15. *q.* 1.

Confirmatur: In iis, quae gravi metu fiunt, Jus 10
universaliter ita statuit, quod illa, quae ope Judicis ordinarii facile reparari, et per dissolutionem in pristinum statum restitui non possunt, pro nullis et irritis ipso facto habeat, prout patet in Matrimonio *c. Veniens. de Sponsal. et Matrim.* Item in solemni Professione, *c.* 1. *De his quae vi, metusque causa.* Item in Sponsalibus per dicta *Lib. I. Tit. XL. a. n.* 47. Atqui continentia Ordini sacro annexa, si semel est valida, ope Judicis ordinarii tolli non amplius potest: ergo.

Dices cum Adversariis: Ipse Ordo ex gravi ti- 11
more susceptus valet juxta Omnes: ergo etiam votum ei annexum: Nam *Accessorium naturam sequi convenit principalis, c. Accessorium.* 42. *de Reg. Jur. in* 6. praesertim cum *coacta voluntas sit voluntas, can. Merito caus.* 15. *q.* 1. et sufficiat ad alios contractus per dicta *Lib. I. Tit. XL. n.* 30. ergo etiam ad votum. Accedit Concilium Toletanum VIII. metu Ordinatos a Matrimonio arcens, nisi in voto dispensationem obtineant. Resp. concesso *Ant.* distinguendo *Conseq.* Accessorium semper sequitur naturam principalis in iis, quae essentialiter, seu secundum necessariam consequentiam, ac indivisibiliter sunt annexa, conceditur, in iis, quae separari possunt, negatur. Hinc licet Ordo infanti collatus valeat, non valet tamen votum ei annexum.

Ad *can. Merito.* conceditur quidem, quod *volun-* 12
tas coacta sit voluntas, sed negatur, quod sit sufficiens ad votum: licet enim sufficiat ad actus et contractus illos, qui ope et sententia Judicis rescindi possunt, ac debent, tamen insufficiens est ad illos actus, qui semel validi, de Jure amplius rescindi nequeunt, per dicta.

Ad Concilium Toletanum dico, illud loqui de 13
tali, qui gravi metu Ordinatus, Ordinationem et votum postea expresse, vel tacite, exercendo v. g. libere actum Ordini proprium, ratificavit; hoc etiam si facit metu gravi ordinatus, utique ad continentiam tenetur, et ad Matrimonium inhabilis est, prout cum Sanchez *loc. cit. n.* 9. DD. communiter admittunt; nisi id ex errore faciat, putans se prius jam esse adstrictum ad continentiam; tunc enimvero non censetur ratificare continentiam annexam, eo quod nunquam fiat ratificatio actus irriti et nullius, dum ignoratur eum esse nullum, prout cum aliis bene docet Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 16. *n.* 7. cum nil volitum, quin praecognitum, ut error tollat

consensum, *arg. l. Si per errorem ff. de Jurisdict. omn. Judic.* ex quo sequitur, cum, qui ante usum rationis, vel post hunc vi, aut metu gravi fuit ordinatus, posse adhuc nubere, etiamsi per plures annos jam fuerit Sacerdos, si ignoravit, votum continentiae Ordini annexum fuisse nullum.

14 Resp. II. Licet Ordo sacer sit impedimentum *dirimens* respectu Matrimonii postea contrahendi juxta dicta n. 2. tamen non dirimit Matrimonium prius jam contractum. Ita hodie unanimis et certa, ob claram dispositionem Joannis XXII. in Extravag. *Antiquae. de voto*, ubi antiquorum Doctorum controversiae finem imponens, ita statuit: *Quod, licet votum solemnizatum per sacri susceptionem Ordinis, quantum ad impediendum Matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, si post contractum fuerit, secundum statuta canonum sit efficax reputandum: ad dissolvendum tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, cum nec Jure Divino, nec per sacros reperiamus Canones hoc statutum, invalidum est censendum.*

15 Resp. III. Ordo sacer non ex natura, nec Jure Divino, sed solo Jure Ecclesiastico dirimit Matrimonium contrahendum, quatenus nempe Ecclesia sacro aliquo Ordine initiatos, inhabiles reddidit ad contrahendum Matrimonium, idque ob annexum solemne votum castitatis, S. Thomas 2. 2. *q.* 88. *a.* 11. Sanchez *lib.* 7. *Disp* 28 *n* 11. Pirhing *h. t.* n. 6. Covarruvias *de Matrim p.* 2 *cap* 6. § 3. *n* 1. Bosco *de Impedim Matrim. sect.* 4. *Conclus.* 3. cum communi aliorum. *Prima pars*, quod Ordo ex natura non dirimat, patet, quia stare potest cum Matrimonio, prout patet in Ecclesia Graeca, imo etiam Latina, casu, quo infans valide ordinatus postea Matrimonium contrahit, vel adulterante uxore Maritus Ordines valide suscipit, prout potest juxta dicta *Lib. III Tit. XXX n.* 54.

16 *Altera pars*, quod Jure Divino non dirimat, Ratio est: Tum quia allegari non potest. Tum quia in Jure Divino Papa dispensare nequit per dicta *Lib. I. Tit. III. n.* 455. Cum initiatis autem Sacro aliquo etiam Sacerdotali, imo Episcopali Ordine, Papa potest dispensare, et saepe jam dispensavit, *v. g.* cum Caesare Borgia, qui prius erat Cardinalis Diaconus, cum Ramiro Arragonum Rege prius Episcopo, cum Nicolao Justiniano, prius Religioso Sacerdote, et pluribus aliis, inter quos recentissimum exemplum est in Illustrissimo DD. Francisco Leopoldo Comite Slabata Canonico Passaviensi Subdiacono, cum quo Alexander VIII. 1690. 14. Januarii ad conservationem Familiae dispensavit ad contrahendum Matrimonium.

17 Manet ergo *Tertia pars*, quod solo Jure Ecclesiastico dirimat; quod ipsum aperte indicat Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *de Sacramento Matrim. can.* 9. (textum habet supra *num.* 2.) ubi Impedimentum hoc *dirimens* expresse adscribitur *legi Ecclesiasticae*, et voto non quidem simplici, utpote quod non dirimit, *arg. c. Consuluit.* 4. *et c. Rursus. h. t.* sed solemnizato, voti autem solemnitas ejusque vis dirimendi a Jure duntaxat Ecclesiastico provenit c. *Unico.* § *Nos attendentes de Voto* in 6. ibi: *Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa*, ergo

18 Quaeritur II. Quas poenas incurrat, si Clericus Matrimonium contrahat? Item, quandonam conjugatus Laicus, vel post Sponsalia licite suscipere valeat Ordines? Resp. I. Clericus tam in Majoribus, quam in Minoribus Ordinibus constitutus, Beneficium habens, perdit illud, si Matrimonium contrahit. Patet ex dictis *Lib. III. Tit. III de Clericis conjugatis.*

19 Resp. II. Si Clericus in Majoribus constitutus contrahere attentat, praeter nullitatem Matrimonii, Excommunicationem et Irregularitatem ipso facto incurrit, c. 2. *h. t. et Clem. un. de Consanguin. et Affin.* ibi: *Clericos in sacris Ordinibus constitutos Matrimonium contrahentes etc. excommunicationis sententiae ipso facto subjacere decernimus:* a qua tamen post poenitentiam absolvere eum potest Episcopus, *cit Clem. un. de Consanguin. et Affin.* et c. 1. *et* 4. *h. t.* ibi: *Post longam poenitentiam et vitam laudabilem continentes* (dimissa jam uxore juxta c. 1. *h. t.*) *Officio suo restitui poterunt, et ex indulgentia sui Episcopi, ejus executionem habere.*

Resp. III. Quandonam autem licite et valide Ordines suscipere valeant, vide *Lib III. Tit. XXXII. de Convers. conjugat. n.* 26. *et* 33. Quid Juris autem, si post Sponsalia Ordines suscipere velit, vide supra *Tit. I. de Sponsal. a n.* 228. 20

Quaeritur III. An? et quale *Votum*? ac quomodo dirimat, vel impediat Matrimonium? Resp. I. Omne et solum Votum solemne per susceptionem Ordinis, vel professionem Religiosam emissum, dirimit Matrimonium contrahendum. Omnes. Et quidem de Voto Solemni per susceptionem Ordinis tacite emisso jam patet ex *proced. Quaestion.* De Professione autem Religiosa aperte constat *ex* c. *Meminimus* 3. *et fin h. t.* ubi Summarium sic habet: *Votum solemne impedit, et dirimit Matrimonium postea contractum*, juncto Concilio Tridentino *Sess* 24. *de Sacramento Ordinis*, cujus textum vide supra *n.* 2. 21

Porro vota solemnia plura et alia non sunt, quam duo, Ordinis videlicet sacri, et Professionis Religiosae, texto expresso c. un. de Voto in 6. ibi: *Praesentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum Matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per Professionem expressam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.* 22

Resp. II. Votum solemne Professionis Religiosae non solummodo Matrimonium contrahendum, sed etiam jam contractum ratum, non tamen carnali copula consummatum dirimit. Omnes, texto expresso *c.* 2. *et c. Ex parte.* 14 *h. t.* Estque definitum a Concilio Tridentino *Sess.* 24. *de Matrimonio. can.* 6. ibi: *Si quis duxerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* In quo differt a voto solemni Ordinis sacri, utpote quod nullatenus Matrimonium jam contractum, sed tantum contrahendum dirimit, juxta dicta *num.* 14. *arg. Extravag. Antiquae, Joannis XXII. de Voto.* 23

Quantum autem tempus, et quo modo concedatur cuivis conjugi ad resistendum aut contradicendum consummationi Matrimonii, vide *Lib. III. Tit. XXXII. de Convers. Conjug.* ubi plura ad propositum.

Resp. III. Vota simplicia Castitatis etiam perpetuae, intrandi Religionem, suscipiendi sacros Ordines nullatenus dirimunt Matrimonium, quamvis illud impediant, si ante Sponsalia emittantur. Rursus communis ac certa texto expresso *cit.* c. *un. de Voto in* 6. ubi postquam Papa de Votis solemnibus egit, ita subjungit: *Reliqua vero vota, etsi quandoque Matrimonium impediunt contrahendum, non tamen rescindere possunt jam contractum.* Concordat *c. Consuluit.* 4. *h. t.* ibi: *Simplex votum Matrimonium impedit contrahendum, et non dirimit jam contractum.* quod idem habetur *c. Rursus* 6. *eod.* 24

Cur autem Votum solum solemne, et non simplex *Castitatis* dirimat Matrimonium; cum tamen simplex votum apud Deum non minus obliget quam

solemne, *cit. c. Rursus.* 6. *h. t.* dictum est *Lib. III. Tit. III. n.* 5.

25 Illud tamen notandum, quod licet Vota simplicia non dirimant, sed tantum impediant Matrimonium, nihilo minus Votum simplex *castitatis* etiam post contractum Matrimonium adhuc valeat, et ex parte obliget voventem, ita, ut, licet reddere possit debitum conjugale conjugi id petenti, petere tamen, aut non petitus sua sponte praestare illud nequeat, nisi cum ea dispensetur, ut habet communis Theologorum et Canonistarum *arg. c. Quando de Jurejur. c. Quidam*, et *c. Placet. de Convers. Conjug.* de quo amplius videre potes apud Sanchez *lib.* 9. *Disp.* 33. *et* 34.

Quis autem dispensare possit, ut talis etiam petere possit debitum conjugale, dicetur infra in Appendice.

26 Caeterum notanter dicitur in Conclusione *num. praeced.* posita, *Si ante Sponsalia emittantur*: quia an, et quomodo impediant, et quem effectum habeant, si post Sponsalia jam contracta emittantur; item utrum emitti valeant, vide *Tit. I. a n.* 233.

TITULUS VII.

De eo, qui duxit in uxorem, quam polluit per adulterium.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
2 *Solum adulterium cum altera non causat impedimentum Criminis.*
3 *Bene vero, si cum eo concurrat contractus.*
4 *Vel saltem promissio Matrimonii.*
5 *Aut sine promissio machinatio in mortem conjugis innocentis.*
6 *Nec refert, an adulterium praecedat, vel subsequatur contractum aut promissionem Matrimonii.*
7 *Ut impedimentum Criminis oriatur, praeter praedicta requiritur.*
8 *Ulterius II. Ut Matrimonium sit validum.*
9 *III. Ut tam adulterium, quam ejus promissio facta sint vivente uxore.*
10 *Et quidem eadem.*
11 *IV. Ut uterque adulterans sciat, alterum esse conjugatum.*
12 *V. Ut adulterium sit perfectum.*
13 *Et secundum aliquos, ut etiam vir seminet intra vas mulieris: contrarium tamen probabilius.*
14 *Per lascivos tactus tamen non contrahitur impedimentum Criminis.*
15 *VI. Ut, si fiat promissio Matrimonii, sit seria,*
16 *Et acceptata.*
17 *Non requiritur tamen, ut sit mutua.*
18 *Solum homicidium conjugis non causat Impedimentum.*
19 *Sed quando concurrit adulterium.*
20 *Vel quando uterque machinatur in mortem Conjugis.*
21 *Ut machinatio concurrens cum adulterio causet impedimentum Criminis, requiritur I. Ut alteruter sit causa moralis aut physica mortis.*
22 *II. Ut mors ex tali machinatione revera sequatur.*
23 *III. Ut machinatio fiat animo contrahendi Matrimonium.*
24 *Ad quod tamen sola sufficit intentio interna, etsi non manifestata externe.*
Actus internos quando possit, et soleat praecipere Ecclesia. Ibid.
25 *Conditiones requisitae ad Criminis impedimentum sine adulterio contrahendum.*
26 *Impedimentum Criminis contrahunt etiam illi, qui ignorant Impedimentum.*
27 *Poena Legis incurritur a transgressoribus poenae, etsi poenam appositam ignorent.*

Post impedimenta *Ordinis*, et *Voti*, pergit Compilator Canonum ad alia Impedimenta; et quidem in praesenti Titulo ad impedimentum *Criminis* per adulterium vel homicidium conjugum commissum. Quamvis enim Rubrica hujus Tituli de solo *Crimine adulterii* sonare videatur, tamen etiam de *Homicidio*, seu *machinatione in mortem* conjugis intelligi debet; quia de eodem etiam *in h. t.* agitur. Est namque duplex crimen inducens impedimentum *dirimens* Matrimonii: *Adulterium* videlicet, et *Homicidium*, seu *Machinatio in mortem conjugis*, non quidem qualecunque, sed certis qualitatibus et conditionibus affectum; uti patebit ex sequentibus. 1

Quaeritur I. Quandonam, et inter quos Adulterium constituat *dirimens* impedimentum Criminis? Item quae conditiones requirantur ad illud? Resp. I. Solum Adulterium non est *dirimens* Impedimentum inter adulterum et adulteram, sed tunc solum, quando cum eo concurrit contractus saltem attentatus Matrimonii, vel ejusdem contrahendi promissio; vel machinatio in mortem conjugis innocentis Communis ac certa ob clara Jura. *Prima pars*, quod solum Adulterium non constituat impedimentum *dirimens*, patet ex *c. Significasti.* 6. *h. t.* ubi ad quaestionem, an valeat Matrimonium viri cum illa, cum qua prius vivente adhuc sua uxore adulterium commisit? respondit Papa: *Quod nisi alter eorum in mortem uxoris defunctae fuerit machinatus, vel ea vivente sibi fidem dederit de Matrimonio contrahendo, legitimum judices Matrimonium supra dictum.* 2

Secunda pars, quod sit impedimentum, si cum adulterio concurrat Matrimonii contractus de praesenti, patet ex *c.* 1. *et c. Veniens.* 7. *c. fin. et c. Cum habet. h. t.* ubi Summarium ita sonat: *Qui vivente uxore legitima cum secunda contrahit adulterii, etiam prima mortua, separabitur a secunda: etiamsi longo tempore ei cohabitavit, et plias ex ea suscepit:* ut proin inter tales Matrimonium vivente alia legitima uxore contractum, non tantum sit nullum, sed etiam impedimentum, quod valide amplius non possint contrahere. 3

Tertia pars, quod adulterium constituat etiam impedimentum, si accedat saltem promissio de Matrimonio post mortem conjugis contrahendo cum parte adultera, textus expressus est *cit. c. Significasti.* 6. *h. t.* ibi: *Nisi alter eorum, ea vivente sibi dederit fidem de Matrimonio contrahendo.* et *c. Veniens, ac fin. eod.* ibi: *Si quis uxore vivente, fide data promisit aliam se ducturum etc. tolerari non debet, si illam adulterio polluisset.* 4

Quarta pars tandem, quod Adulterium Impedimentum generet, si cum eo concurrat Machinatio in mortem conjugis, etiam sine promissione Matrimonii, constat ex *c.* 1. *h. t.* ibi: *Vel quae machinata est in mortem uxoris. c. Super hoc.* 3. *eod.* ibi: *Respondemus, quod si adultera est in mortem uxoris aliquid machinata, sive fidem dederit, sive non, quod ea defuncta hanc esset ducturus, secundum Canones ab ejus consortio prohibetur, et haec prohibitio perpetuo est servanda.* et *c. Significasti.* 6. *eod.* ibi: *Nisi alter eorum in mortem uxoris defunctae fuerit machinatus.* 5

6 **Procedit Conclusio quoad posteriores partes**, sive adulterium praecedat, sive sequatur Matrimonium, aut promissionem ejusdem in adultera, prout teste Sanchez *lib. 7. Disp. 79. n.* 3. docent universi, *arg. c. fin. h. t.* ibi: *Sive prius, sive postea eam adulterio polluisset*: Procedit insuper, etiamsi vir et legitima uxor quoad Thorum per divortium separati vivant, textu expresso *c. Ex litterarum* 4. *h. t.* Item etsi nunquam cohabitarint, ipsumque Matrimonium tantum ratum, et nunquam adhuc consummatum fuerit, *arg. c. Significavit.* 1. *h. t.* et ibi Abbas n. 1.

7 Resp. II. Plures requiruntur conditiones ad hoc, ut ex adulterio consurgat dirimens impedimentum Criminis. Patet inductione. Nam I. requiritur, ut cum adulterio concurrant vel contractus, vel promissio Matrimonii cum adultera parte, vel machinatio in mortem conjugis per dicta.

8 II. Requiritur, ut Matrimonium cum primo conjuge sit validum. si enim hoc ex aliqua ratione invalidum esset, hoc ipso alteruter conjugum tertiam personam carnaliter cognoscens adulterium non committeret, et consequenter impedimentum cum illa tertia persona non contraheret, *arg. c. Significavit. h. t.* et ibi Barbosa n. 1. Joan. Andreas *n.* 4. Sanchez *lib. 7. Disp.* 79. *n.* 30. cum communi aliorum.

9 III. Requiritur, ut tam adulterium, quam promissio Matrimonii, vel attentatio ejus facta sit vivente adhuc adulteri, vel adulterae legitimo conjuge. Omnes, per clare Jura hactenus allegata, ubi semper dicitur: *si vivente uxore*, ut proin impedimentum non oriatur, si quis vivente legitima uxore, cum aliqua adulterium committit, et post mortem uxoris, eidem Matrimonium promittit, aut econtra.

10 Imo secundum Bosco *de Impedim. Matrim. sect.* 8. *Concl.* 6. Sanchez *loc. cit.* n. 6. et alios ab eo citatos requiritur, ut adulterium et promissio Matrimonii fiant durante eodem conjugio, consequenter Impedimentum non oriatur, si vivente una uxore quis cum Bertha v. g. adulterium committit, at post mortem uxoris aliam, et non Bertham duxit, vivente tamen secunda hac uxore Berthae Matrimonium promittit. Ratio est: quia Canones et Textus *h. t.* hactenus allegati de eodem conjuge vivente loqui videntur.

11 IV. Requiritur, ut uterque adulterorum sciat, alterum esse conjugatum. Omnes textu expresso c. 1. *h. t.* ibi: *Quia tamen mulier erat inscia, quod ille alium haberet uxorem viventem*, et c. *penult. h. t.* Ratio est; quia tunc ex parte ignorantis non adest verum adulterium, *arg. l. pen. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Imo non tantum potest inter tales postea consistere Matrimonium, sed insuper tenetur vetus adulter post mortem conjugis suae, illam ducere, quam ignorantem vivente uxore cognovit, si eidem etiam tunc Matrimonium promisit, vel etiam de praesenti cum illa contraxit; textu expresso *cit. c.* 1. et *penult. h. t.* ubi etiam ratio additur. *Quia dignum non est, ut praedictus vir, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportet.* Parti tamen ignoranti liberum manet, num velit parti scienter adulterae nubere, nec ne, *cit. c. fin. h. t.* ibi: *Nisi mulier* (quae fuit ignorans) *divortium petat*.

12 V. Requiritur perfectum, et consummatum adulterium, nec sufficit copula solum attentata, Sanchez *loc. cit. n.* 2. Barbosa *in c. fin. h. t.* n. 4. et ibi Abbas *n.* 6. Joan. Andreas *n.* 4. cum Glossa *v. Cognovit.* Ratio est: Tum quia non obest conatus, ubi injuria non habuit effectum, *arg. c. fin. de Sponsal.* Tum quia versamur in poenalibus, quae restringere potius oportet, quam ampliare, *c. Odia*, 15. *de Reg. Jur. in* 6.

Addunt aliqui (quos sequendo etiam nos diximus in Theologia nostra morali *Tract.* 14. *dist.* 16. *n.* 93.) necesse quoque esse, ut vir etiam seminet intra vas, verum spectando legis intentionem seu rationem (quae *est anima legis*) et juris fundamenta, probabilius videtur, id non requiri, quia Jura plus non requirunt, quam verum ac perfectum adulterium: quale revera in utroque est, si vir vas foeminae penetrat, etsi omnino non seminet, vel adventum seminis advertens, virilia extrahat, et extra vas seminet. Accedit, quod alias per iniquam illam seminis frustrationem facile elidi possent SS. Canones, *Criminis* impedimentum statuentes, et adulteri liberius peccarent, utpote carentes periculo impraegnationis, confusionis et poenae. 13

Nec obstat, quod ad contrahendam Affinitatem requiratur, ut saltem vir seminet per dicenda infra *Tit. XIV. de Consang. et Affinit. n* 37. quia impedimentum *Affinitatis* inductum est principaliter ob unitatem carnis, quae non nisi ex perfecta copula ad generationem sufficiente causatur, juxta dicenda *cit. Tit. XIV. n. 37. et seqq.* ac propterea etiam absque omni delicto contrahitur. Secus est de *Criminis* impedimento, quod praecise in odium et poenam delicti, ut ad illud evitandum ab Ecclesia est statutum, quod delictum longe majus, ac etiam frequentius est, si penetrato jam vase seminatur extra vas, vel saltem haud minus, si omnino non seminet vir, consequenter a poena immerito eximitur.

Illud verum est, quod, si vir solus lascivos actus exerceat, at absque immissione virilium in muliebria solam pollutionem extra vas committat, impedimentum non consurgat; quia in hoc casu proprium ac perfectum adulterium non est. 14

VI. Requiritur, ut, si promissio fit, sit vera ac seria, atque ab altera parte acceptata. Quod debeat esse seria, et non sufficiat ficta, docet Bosco *de Impedim. Matrim. sect.* 8. *Concl.* 4. *n.* 76. Perez *Disp.* 33. *sect.* 4. n. 2. Henriquez *lib.* 12. *de Matrim. cap.* 14. *n.* 3. et alii contra Sanchez *lib. 7. Disp.* 79. *n.* 10. Ratio est: tum quia ficta promissio non est promissio. Tum quia poenalia restringenda potius sunt, quam extendenda, c. *In poenis de Reg. Jur. in* 6. Confirmatur a simili in ficte rebaptizante, aut proferente haeresin, utpote poenas Juris non incurrente. 15

Quod autem debeat promissio esse acceptata, conveniunt DD. et ratio est, quia promissio non acceptata est nuda pollicitatio, nullam pariens obligationem, *l. Absenti. ff. de Pollicit.* Ex nota cum Bosco *loc. cit. Concl.* 4. *n.* 128. partem tacentem hic non censeri acceptare: quia acceptatio est in ejus praejudicium, utpote causans impedimentum, ubi autem taciturnitas est in damnum tacentis, tacens consentire non censetur, ut alibi diximus, *arg. c. Qui tacet. de Reg. Jur.* in 6. 16

Aliqui requirunt etiam mutuam promissionem, sed Sanchez *loc. cit.* n. 20. Palao *loc. cit. n.* 12. Pontius *lib. 7. cap.* 45. *n.* 2. Bosco *loc. cit. Concl.* 4. cum Communi rectius negant, *arg. c. Significasti.* 6. *h. t.* ubi expresse dicitur, quod *si alter eorum fidem dederit de Matrimonio contrahendo*, quae verba unius promissione verificantur. 17

Quaeritur II. Quandonam Machinatio in mortem conjugis constituat impedimentum *Criminis*? Et quid requiratur ad hoc? Resp. I. Solum homicidium conjugis ab altero conjuge factum, vel Machinatio in mortem ipsius non inducit impedimentum *Criminis*, sed tunc solum, quando vel cum homicidio conjungitur adulterium; vel quando peri 18

consensu viri et mulieris committitur homicidium conjugis. Circa *primam partem*, quod solum homicidium conjugis ab altero conjuge, etsi cum animo contrahendi cum alia factum non inducat impedimentum, conveniunt DD. quod id nullo Jure reperiatur constitutum.

19 *Secunda pars*, quod consurgat impedimentum, quando concurrit Adulterium conjugis, patet ex *dicti num.* 2. ac *seqq.* Solum hic addendum, nihil referre, sive occidens sit vir sive foemina, et sive occidatur uxor sive vir, ut cum communi aliorum bene observat Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 78. *n.* 8. Abbas *in c.* 1. *h. t. nu.* 3. Sylvester ꝟ *Matrimonium.* 7. *q* 6. *dict.* 1. contra paucos alios, *arg. can Si quis vivente.* 5. *caus.* 31. *q.* 1. ibi: *Nisi forte vir aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidisse notetur,* et *c.* 1. *Super* 3. et *c. Significasti.* 6. *h. t.* ubi impedimentum consurgere dicitur, si mulier machinata est in mortem uxoris alterius. Item non refert, sive Machinatio in mortem sequatur adulterium, sive antecedat, sicut supra diximus de Adulterio. Bosco *loc. cit.* Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 78. *n.* 10. quia Jura tantum requirunt adulterium cum machinatione in mortem, quod verificatur, sive sequatur, sive antecedat adulterium. Quae vero aliae conditiones requirantur ad talem Machinationem, ut sit Impedimentum, dicetur infra *n.* 21. *et seqq.*

20 *Tertia pars*, quod Impedimentum consurgat, si etiam sine adulterio vir et mulier communi consilio machinantur in mortem alterutrius conjugis, sive viri sive mulieris, conveniunt DD. *arg. c.* 1. *de Conversione Infidel.* ubi dicitur, *quod Saraceni, qui quarundam Christianarum viros, earum* (Christianarum uxorum) *insidiis, et machinationibus occiderunt, eis, nubere non possint.* Quae autem aliae conditiones ad hoc requirantur, et sufficiant, dicetur infra *num. seqq*

21 Resp. II. Ad hoc, ut Machinatio in mortem conjugis concurrens cum adulterio causet impedimentum *Criminis*, praeter conditiones ad adulterium *a n.* 7. requisitas requiritur I. Ut unus conjugum sit vera causa physica aut moralis mortis conjugis innocentis, v. g. praebendo venenum, manus injiciendo, aut mandando, consulendo, rogando, conducendo, ut occidatur. sola enim ratihabitio caedis jam factae, aut approbatio non sufficit, ut bene docet Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 78. *n* 6. Herin. *Disp* 6. *n.* 73. Palao *de Sponsal. Disp* 4. *pun.* 12. *n.* 4 cum Glossa *in can. Si quis* 5. *cau.* 31. *q.* 1. ꝟ. *Occidisse, arg. cit. c Si quis.* et *c. Significasti.* 6. *h. t.* Ratio est; quia ratihabitio non causat mortem, sed jam factam supponit. Nec obstat, quod ratihabitio mandato comparetur *c. Ratihabitionem. de Reg Jur. in* 6. ibi: *Ratihabitionem retrotrahi, et mandato comparari, non est dubium*: quia hoc intelligitur de his, quae a sola voluntate ratum habentis dependent, vel in iis, quae Jure disponente, pro mandato reputantur. Non requiritur autem, quod uterque concurrat; sed sufficit, si unus eorum, etiam altero inscio, id faciat; tunc enim si adulterium concurrat, jam consurgit impedimentum, *arg. cit. can. Si quis* ibi. *Nisi forte vir, aut mulier.* et *c. Significasti.* 6. *h. t.* ibi: *Nisi alter eorum in mortem fuerit machinatus*

22 II. Requiritur, ut mors ex tali Machinatione realiter, et in effectu sequatur, ut proin Impedimentum non consurgat, si mors non sequatur, quantumvis machinati sint ad illam, vel intenderint, Sanchez *lib.* 7. *Disp* 78 *n.* 7. cum Glossa *in c Super hoc.* 3. *h. t.* ꝟ *Machinata.* ac fere unanimis aliorum *arg. cit. can. Si quis vivente.* 5. *caus.* 31. *q.* 1. ibi: *Nisi occidisse notetur.* Nec obstat, quod *c.* 1. *c. Super hoc* 3. *c. Significasti* 6. *h. t.* de sola machinatione in mortem fiet mentio. Nam contra est: Tum quia verba sumenda sunt cum effectu, *arg c. Relatum.* 4. *de Clericis non resident.* praesertim in materia poenali, *arg. c. Haec autem verba. de Poenit. dist.* 1. Tum quia in poenalibus restringere potius, quam extendere debemus, *c. Odia, de R. J. in* 6. Inferunt DD. communiter, etiam tunc non consurgere Impedimentum, si mors sequatur quidem, et non vi machinationis praefatae, sed ex incuria, aut inscitia Medici, vel Chirurgi, aut aliunde.

23 III. Requiritur, ut Machinatio in mortem conjugis ab alterutro fiat eo fine et animo, quod occiso conjuge innocente, cum alio adultero Matrimonium inire velit, adeoque Impedimentum non sit, si ex alio fine fiat homicidium, v. g. ut liberius libidini quis vacare queat, etc. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 78. *n.* 13. Gutierrez *cap.* 105. *n.* 16. Bosco *de Impedim. Matrim sect.* 8 *Concl.* 5. Pontius *lib.* 7. *cap.* 45. *n.* 5 cum communi aliorum, quos sequitur Rota *in Noviss. decis.* 316. *n.* 28. contra paucos alios apud Sanchez *loc. cit. arg. c.* 1. §. *Ad hoc. de Convers. Infidel.* et *can. Si quis.* 5. *caus.* 31. *q.* 1. ibi: *Occidisse notetur, ut conjungeretur,* ut notat ibidem Glossa. Ratio desumitur ex fine hujus Impedimenti, qui fuit, ne unus conjux amore et cupiditate contrahendi cum alio, proprium conjugem occidat.

24 Notandum tamen hic, sufficere solam intentionem internam nullo signo externo manifestatam, ut contra Pontium *lib.* 7. *cap.* 45. *n* 4. et Perez *Disp.* 33. *sect.* 1. *n* 7. insigniter probat Bosco *de Impedim. Matrim. sect.* 8. *Concl.* 5. a *n.* 193. Ratio est: quia, licet alias Ecclesia non praecipiat actus mere internos, tamen hos indirecte saltem praecipere potest, et solet, quando actus internus est de essentia actus externi, prout est contritio respectu confessionis Sacramentalis, vel quando actus internus multum confert ad bonum commune, uti constat ex *Clem.* 1 *de Statu Monach* ubi Excommunicatio fertur in Monachum, qui intentione accusandi Superiorem se confert ad aulam Regiam: quae intentio utique est actus internus. Similiter praecipiuntur actus interni, *Clem. Multorum. de Haeret. c. Dolentes de Celebr.* notat ibidem idem Bosco post Sanches in Foro externo semper praesumi Machinationem in mortem conjugis factam esse animo ineundi cum alio Matrimonium, si mulier et vir alienus communi ope concurrant ad mortem conjugis innocentis, vel quando praecessit adulterium cum altero conjuge.

25 Resp. III. Ad hoc ut Machinatio in mortem conjugis sine adulterio causet Impedimentum, requiritur I. Ut tam vir, quam mulier contrahere volentes, moraliter vel physice concurrant ad mortem conjugis innocentis, *arg. cit. c.* 1. *de Convers. Infidel.* in quo differt ab Impedimento proveniente ex Machinatione conjuncta adulterio, juxta dicta *n.* 21. II. Requiritur, ut mors ex eorum Machinatione revera sequatur. III. Ut fiat intentione, quod dein morte secuta velint invicem contrahere Matrimonium, prout in secunda et tertia conditione *n.* 22. *et n* 23 posita diximus per Jura, rationes, et Doctores ibidem allegatos.

26 Quaeritur III. An *Criminis* impedimentum etiam tunc consurgat, quando adulterantes, et machinantes ignorant, inde oriri inter eos Impedimentum? Resp. Affirmative, Gobath *tr.* 9. *nu.* 202. Diana *p.* 10 *tit* 13. *Resolut.* 51. et consequenter illi omnes, qui universaliter docent, Impedimentum *dirimens* quodvis irritare Matrimonium, etsi ignoretur, inter quos sunt Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 40. *n.* 7. Perez *Disp.* 33 *sect.* 5 *n.* 3. Coninck *Disp.* 27. *n.* 13. dicens, hanc doctrinam certam esse et verissi-

num, Tannerus *Tom.* 2. *Disp.* 6. *q.* 6. *n.* 113. vocans hanc doctrinam certam et communem. Ratio est: tum, quia Canones statuentes Impedimenta, nullibi requirunt notitiam hujus Impedimenti. Tum, quia alia Impedimenta contrahuntur absque notitia, juxta dicta: ergo etiam hoc; cum non *sit* major ratio de hoc, quam aliis. Accedit praxis et consuetudo (optima Legum interpres, *c. Cum dilectus, de Consuetud.*) Curiae tam Romanae, quam aliarum Ecclesiasticarum, qua constat, etiam illos, qui ignorantes Impedimentum *Criminis* annexum contraxerunt, indigere dispensatione ad valide contrahendum, de quibus vide etiam Corradum *Prax. dispensat. Apostol. lib.* 8. *cap.* 9. *n.* 7.

27 Objicies: Ignorantia poenae Ecclesiasticae excusat a poena, etsi caeteroquin quis peccet contra Legem, *arg. c. Ut animarum.* 2. *de Constit. in* 6. atqui Impedimentum *Criminis* statutum est per modum poenae in odium delicti, ergo. Resp. Negando *Majorem*, quia, qui culpabiliter transgreditur Legem, incurrit etiam ejusdem poenam, etsi hanc transgressoribus impositam esse ignoret (exceptis Censuris) prout habet communis Doctorum, et amplius dicetur infra.

Nec obstat *c. Ut animarum.* 2. *de Constit. in* 6. quia ibi est quaestio de Censura excommunicationis, quae utique non incurritur sine notitia, hoc ipso, quod requirat contumaciam, quae sine notitia non datur. Accedit, quod dato, non concesso, ignorantia poenae excuset a poena simpliciter lata, tamen non excusat a poena inhabilitatem inducente, prout est in proposito Impedimentum *Criminis.* Plura de hoc alibi.

TITULUS VIII.

De Conjugio Leprosorum.

SUMMARIUM.

1 *Ratio Ordinis.*
2 *Lepra nec impedit, nec dirimit Matrimonium.*
3 *Nec solvit quoad vinculum Matrimonium needum consummatum. Et num. seq.*
5 *Praebet tamen causam solvendi Sponsalia.*
6 *Non item divortium; aut negandi debitum conjugale.*
7 *Nisi judicio peritorum sit periculum gravis infectionis.*
Charitas incipit ab Ego. Ibid.
8 *Qui scivit prius, futurum conjugem esse lepra infectum, non potest ob periculum infectionis ei negare debitum.*
9 *Idem, quod de lepra dictum, de aliis infirmitatibus intelligi etiam debet.*
10 *Qui sine periculo infectionis potest cohabitare, tenetur ad id; etsi debitum sine periculo reddere nequeat.*

1 Quandoquidem Leprosi a consortio hominum separari solent, Matrimonium autem individuam vitae societatem exigat, merito occasione Impedimentorum agitur etiam de Matrimonio Leprosorum, indagando, An etiam inter hos, et quomodo Matrimonium consistere valeat?

2 Quaeritur itaque I. An Lepra sit Impedimentum Matrimonii contrahendi, vel contracti? vel saltem praebeat causam dissolvendi Sponsalia? Resp. I. Lepra nec *dirimens*, nec *impediens* est Impedimentum Matrimonii, non tantum, si ambo sunt leprosi, sed etiam, quando unus tantum Leprosus est; dummodo inveniat, qui ei nubere velit. Communis ac certa, textu expresso *c. Quoniam.* 2. *h. t.* ibi: *Leprosi autem si continere nolint, et aliquam, quae sibi nubere velit, invenerint, liberum est eis ad Matrimonium convolare.*

Resp. II. Ob Lepram supervenientem non potest quoad vinculum solvi Matrimonium, *sive* copula carnali consummatum sit, *sive* non. Rursus unanimis. Et quidem si Matrimonium jam fuit consummatum, patet ex *c.* 1. §. *Quoniam. h. t.* Ratio est; quia tunc Matrimonium est indissolubile Jure Divino *Matth.* 19. *v.* 6. Altera pars, quod etiam Matrimonium solummodo ratum, et nondum consummatum, per Lepram non dirimatur, constat ex *c.* 2. *eod.* Et ratio est; quia sola Professio Religiosa habet virtutem dirimendi Matrimonium ratum, nondum consummatum, *c. Veniens.* 2. et *c. Ex publico* 7. *de Convers. Conjug.* 3

Nec obstat *c. fin. h. t.* ubi dicitur, quod superveniente Lepra in uno conjuge, alter ad eum accipiendum cogi non debeat; cum nondum inter eos Matrimonium fuerit consummatum. Resp. enim, ibi per ly *consummatum* non intelligi consummationem per copulam carnalem, sed de consummatione per consensum, quo perficitur, seu consummetur Matrimonium quoad essentiam, *arg. l. Nuptias.* 30. *ff. de Reg. Jur.* et notant in *cit. fin. c.* Doctores communiter, patetque aperte per contextum, utpote qui non erat de Matrimonio, sed de Sponsalibus, ad quae perficienda seu executioni mandanda, consequenter ad consummanda per Matrimonium nemo cogi potest, si Lepra supervenerit. 4

Resp. III. Lepra superveniens sufficientem praebet causam solvendi Sponsalia de futuro. Rursus unanimis textu expresso *c. fin. h. t.* et jam dictum est supra. 5

Quaeritur II. An Lepra vel alia infirmitas superveniens praebeat causam divortii, et negandi debitum conjugale, ita ut sanus a leproso quoad Thorum et cohabitationem se separare, et debitum conjugale negare valeat? Resp. I. Ordinarie loquendo, ob supervenientem Lepram sanus conjux a leproso nec separari, nec eidem debitum conjugale negare potest, nisi judicio Medicorum aut peritorum probabile sit periculum gravis infectionis. Ita expresse statutum habetur *c.* 1. *et* 2. *h. t.* ibi: *Quoniam nemini licet* (excepta causa fornicationis) *uxorem dimittere; constat, quod sive mulieri lepra percussa fuerit, sive alia gravi infirmitate detenta, non est a viro propterea separanda, vel etiam dimittenda.* Et infra *quod, si virum sive uxorem leprosum fieri contigerit, et infirmus a sano carnale debitum exigat, generali praecepto Apostoli, quod exigitur, est solvendum: cui praecepto nulla in hoc casu exceptio invenitur.* 6

Dicitur autem notanter in Conclusione: *Nisi judicio Medicorum, aut peritorum probabile sit periculum gravis infectionis.* Hoc enim in casu debitum negare, separationem a Thoro et cohabitatione petere omnino posset conjux sanus, si non tantum ex debito conjugali, sed etiam ex sola cohabitatione praefatum periculum timendum foret, juxta communem DD. ut videre est apud Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 24. *n.* 17. Barbosam *in c.* 2. *h. t.* Navarrum *in Manual. cap.* 16. *n.* 25. Engel *h. t.* Pirhing *h. t. n.* 10. *arg. c.* 1. *h. t.* ubi dicitur *quod, si sani non possint induci, ut conjugaliter cohabitent leprosis conjugibus, cogi non possint*, dummodo uterque altero vivente continentiam servet. Ratio est; quia prudenter praesumi non potest, quod vel ipsi contrahentes obligare se intenderint, vel ipsum Matrimonium obliget ad talem usum Matrimonii, qui evidenter vergit ad destructionem proprii individui; praesertim cum 7

usus Matrimonii sequatur rectum ordinem naturae, utpote in cujus Officium est institutum: Rectus autem Ordo naturae postulat, aut saltem concedit, ut prius consulatur incolumitati proprii individui, hoc ipso, quod ordinata charitas incipiat ab Ego, *arg. can. Si non licet. 9. cau. 2. q. 5. et c. Dilecte. de Praebend.*

8 Hic tamen notandum cum Sanchez *loc. cit. n.* 22. Ledesma *loc. cit.* Barbosa *loc cit. n.* 4. Bonacina *loc. cit. num.* 8. quod, si Lepra aut alius morbus etiam contagiosus praecessit Matrimonium, et hoc sanus Sponsus scivit, non possit negare debitum, nec praetendere separationem, etsi adsit periculum similis infectionis. Ratio est; quia per contractum scienter ad hoc se obligavit, et sibi imputare debet, quod talem conjugem acceperit. Accedit, quod si leprosum conjux scivisset, talem ob Lepram, aut aliam infirmitatem, quam ei fideliter detegit, vel non abscondit, sibi negaturum debitum conjugale, forsan cum alio contraxisset, prout poterat, *arg c. 2. h. t.*

9 Resp. II. Idem, quod de Lepra diximus, etiam de aliis infirmitatibus procedit, videlicet quod ob eam sanus ab infirmo nec quoad Thorum separari, nec eidem debitum conjugale negare possit, nisi ex eo probabile exsurgerat periculum infectionis. Sanchez *loc. cit num.* 18. Bonacius *de Matrim. q.* 4. *pun.* 1. *n.* 8. Ledesma *de Matrim. q.* 64. *a.* 1. *dub.* 2. Barbosa *loc cit n.* 3. cum communi, *arg. c.* 2. *h. t.* ibi: *Vel alia gravi infirmitate detenta.* Idque ob eandem rationem: ubi enim eadem est ratio, eadem est legis dispositio, *l. Ideo. ff. de Legib.*

10 Id tamen hic notandum, quod, si solum periculum timendum sit ex debito conjugali, non item ex cohabitatione, ad hanc teneatur sanus, licet debitum reddere non obligetur, quia praeter debitum conjugale specialis conjugibus incumbit obligatio ad cohabitandum, *arg.* c. 2 *h. t.* cum Concordantiis, consequenter, si nulla causa excusans adest, ad eam tenebitur. Et sane saepe occurret casus infirmitatis, ob quam licebit negare debitum conjugale, non item cohabitationem aut Thorum.

TITULUS IX.

De Conjugio Servorum.

SUMMARIUM.*

1 *Ratio Continuationis.*
2 *Impedimentum Conditionis quid?*
3 *Est Jure naturae introductum.*
4 *Persona libera si contrahat cum servili, quam servilem esse ignorat, Matrimonium est nullum.*
5 *Dummodo proprie sit servus, aut ancilla.*
6 *Duae personae serviles valide ac licite etiam invito Domino contrahant Matrimonium.*
7 *Solvitur objectio.*
8 *Matrimonium liberae cum servili cognita ut tali validum ac licitum est.*
9 *Solvitur instantia.*
10 *Liber contrahens cum libera, quam putat esse servam, valide contrahit.*
11 *De liberis servorum, et divortio liberi cum serva. Remissive.*

1 Adductis nonnullis Impedimentis Matrimonii pergit Compilator Canonum in praesenti ad aliud, *Conditionis* nempe impedimentum, de quo in praesenti Titulo agitur, simulque statuitur, quid Juris de Conjugio servorum.

Quaeritur I. Quid sit? et in quo consistat impedimentum *Conditionis*? Item quo Jure sit introductum? Resp. I. Impedimentum *Conditionis* est error circa statum servilem personae, cui nubit libera persona: Et consequenter istud Impedimentum consistit in hoc, quod libera persona ex errore aut ignorantia contrahat cum persona servili, et propterea Matrimonium nullum ac irritum est. Ita in re communis, *arg. toto Tit. praesenti*, patebitque statim ex *sequentibus*. 2

Resp. II. Impedimentum *Conditionis* non solo Jure humano Ecclesiastico, sed etiam naturali est introductum. Scotus *in* 4. *dist.* 30 *q.* 1. et ibi Magister Sententiarum, Sylvester *V. Matrimonium.* 6. *q.* 1. *et* 2. et alii contra Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 19. *n.* 16. et communiorem aliorum. Ratio est; quia error *Conditionis* semper supponitur evacuare totum consensum. Hoc ipso enim, quod per Matrimonium fiat permutatio corporum, et mutua traditio pleni Juris, illud in ordine ad usum Matrimonialem, servus autem liberum usum corporis sui non habeat, ut propterea dare non possit, merito praesumitur, nolle liberam personam commutare potestatem sui corporis cum potestate corporis servi, utpote quam non habet; uti bene discurrit Doctor subtilis *loc. cit.* Accedit, quod in toto Jure non reperiatur textus irritans Matrimonium cum Impedimento *Conditionis* contractum, consequenter supponat illud Jure naturae jam esse irritum, defectu nempe consensus, cujus defectu Matrimonium irritum esse Jure naturae, nemo negat. Quod si contendas, fieri posse, quod libera persona ignorans Conditionem servilem alterius adhuc habeat consensum contrahendi cum tali persona, Resp. Tunc esse Matrimonium validum, sed negatur, id praesumi posse, aut debere ob rationem supra dictam. 3

Quaeritur II. Quid Juris de Matrimoniis servorum tam cum liberis, quam inter se contractis? An nempe, et quando valida sint et licita? Resp. I. Si servus contrahit cum libera, aut ancilla cum libero ignaro, contrahentem secum esse personam servilem, nullum ac irritum est Matrimonium ob Impedimentum *Conditionis.* Unanimis ac certa, textu expresso *c.* 2. *et fin. h. t.* juncto *can. Si quis ingenuus.* 4. *can.* 29. *q.* 2. ibi: *Si quis ingenuus homo uxorem Ancillam alterius acceperit, et existimat, quod ingenua sit, si ipsa foemina postea in servitute fuerit detecta, si voluerit, aliam accipiat. Si autem Ancillam eam sciebat, legitimam eam habeat: similiter et mulier ingenua de servo alterius facere debet.* 4

Procedit autem Conclusio solummodo de Servis et Ancillis proprie talibus: non item de Servis *Adscriptitiis*, nec de *Originariis*, cum his enim Matrimonia per liberos contracta valida esse, etsi liberae personae ignoraverint Conditionem illarum, cum quibus contraxerant, cum communi aliorum bene docet Abbas in *c.* 2. *h. t. n.* 5. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 19. *n.* 9. Ratio est: Tum quia verba in propria significatione sunt accipienda, *arg. l. Non aliter ff. de Legatis. III.* ibi: *Non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam, cum manifestum est, aliud sensisse Testatorem, cum concord.* Tum quia *Adscriptitii* et *Originarii* re ipsa adhuc sunt liberi, *arg. l. Definimus.* 13. *C. de Agric. et Censit.* Quinam vero sint servi proprie dicti, quinam improprie tales, seu *Adscriptitii*, et *Originarii*, et unde veniant: item qualis natura et obligatio eorum, vide *Tit. I. Tit. XVIII. de Servis non ordinand.* Porro persona, quae inter Masculos dicitur *servus proprius*, inter foemellas dicitur *Ancilla*, *arg cit. can. Si quis ingenuus.* 4. *caus.* 29. *q.* 2. cum Concordantiis. 5

Resp. II. Matrimonium inter duas personas *serviles*, Servum videlicet et Ancillam proprie tales 6

licitum et validum est, *etiamsi contradicente domino* sit contractum. Ita cum D. Thoma *in 4. dist.* 36. *q. un. a.* 2. Doctores universi, teste Sanchez *Lib.* 7. *Disp.* 21. *n.* 3. ob clarem dispositionem Juris *c.* 12. *h. t.* ibi: *Nec inter servos Matrimonia debent ullatenus prohiberi: etsi contradicentibus Dominis et invitis contracta fuerint, nulla ratione propter hoc sunt dissolvenda.* Ratio est; quia Matrimonium Jure naturali ac Divino tum ad propagationem, et conservationem generis humani, tum in remedium concupiscentiae concessum est, quod Servis suis Dominus auferre non potest.

7 Nec obstat, quod Servi ad Professionem Religiosam invito Domino non admittantur *arg. can. Si quis servum* 37. *et* 38. *caus.* 17. *q.* 4. cum Concordantiis. Et etiam prohibitum sit, invito Domino servum ordinare, prout patet ex *Toto Tit. de Servis non ordinandis.* Nam contra est, quod non eadem sed diversa ratio sit inter Matrimonium et Professionem Religiosam, ac sacram Ordinationem; cum enim per hanc utramque homo Deo et Divinis Obsequiis toto vitae tempore totaliter mancipetur, et propterea a servitiis Domino debitis eximatur et impediatur, injuria fieret Domino, et injustitia committeretur, si invitus suo jure, et obsequiis sibi debitis privaretur; quod in Matrimonio minime contingit; quia a Servis et Ancillis etiam Matrimonio conjunctis *debita et consueta servitia non minus debent propriis Dominis exhiberi*, uti expresse decretum est *c.* 1. *h. t.*

8 Resp. III. Licitum et validum est Matrimonium, quod libera persona cum *Servili* contrahit, casu quo prius scit, eum esse personam servilem proprie talem. Unanimis ac certa, textu expresso *c.* 2. *et fin. h. t.* juncto *can. si quis liber* 2. *can. Si quis ingenuus. can. Si foemina* 5. *caus.* 29. *q.* 2. ibi: *Si foemina ingenua acceperit servum, sciens, quod servus esset, habeat eum.* Ratio est, quia tunc cessat *Error*, et contrahens libera persona non decipitur, censeturque remittere jus suum, consequenter abest impedimentum *Conditionis*, et, ut supponitur, quodvis aliud.

9 Nec obstat *l. Cum ancillis.* 3. *C de Incestis Nuptiis*, ubi Matrimonium Liberorum cum Ancillis reprobatur; quia *ex hujusmodi Contubernio* (ubi ibidem rationem apponens ait Imperator) *servi nascuntur.* Nam contra est, quod dicta *L.* 3. correcta sit a Jure Canonico, per Canones *num praeced.* citatos, uti bene advertit Abbas *c. Proposuit. h. t. n.* 3. in materia autem Matrimoniali standum est Juri Canonico, *arg. penult. et ult. h. t. de Secundis Nupt.*

10 Resp. IV. Pariter valet Matrimonium, quod Liber contrahit cum Libera, quam ex errore putat servam, vel etiam Servus liberam, quam existimat esse servam; dummodo Libera sciat conditionem Servi, Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 19 *n.* 23 dicens, Conclusionem esse certissimam, Hostiensis *in c. fin. h. t. n.* 2. cum communi aliorum contra nonnullos. Ratio est; quia Impedimentum Conditionis tantum inductum est in casu, quo contrahens ex ignorantia seu errore status, deteriorem faceret conditionem suam, et damnum incurreret irreparabile: quod non contingit, si Liber contrahit cum Libera, quam putat esse Servam; quia exinde non deterioratur ejus conditio: nec, si Servus cum Libera, quam credit esse Ancillam, quia melioratur ejus conditio. Accedit, quod in dubio et controversia judicandum et sentiendum sit pro valore Matrimonii, *c. Licet ex quadam.* 47. *de Testib. et Attestat.*

11 Quaeritur III. Quid Juris de prolibus natis e parentibus, quorum unus Liber, alter Servus est? Resp. Ad hoc Quaesitum pate *Tit. seq.*

Quaeritur IV. An? et quomodo Liber recedere possit a conjuge *servili*, cum qua ignarus *Conditionis servilis* contraxit? Resp. Ad hoc Quaesitum patere infra *Tit. XIX De Divortiis*, ubi universaliter docebimus, an, et quo modo discedere possint aut debeant? qui cum Impedimento *dirimente* contraxerunt.

TITULUS X.

De Natis ex libero ventre.

SUMMARIUM.

1 *Ratio Ordinis.*
2 *Proles sequitur quoad statum Servitutis et Libertatis conditionem Matris.*
3 *Est tamen proles libera, si Mater talis fuit sive tempore conceptionis, sive nativitatis.*
Libertas res inaestimabilis, et omnibus rebus favorabilior est Ibid.
4 *Quoad Nobilitatem et Dignitatem proles legitime natae sequuntur conditionem Patris.*
5 *Tandem sequuntur etiam uxores.*
6 *Quae tamen cuncta limitantur, si alicubi contraria consuetudo,*
7 *Aut specialia Statuta sunt.*
Statuta Ecclesiarum Cathedralium, et consuetudinibus de non admittendis nisi Nobilibus, an et quali clausula in Brevi Papali censeatur derogatum? Ibid.

Quia, ut ex *Tit. praeced.* constat, potest 1
Servus licite et valide contrahere Matrimonium cum Libera (si haec velit) etiam Liber cum Serva; hinc merito subjungitur praesens Titulus de statu prolium ex tali conjugio procreatarum, praesertim illarum, quae ex libero ventre, id est, Matre existente libera persona, et patre existente Servo gignuntur. Itaque

Quaeritur. Cujus conditionis et status reputentur, 2
et sint proles, si diversae conditionis existant parentes, praesertim si pater est Servus, Mater vero libera? Resp. I. Proles quoad ingenuitatem, seu libertatem, et Servitutem sequuntur Matrem, ita, ut si Mater sit Ancilla, proles quoque evadant personae serviles, etsi pater sit ingenuus: et econtra, si Mater sit ingenua, tales etiam sint proles, etsi pater sit Servus. Ita communis ac certa; quia juxta tritam illam Regulam *Partus sequitur ventrem*, id est, conditionem Matris suae, quae prolem in ventre portat, *arg. l. Partum* 7. *C. de Rei vendicat.* ibi: *Partum ancillae Matris sequi conditionem, nec statum patris in hac specie considerari, explorati Juris est, prin. Instit. de Ingenuis, ac l. Nec diutius.* 22. *D. de Agricol. et censib.* juncto *c. fin. de Servis non ordinand.* ibi: *Mater sua, cujus conditionem debet imitari*, cum concordantiis. Ratio hujus multiplex allegatur a Juristis: Inter quas est, quod Mater, quae in et extra uterum prolem sanguine et lacte nutrit, plus conferat ad generationem et substantiam prolis, quam pater; consequenter a potiori merito fiat denominatio. Item, quia Legislatores ad id, quod certius est, aspexerunt. De Matre autem prolis semper certius constat, quam de patre, *arg. l. Filium.* 6. *ff. De his, qui sui vel alieni jur.*

Sufficit tamen ad prolis libertatem, si Mater 3
libera vel ingenua fuit; sive deinde tempore conceptionis, sive nativitatis, sive intermedio, texto expresso *l. Et servorum* 5. § 2. *et* 3. *de Statu hominum, et prin. Instit. de Ingen.* ibi: *Sufficit autem liberam*

fuisse Matrem eo tempore, quo nascitur, licet Ancilla conceperit, et a contrario, si libera conceperit, et dein ancilla pariat, placeit eum, qui nascitur, liberum nasci, idque ob favorem Libertatis: nam *Libertas res inaestimabilis est, l. Libertas.* 106. *de Reg. Jur.* et omnibus rebus favorabilior est, *l. Libertas.* 122. *ff. eod.*

4 Resp. II. Quoad Familiam, Nobilitatem, dignitatem et honorem proles legitima natae sequuntur conditionem patris, ita, ut si hic sit Nobilis, tales sint etiam proles, etsi Mater sit plebeia: Econtra si pater sit ignobilis, tales etiam reputantur proles. Est communis *arg. l. Cum legitimae.* 19. *ff. de Statu hom.* ibi: *Cum legitimae nuptiae factae sunt, patrem liberi sequuntur*, supple quoad honorem et dignitatem, ut Jura Juribus concordentur. Hinc notanter dicitur *in l. Partum.* 7. *C. de Rei vendicat. in hac specie*, libertatis nempe, et servitutis, statum patris non considerari: ergo a sensu contrario in aliqua specie, dignitatis videlicet et honoris statum patris considerare oportet.

5 Imo in hac specie etiam foemina nanciscuntur conditionem viri, textu expresso *l. Faeminae.* 8. *ff. de Senat.* ibi: *Foeminae nuptae clarissimis personis, clarissimarum personarum appellatione continentur*, et *l. Mulieres.* 13. *C. de Dignit.* ibi: *Mulieres honore maritorum erigimus, genere nobilitamus etc. Si autem minoris ordinis virum posteo sortitae fuerint, priori dignitate privatae, posterioris mariti sequuntur conditionem.*

6 Caeterum utraque tam *n.* 2. quam *n.* 4. posita Conclusio limitatur in loco, ubi alia habetur consuetudo, haec enim in ista materia approbatur, *c. Licet.* 3. *de Conjug. servo.* et merito, quia, quod partus in hac vel illa specie sequatur patrem vel matrem, est meri Juris humani, contra quod utique consuetudo valet, *c. fin. de consuetud.*

7 Limitatur insuper posterior Conclusio *numer.* 4. posita in loco, ubi specialia statuta habentur aut leges, vi quarum in prole requiritur Nobilitas ex utroque parente; qualia statuta vigent in multis Ecclesiis Cathedralibus Germaniae, vi quorum ad Canonicatum assumi nequit, qui Nobilitatem ex utraque Linea Materna nempe, et paterna per certam seriem probare non potest. Quibus tamen statutis sicut et consuetudini Papa procul dubio derogare potest, et acta derogat, quando in collatione Canonicatus illam salutarem clausulam inserit: *non obstantibus quacunque consuetudine, vel particularibus statutis Ecclesiae*, nisi consuetudo esset immemorialis, vel statuta juramento essent roborata, aut a Pontifice confirmata: Quamvis et his Papa derogare possit, et actu deroget, si id exprimat, utendo clausula: *non obstante quacunque consuetudine etiam immemoriali, vel statutis Ecclesiae juramento, vel auctoritate Apostolica confirmatis etc.* uti videre est apud Barbosam *de Clausulis, Clausula* 84. et 87. et diximus amplius *Lib. I. Tit. II. de Constit. a n.* 498. *et Tit. IV. a. n.* 188.

TITULUS XI.

De Cognatione Spirituali.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
2 *Cognatio Spiritualis quid? Et unde?*
3 *Ex Catechismo non amplius oritur Cognatio Spiritualis.*
4 *Cognatio spiritualis nec naturali, nec Divino,*
5 *Sed solo Ecclesiastico Jure introducta est.*
6 *Cognatio spiritualis olim triplex fuit, Paternitas nempe, Compaternitas, et Fraternitas. Et duobus num. seqq.*
9 *Hodie est restricta.*
10 *Et tantum datur inter personas a Concilio Tridentino specificatos tam ex Baptismo,*
11 *Quam ex Confirmatione: et quae sint hae personae?*
12 *Doctrina practica, inter quas personas non versetur Cognatio spiritualis.*
13 *Ex Baptismo invalide collato non oritur Cognatio spiritualis.*
14 *Bene vero ex Baptismo privatim collato.*
15 *Nisi parens in necessitate baptizaret.*
16 *Si unus tantum patrinus, vel unus et una designati, actuali Baptismo assistunt, contrahunt Cognationem spiritualem.*
17 *Secus, si Baptismo prius jam collato, solis postea assistunt ceremoniis.*
18 *Quid, si Baptismus iteratur?*
19 *Prohibitum est plures adhibere Patrinos quam duos, unum nempe, et unam*
20 *Si plures, quam fuerint designati, teneant infantem, soli designati contrahunt Cognationem spiritualem.*
21 *Si vero plures quam duo fuerint designati, omnes eam contrahunt.*
22 *Patrini etiam in privato Baptismo contrahunt Cognationem spiritualem.*
23 *Etiam per procuratorem tenens infantem, contrahit Cognationem spiritualem, et non procurator.*
24 *Plures requiruntur conditiones ad hoc, ut Patrinus in Baptismo, vel Confirmatione Cognationem spiritualem contrahat. De I. et II. Remissive.*
25 *III. Ut sit designatus a parentibus, et habeat intentionem exercendi munus patrini.*
26 *IV. Ut Baptizandum vel Confirmandum per se, vel per alium physice teneat: et quomodo?*
27 *V. Ut Patrinus in Confirmatione sit prius ipse Confirmatus.*
28 *VI. In Baptismate autem sit ipse baptizatus.*
29 *Obligatio Patrini quae?*
30 *Parens in Baptismo solemni absque ulla necessitate levans proprium infantem, nullam contrahit Cognationem spiritualem.*
31 *Solvitur instantia. Et num. seqq.*

Inter Impedimenta *dirimentia* praecipuum, et valde frequens est *Cognatio*, quae triplex invenitur, *Spiritualis* nempe, *Legalis*, *et naturalis* seu carnalis. De prima utpote digniore in praesenti, et duabus aliis in subsequentibus agitur Titulis. 1

Quaeritur I. Quid, et quotuplex sit *Cognatio Spiritualis* in ordine ad dirimendum Matrimonium? 2 et quo Jure introducta? Resp. I. *Cognatio Spiritualis* est propinquitas personarum proveniens ex dispensatione Sacramentali Baptismatis, et Confirmationis. Scotus *in* 4. *dist.* 42. *q. un. n.* 2. Estque in re communis, *arg. Toto praesenti Titulo* Adducitur autem causa hujus Impedimenti, dispensatio nempe solius *Baptismi; et Confirmationis; quia ex datione aliorum Sacramentorum Cognatio spiritualis nequaquam oritur, quae Matrimonium impediat, aut dissolvat*; prout his ipsis verbis dicitur *c. fin. h. t. in* 6.

Dices, etiam ex Catechismo seu instructione 3 Fidei oritur Cognatio Spiritualis et Impedimentum saltem *impediens* Matrimonium, textu expresso *c. Contracto* 5. *h. t.* et *c.* 2. *eod. in* 6. ergo *Cognationis Spiritualis* definitio non est bona, utpote non

omni definito conveniens. Resp. Cognationem et Impedimentum ex Catechismo sublatum, et Jus antiquum in hoc correctum fuisse a Concilio Tridentino *Sess.* 24. *de Reform. cap.* 2. prout contra paucos alios advertunt Pontius *lib.* 6. *cap.* 14. *n.* 3. Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *Disp.* 10. *n.* 10. ipsisque testibus declaravit S. Congregatio, et Motus proprius Pii V. confirmatque ipsa praxis et universalis Ecclesiae *consuetudo, optima Legum interpres, c.* 8. *de Consuet.*

4 Resp. II. *Cognatio Spiritualis*, et consurgens inde Impedimentum *dirimens* non Divino, aut naturali, sed solo jure Ecclesiastico est introductum. Covarruvias *de Matrim. p.* 2. *cap.* 6. §. 4. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 54. *n.* 2. eoque teste Omnes. Et quidem, quod Jure naturali non sit introductum, patet; quia Sacramenta, ex quibus *Cognatio Spiritualis* oritur, non ex natura, sed ex sola institutione Christi originem habent. Quod autem nec ex Jure Divino proveniat, inde constat; tum quia de hoc nec ex SS. Litteris, nec ex traditione Apostolica aliquid habetur: Tum quia si ex Jure Divino esset, Papa in eo nec dispensare, nec illud pro arbitrio immutare valeret, per dicta *Lib. I. Tit. II. n.* 455. *arg. can. Inferior.* 4. *dist.* 21. *et c. Cum inferior. de Majorit. et Obedient.* Quod tamen factum est per Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 2. cujus textum vide infra *n.* 18.

5 Quod vero Jure Ecclesiastico introductum habeatur, patet ex Juribus *n.* 2. citatis, *totoque hoc Titulo, et can.* 30. *q.* 1. *et* 3. Ratio autem hujus Ecclesiasticae Constitutionis est, quia per dispensationem Sacramentorum Baptismi, et Confirmationis fit spiritualis quaedam generatio: Baptismus enim dat primam vitam spiritualem, quae dein per Confirmationem perficitur, et roboratur, ut cum S. Thom. advertit S. Bonaveut. *in* 4. *dist.* 42. *a.* 1. *q.* 1. et notatur *can.* 1. *ac seqq. caus.* 30. *q.* 1. *et* 3. Hinc, sicut ex generatione naturali oritur *Cognatio naturalis* Matrimonium *dirimens*, sic voluit Ecclesia, ut etiam ex generatione spirituali *Cognatio* et parentela oriatur *Spiritualis*, pariter Matrimonium dirimens, idque ex decentia ac reverentia, quam spiritualiter nati debent suis spiritualibus genitoribus, *arg. cit. can.* 1. *et seqq. cau.* 30. *q.* 1. juncta *l. Si quis alumnum.* 26. *C. de Nupt.*

6 Resp. III. *Cognatio Spiritualis* antiquo Jure triplex fuit. *Paternitas* nempe *Compaternitas*, et *Fraternitas*. *Paternitas spiritualis* est propinquitas, seu Cognatio spiritualis, inter Baptizantem vel Confirmantem, eorumque uxores, et Baptizatum vel Confirmatum, item inter Baptizati, aut Confirmati patrinum ejusque uxorem, et inter ipsum baptizatum, et confirmatum, *arg. can. Ita diligere,* 1. *cau.* 30 *q.* 1. *can. De eo.* 5. *ead. can. et q. can. ex eo.* 4. *cae.* 30. *q.* 1. juncto *c.* 1. *h. t. in* 6.

7 *Compaternitas spiritualis* est Cognatio inter baptizati et confirmati naturales parentes ex una, et inter baptizantem et confirmantem, atque patrinos, eorumque uxores ex altera parte, *can. Si quis.* 3. *can.* 30 *q.* 4. juncto *cap.* 1. *eod. in* 6.

8 *Fraternitas spiritualis* est Cognatio inter Baptizatum, vel Confirmatum ex una, et filios naturales baptizantis, vel confirmantis, atque patrinorum ex altera parte, *can.* 2. *et* 3. *cau.* 30. *q.* 3. *et c.* 1. 3. *et* 7. *h. t.*

9 Jure autem novo *Trident. Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 2. haec *Fraternitas spiritualis* omnino sublata est; *Paternitas* autem, ac *Compaternitas* certo modo restricta fuit, uti statim patebit ex *seq. num.*

10 Quaeritur II. Inter quos hodierno Jure versetur *Cognatio Spiritualis* inducens Impedimentum Matrimonii *dirimens* proveniens ex Baptismo? Resp. I. Ea hodie praecise versatur inter personas a Concilio Tridentino specificatas, videlicet primo inter baptizantem, ac etiam patrinum seu levantem ex fonte Baptismali ex una, et baptizatum ex altera parte, tanquam inter parentes, et prolem spiritualem, inter quos proin versans Cognatio vocatur *Paternitas spiritualis* per Jura *numer.* 6. allegata. Secundo versatur inter Baptizantem, ac etiam patrinum ex una, et Baptizati patrem ac matrem tanquam inter compatres, cum, sicut hi sunt parentes naturales, sic isti sunt parentes spirituales prolis baptizatae. Hinc etiam Cognatio inter eos versans *Compaternitas* est, et dicitur per Jura *n.* 7. citata. Ita hodie certa ac unanimis, patetque tota Conclusio ex Concilio Tridentino ait. *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 2. ibi: *Volens sancta Synodus incommodo providere etc. statuit, ut unus tantum vir, sive mulier juxta sacrorum Canonum statuta, vel ad summum unus, et una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos et baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, nec non inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem tantum, spiritualis Cognatio contrahantur*, et infra: *Quod, si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, Cognationem spiritualem nullo pacto contrahant: Constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus.* Quae ultima verba correctionem Juris antiqui aperte indicant; quod implicite fit per dictionem *tantum*, quae solum expressum includit, et reliqua excludit, *arg. l. Qui aliena. §. Libertas. ff. de Negot. gest.* cum Concordantiis.

Resp. II. *Cognatio spiritualis* ex Confirmatione consurgens hodie eodem modo, et inter easdem personas, ut in Baptismo oritur, ita ut non nisi inter Confirmantem, ac etiam Patrinum ex una, et inter Confirmatum Confirmatique patrem et matrem ex altera parte versetur, ac tanquam Impedimentum, Matrimonium dirimat. Caret controversia ob claram dispositionem Concilii Tridentini *loc. cit.* ubi post textum de Cognatione ex Baptismo *num. praeced.* statim subjungit: *Ea quoque Cognatio, quae ex Confirmatione contrahitur, Confirmantem et Confirmatum, illiusque patrem et matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas hujus spiritualis Cognationis impedimentis omnino sublatis.* Rationem utriusque hujus Conclusionis et Constitutionis suae restrictivae Concilium *loc. cit.* praemittit illis verbis: *Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque huic incommodo providere etc.* 11

Infertur, *Cognationem spiritualem* hodie non amplius oriri I. Inter virum et uxorem simul levantes infantem ex Baptismo, secus olim *can. sin. cau.* 30. *q.* 4. II. Neque inter baptizatum vel ipsius patrem ex una, et baptizantis vel levantis uxorem ex alia parte; licet aliter olim *c. Martinus.* 4. *h. t.* III. Neque inter Baptizantem, et levantem, levantisque uxorem. IV. Neque inter baptizatum et confirmatum ex una et filiam baptizantis, confirmantis, aut levantis, vel tenentis ex altera parte, secus olim *c. fin. h. t.* Ratio horum omnium est: quia inter has personas non statuitur *Cognatio Spiritualis* Impedimentum inducens a Concilio Tridentino, quod solum hodie in hoc puncto observandum est. 12

Quaeritur III. An etiam ex Baptismo invalide, aut privatim, vel in necessitate collato oriatur Cognatio Spiritualis? Resp. I. Ex Baptismo ob defectum materiae, formae, aut intentionis invalide collato, nulla oritur *Cognatio Spiritualis*, conse- 13

quenter nullum Impedimentum. Conveniunt in hoc Doctores. Ratio est; quia, cum ex Baptismo nulliter collata nulla fiat regeneratio spiritualis, nulla quoque consurgit *Paternitas*, vel *Compaternitas*, aut *Filiatio spiritualis*, quia, quod nullum est, nullum producit effectum, *c. Illud.* 8. *de Jure patronat.* Nec *praestat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum*, juxta c. 52. *de Reg. Jur. in* 6. Accedit, quod Accessorium sequatur suum principale, *c. Accessorium.* 42. *de Reg. Jur. in* 6. consequenter. Si Baptismus tanquam principale nullus est, nulla quoque erit Cognatio tanquam accessoria.

14 Resp. II. Ex Baptismo privatim, et in necessitate, sive per Clericum, sive per Laicum, sive per virum, sive per foeminam collato vera oritur *Cognatio Spiritualis* ac Impedimentum *dirimens* inter baptizantem ex una, et baptizatum, baptizatique patrem et matrem ex altera parte. Bosco *de Impedim. Matrim. sect.* 5. *Concl.* 5. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 62. *n.* 9. Abbas *in c. fin. h. t. n.* 8. Engel *h. t. num.* 7. Pontius *lib.* 7. *cap.* 40. *num.* 5. *et* 6. cum communi aliorum. Ratio est: Tum quia Jura indistincte ac universaliter loquuntur de vero Baptismo; ergo indistincte veniunt intelligenda, *arg. c. Quia circa.* 22. *de Privileg.* et *l. De pretio ff. de Public. in Rem. act.* Tum quia Baptismus privatim, et in necessitate collatus, est verus Baptismus, per quem spiritualiter vere generatur infans; ergo exinde etiam consurgit vera *Cognatio Paternitas* nempe, *Compaternitas*, et *Filiatio spiritualis.*

15 Limitatur tamen Conclusio in casu, quo parens naturalis in necessitate baptizat proprium infantem; tunc enim baptizans parens non contrahit Cognationem cum conjuge tanquam patre vel matre baptizati: nec privatur jure petendi vel reddendi debitum conjugale, ut communiter docent Doctores textu expresso, c. *Ad limina.* 7. *cau.* 30. *q.* 1. quae tamen limitatio, quia specialis est, ad alios non parentes, in necessitate baptizantes non extenditur: quin hujus unius exceptio firmat Regulam in aliis casibus non exceptis, *arg. l. In iis. ff. de Legib.*

Num autem parens naturalis extra casum necessitatis baptizans, vel e Baptismo levans infantem, evadat *Cognationem Spiritualem*, et privationem juris petendi, et exigendi debitum, patebit infra *numer.* 30.

16 Quaeritur IV. Specialiter de Patrinis, quinam scilicet, quot, quando, et cum quibus contrahant *Cognationem spiritualem* inducentem Impedimentum *dirimens*? Resp. I. Quando Baptismus consuetis Ecclesiae caeremoniis, aut solemnitatibus confertur, et tantum unus vel duo, masculus videlicet et foemina existunt Patrini, non parentes infantis, sed ab his vel a Parocho designati, certum est, quod contrahant *Cognationem spiritualem* cum baptizato, et parentibus baptizati. Caret controversia, patetque clare ex textu Concilii supra *n.* 10. allegato.

17 Dicitur autem notanter, *quando Baptismus solemniter confertur*; quia si hic prius jam privatim, urgente v. g. necessitate sine Patrino est collatus, et postea tantum supplentur caeremoniae Ecclesiasticae, prout fieri nonnunquam solet, assistens, seu levans patrinus nullam Cognationem contrahit, ut bene docet Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 61. *n.* 5. Sylvester *v. Matrimonium.* 8. *q.* 7. *dict.* 17. et alii. Ratio est; quia causa hujus *Cognationis spiritualis* est solum Sacramentum, et inde proveniens regeneratio spiritualis, quae, cum in tali non existat, etiam effectus ejusdem haberi nequit: nam *quod non est, nullum producit effectum, arg. Illud.* 8. *de Jure patron.* et *l. Si se non obtulit.* 4. §. 6. *ff. de Re Judic. Nec praestat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum*, c. 52. *de Reg. Jur. in* 6. *Accedit* declaratio Cardinalium, de qua testatur Corrad. *in Praxi dispensat. Apostol. lib.* 8. *cap.* 8. *n.* 6.

Ob eandem rationem Patrinus non contrahit *Cognationem*, cum quo Baptismus sub conditione iteratur ex eo, quia dubitatur, an prius privatim collatus fuerit validus, si postea constet, priorem Baptismum fuisse valide collatum, Sanchez *loc. cit. n.* 6. ob rationes et Jura *num. praeced.* allegata: quod, si vero dubium perseverat, praesumit Ecclesia *Cognationem*. 18

Resp. II. Quamvis in Baptismo unus solus vir vel mulier sufficiat, tamen duo unus nempe, et una permittuntur esse patrini, qui etiam ambo contrahunt *Cognationem spiritualem*, si conditiones infra *a num.* 24. specificatae concurrent. Caret controversia ob claram dispositionem Concilii Trident. *Sess.* 24. *de Reform. cap.* 2. cujus textum vide supra *num.* 10. 19

Resp. III. Si plures quam duo concurrunt Patrini infantem baptizandum tenentes, illi soli contrahunt *Cognationem spiritualem*, qui a parentibus, vel loco horum a Parocho ad munus Patrini sunt designati, si autem plures quam duo designati fuerint, omnes contrahunt *Cognationem spiritualem*; licet parentes ita designando, et Parochus admittendo peccent contra Concilium Tridentinum. *Prima pars*, quod inter plures tenentes, soli designati contrahant *Cognationem*, est certa, textu expressa Concilii Tridentini cit. *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 2. ibi: *Parochus antequam ad conferendum Baptismum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro Fonte suscipiant; et eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat, doceatque eos, quam Cognationem contraxerint, ne ignorantia ullo excusari valeant. Quod si alii ultra designatos tetigerint baptizatum, Cognationem spiritualem nullatenus contrahant.* 20

Altera pars, quod, si plures quam duo designati sint, omnes *Cognationem* contrahant, docetur a Navarro *in Manual. cap.* 22. *n.* 39. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 57. *n.* 13. *et* 14. Engel *h. t. n.* 4. Zoesius *h. t. n.* 7. et aliis, *arg. c. fin. h. t. n.* 6. ibi: *Si tamen plures accesserint, spiritualis Cognatio inde contrahitur Matrimonia contrahenda impediens, et etiam post contracta dissolvens.* Nec obstat Concilium Tridentinum *loc. cit.* plures quam duos fieri patrinos prohibens, et *Cognationem* annullans, si plures tetigerint. Nam contra est, quod, licet Concilium ibidem plures quam duos fieri Patrinos prohibeat, tamen absolute et indistincte non irritavit eorum factum, et inde consurgentem Cognationem, cum tantum *nullam* dixerit Cognationem plurium illorum, qui non *designati* tangunt infantem; ergo a sensu contrario, si plures *designati* tangunt, contrahunt Cognationem juxta dispositionem Juris antiqui, *cit. c. fin. h. t. n.* 6. non obstante Tridentina prohibitione de pluribus designandis; *quia multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*, c. *Ad Apostolicam.* 16. *de Regul.* 21

Resp. IV. Patrini non tantum in Baptismo solemniter, sed etiam privatim, ac in necessitate collato contrahunt *Cognationem spiritualem*. Pontius *lib.* 7. *cap.* 40. *n.* 5. Coninck *Disp.* 32. *n.* 39. Layman *lib.* 5. *tr.* 2. *cap.* 9. *n.* 9. et alii contra Sanchez. Probatur Conclusio per Jura et rationes *num.* 14. allatas. 22

Resp. V. Si quis suo nomine per tertium, Procuratorem nempe, vel Legatum in sacro Baptismate, vel Confirmatione infantem tenet (prout fieri posse, praxis et consuetudo optima Legum interpres ostendit) non substitutus Procurator, sed Princi- 23

paliis, cujus nomine Procurator infantem levat, cognationem spiritualem contrahit. Pontius *lib. 7. cap. 39. n. 16.* Barbosa *de Offic. et Potest. Episc. Allegat.* 30. *n.* 60. Coninck *Disp.* 40. *n.* 40. et alii contra Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 59. *n.* 4. Ratio est: Tum quia *quod quis facit per alium, perinde est, ac si faciat per se ipsum,* c. *Qui facit.* 72. *de Reg. Jur. in* 6. Tum quia juxta Concilium Tridentinum *loc. cit.* soli per parentes designati ad hoc munus contrahunt *Cognationem spiritualem*; sed soli principales ab his designantur et rogantur, et non Procuratores, ergo. Confirmatur a simili in Matrimonio, ubi non Procurator, sed Principalis, cujus nomine hic contrahit, evadit conjux, et contrahit obligationem conjugii: ergo. Accedunt pro Conclusione plures Decisiones Rotae, de quibus *loc. cit.* testatur Barbosa ac etiam Declarationes Cardinalium apud Pontium *loc. cit.*, inter quas prima ita sonat: *Baptizatum de Baptismo suscipiunt. Procurator non contrahit Cognationem sibi, sed mandanti. Hinc est, quod unus et alter, qui est procurator mulieris, baptizatum de sacro Fonte suscipere possunt: sed non duo viri, vel duae mulieres; unusquisque tamen proprio nomine, vir loco mulieris, vel mulier loco viri.* Altera sequentis est tenoris: *Qui levat, aut tenet procuratorio nomine nullam contrahit Cognationem Spiritualem.*

Nec obstat Coeclusioni, quod in SS. Canonibus semper dicatur, *Tenens, suscipiens, levans* etc. et non alius contrahit etc. sed hi Termini non verificantur in Principali per Procuratorem tenente; ergo. Resp. Canones intelligendos esse in sensu morali vel physico, per se nempe, vel per alium, *arg. cit. c. Qui de Reg. Jur. in* 6.

24 Quaeritur V. Quae conditiones requirantur ad hoc, ut Patrinus in Baptismo, vel Confirmatione *Cognationem Spiritualem* contrahat? Et quae sit obligatio Patrini? Resp. Plures requiri conditiones: Patet inductione. Nam I. Requiritur, ut Sacramentum sit validum, per dicta *n.* 13. II. Ut tenens conferatur, quando Patrinus assistit et tenet, per dicta *n.* 17.

25 III. Requiritur, ut a parentibus, vel aliis, quorum interest, quis designetur ad hoc munus, designatusque habeat intentionem et animum vere obeundi muneris Patrini, ut proinde illi, qui tempore Baptismi, vel Confirmationis baptizandum vel confirmandum, commoditatis, aut servitii causa, aut ex alia ratione tenent, vel tangunt, *Cognationem* nullatenus contrahunt, Sporer *p.* 4. *cap.* 1. *sect.* 1. *n.* 93. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 58. *n.* 7. Abbas *in c.* 2. *h. t. n.* 4. et alii: alias saepe obstetrices fierent Patrinae in Baptismo, et ob copiam populi tangentes confirmandum essent Patrini, quod est absurdum, consequenter vitandum, *arg. l. Nam absurdum. ff. de Bon. Libert.*

26 IV. Requiritur, ut, dum actu baptizatur infans, Patrinus eundem per se, vel per Procuratorem vere physice teneat, vel tangat, aut saltem immediate e manibus Sacerdotis baptizantis recipiat: ubi habetur consuetudo, quod sub actuali Baptismo solus Sacerdos infantem teneat, et proin non sufficit sola assistentia: nec sufficiat, quod mediate e manibus Sacerdotis baptizantis, vel e Fonte levet, dum nempe Sacerdos puerum tradit obstetrici v. g. et haec Patrino, Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 56. Sporer *loc. cit. num.* 94. Perez *Disp.* 29. *sect.* 4. Pirhing *h. t. n.* 37. cum communi aliorum. Ratio est; quia Canones *h. t. et cau.* 30. *q.* 1. *et* 3. volunt, ut Patrinus baptizandum, vel confirmandum *teneat, tangat, levet, suscipiat* etc. quae verba secundum propriam significationem (in qua utique accipienda sunt *arg. l. Non aliter. ff. de Legat.* 3.) omnino requirunt tactum physicum. Accedit Declaratio Cardinalium, quam allegat Sporer *loc. cit.* et alii.

V. Requiritur, ut Patrinus in Confirmatione sit ipse prius confirmatus, Jacob. Pignatelli *Tom.* 1. *Consul.* 10. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 60. *n.* 20. cum communi aliorum, pro quibus stat Declaratio Cardinalium *in una Licinen.* 13. *Junii.* 1654. ubi declaravit, *non confirmatum non contrahere Cognationem spiritualem*, facit etiam pro hoc Pontificale Romanum *p.* 1. *Tit.* 1. *de Confirmat.* ibi: *Nullus, qui non est confirmatus, potest esse in Confirmatione Patrinus.* Habetur etiam clare statutum in Jure, *can. In Baptismate.* 102. *dist.* 4. *de Consecrat.* ibi: *In Baptismate, vel in Chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus.* 27

VI. Requiritur, ut Patrinus in Baptismate sit ipse baptizatus, consequenter Infidelis *Cognationem spiritualem* non contrahat. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 60. *n.* 7. Joan. Andreas *in c.* 1. *h. t. in* 6. et ibi Ancharanus *n.* 1. cum communi Theologorum et Canonistarum, *arg. cit. can. In Baptismate.* Ratio est; quia *Cognatio spiritualis* descendit ex lege Ecclesiastica, cui Infidelis non est subjectus. 28

Resp. II. Obligatio Patrini est curare, ut filius ipsius spiritualis in doctrina et vita Catholica instruatur, et educetur, nisi aliunde a parentibus v. g. id fiat. Patet ex can. *Vos ante.* 105. *de Consecrat. dist.* 4. ibi: *Vos ante omnia tam mulieres, quam viros, qui filios in Baptismo suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis fidejussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere Ideoque semper eos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant etc. Ante omnia Symbolum, et orationem Dominicam, et vos ipsi tenete, et illis, quos suscepistis de S. Fonte, ostendite.* 29

Quaeritur VI. An parens in solemni Baptismo levans proprium infantem e sacro fonte contrahat *Cognationem spiritualem*, consequenter exinde privetur jure petendi et reddendi debitum conjugale? Resp. Negative. Coninck *Disp.* 34. *dub.* 8. *a. n.* 66. Ancharanus *in c. Si vir.* 2. *h. t.* et ibi Glossa ℣. *Debitum*, et alii contra Sanchez *lib.* 9. *Disp.* 26. *n.* 7. *cit.* et alios. Probatur ex *cit. c. Si vir.* 2. *h. t.* ubi Papa Archiepiscopo Salernitano interroganti: *an separari debeant, Si vir aut mulier scienter aut ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit?* Respondit: *Nobis videtur, quod sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi: Nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci: quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus.* Ex quo textu aperte patet, desiderare quidem Ecclesiam, ut tales conjuges a debito abstineant, non vero praecipere, sed permittere, ut reddere et petere possint debitum, hoc ipso quod dicat, *alter alteri non debet subtrahere debitum.* Hinc procedit Conclusio, etsi ex fraude aut malitia assistat. 30

Nec obstant ultima verba, *si ex malitia, eis fraus non debet patrocinari aut dolus*; quia per haec verba non probatur obligatio abstinendi a debito, sed potius obligatio illud reddendi in casu, quo quis solemniter levat e Baptismo proprium infantem eo fine, et inde contrahat *Cognationem spiritualem*, consequenter immunis fiat ab obligatione reddendi debitum conjugali uxori, quam forsan aversatur, prout contingit in casu, de quo can. *Dictum.* 4. *cau.* 30. *q.* 1. 31

Objicies can. 1. *can. Si quis.* 2. *can. Nosse.* 3. *cau.* 30. *q.* 1. ubi expresse habetur, tales conjuges contrahere *Cognationem Spiritualem*, et privari jure debiti. Resp. Per hos Canones probari, Jure antiquo ita fuisse constitutum. Cui tamen derogatum 32

est Jure novo c. *Si vir.* 2. *h. t.* quod prae illo. observandum est per ea, quae de Juris correctione diximus *Lib I Tit. II.* §. *XIX. a n.* 490.

TITULUS XII.

De Cognatione Legali.

SUMMARIUM.

1 *Ratio Continuationis.*
2 *Adoptio quid, et quotuplex? Arrogatio quid?*
3 *Quinam adoptare possint? ubi et de conditionibus Adoptantis.*
4 *Cognatio Legalis quid, et unde?*
5 *Cognatio Legalis est triplex, Paternitas nempe;*
6 *Fraternitas, Inter quos haec versetur? usquo ad num.* 9.
9 *Et affinitas Legalis.*
10 *Cognatio Legalis etiam ex simplici, seu minus perfecta Adoptione oritur.*

1 Altera Cognationis species est *Legalis*, idem sic dicta, quia primitus a Legibus invuata, *l. Adoptionis*, 14. *ff. de Ritu nupt* et §. 1. *ac* 2. *Instit. de Nupt.* ac postea per Canones recepta est, c. *un. h. t. ut can.* 1. *dist.* 30. *q.* 3. Quoniam vero Cognatio haec ex Adoptione provenit juxta dicenda; prius breviter de Adoptione videndum est. Hinc

2 Quaeritur I. Quid, et quotuplex sit Adoptio? de quibus? et quomodo fieri possit? Merito praemittitur haec quaestio, ut sequens pro hac Rubrica proprie faciens melius intelligatur. Resp. I. *Adoptio* secundum D. Thomam in 4. *dist.* 42. *q.* 2. *a.* 1. et communem aliorum est actus legitimus, per quem is, qui natura filius non est, in adoptantis filium aut nepotem assumitur. Dividitur in perfectam, quae etiam *Arrogatio* dicitur, et minus perfectam, quae *Adoptio simplex*, et *in specie* vocatur, *L.* 1. *ff. de Adoption. Perfecta* seu *Arrogatio* est, qua persona extranea, sui juris existens, auctoritate seu Rescripto Principis ita assumitur in filium aut nepotem, ut transeat in potestatem et familiam adoptantis, fiatque haeres ipsius necessarius, *arg.* §. 1. *Instit. de Adopt.* et *l.* 2. *C. eod. Adoptio imperfecta*, seu *Adoptio in specie* (quae etiam *simplex* nominatur) est, qua persona extranea, quae nondum sui juris, sed adhuc sub patris, vel avi potestate constituta est, auctoritate inferioris, cujuscunque tandem Judicis competentis in filium aut nepotem ita assumitur, ut non transeat in potestatem et familiam adoptantis, sed maneat etiamnum sub patris aut avi sui potestate; ut praeterea etiam haeres necessarius in Testamento non sit, licet ab intestato succedat *cit.* §. 1. *et* 2. *Instit. de Adopt.* De qua duplici *Adoptione* vide plura apud Legistas *in Leges Instit. ff. et c. de Adoption.*

3 Resp. II. Ad hoc, ut *Adoptio* legitime fiat, plures requiruntur conditiones, veluti I. Ut *Adoptans* sit masculus, nam foeminae adoptare non possunt, nisi ex speciali concessione Principis, §. *Foeminae* 10. *Instit. de Adoption.* ubi ratio additur, quia nec *naturales liberos in sua potestate habent.* II. Ut ex natura sit potens ad generandum, unde spadones adoptare non possunt, §. 9. *Instit. eod.* bene vero Sacerdotes, utpote qui non a natura, sed per accidens, et moraliter tantum inhabiles sunt ad generandum, Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 63. Abbas *in c. un. h. t. num.* 4. et Hostiensis *numer.* 4. III. Ut 18. annis in aetate praecedat adoptatum §. 6. *Instit. eod.* IV. Ut sit sui juris et Major 25. annis; quia alias nondum habet administrationem suorum bonorum. Plura de his vide apud Legistas *in Instit. ff. et C. de Adoption.* et etiam Sylvester *v. Adoptio.*

Quaeritur II. Quid? et quotuplex sit Cognatio Legalis? unde proveniat, et inter quos Impedimentum Matrimonii *dirimens* constituat? Resp. I. 4
Cognatio Legalis est propinquitas personarum, quae ex Adoptione provenit, et inter certas personas Matrimonium dirimit. Ita in re communis per Jura *n.* 1. allegata, cum Concordantiis.

Resp. II. *Cognatio legalis* triplex est, Paternitas, 5
nempe, Fraternitas, et Affinitas Legalis. *Paternitas Legalis* est Cognatio, inducens Impedimentum in linea recta inter adoptantem tanquam patrem Legalem, et adoptatum tanquam filium, adoptatique descendentes, nepotes, et pronepotes, §. 1. *Instit. de Nupt. et l. Quin etiam.* 55. *ff. de Ritu Nupt.* Et inter hos Impedimentum perpetuo durat, ita ut etiam Adoptione per emancipationem soluta, adhuc perseveret, *can. Ita diligere can.* 30. *q.* 3. et cit. *l. Quin etiam ff. de Ritu Nupt.* ac §. 1. *Instit. de Nuptiis*, ubi statuitur: ut *quamvis per adoptionem parentum, liberorumve loco sibi esse coeperint, non possint inter se Matrimonio jungi: in tantum, ut etiam dissoluta adoptione idem Juris maneat, ita ut eam, quae tibi per adoptionem filia, vel neptis esse coeperit, non poteris uxorem ducere; quamvis eam emancipaveris*

Fraternitas Legalis est Cognatio in linea transversa 6
Impedimentum inducens inter liberos naturales legitimos adoptantis, et adoptatum tanquam fratres et sorores Legales. Quod tamen Impedimentum non perpetuo durat, sed expiret expirante Adoptione, §. *Inter eas.* 2. *Instit. de Nupt. et c. un. h. t.* ibi: *Si qua mihi soror per Adoptionem esse coeperit, quamdiu durat Adoptio, inter me et ipsam nuptiae consistere non possunt.* Concordat *l. Per adoptionem.* 17. *ff. de Ritu Nuptiar.* ibi: *Per Adoptionem quaesitas Fraternitas eo usque impedit nuptias, donec manet Adoptio, ideoque eam, quam pater meus adoptavit, et emancipavit, potero uxorem habere, aeque, et si me emancipato illam in potestate retinuerit, poterimus jungi Matrimonio.*

Dicitur autem notanter *inter liberos legitimos* 7
adoptantis; quia inter liberos carnales illegitimos adoptantis et adoptatum non consurgit *Cognatio legalis*, sicut nec inter filiam illegitimam adoptati et adoptantem, vel legitimus ejus liberos, ut cum communi aliorum bene docet Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 63. *n.* 30. Sporer *p.* 4. *cap.* 1. *sect.* 1. *n.* 85. Pirhing *h. t. num.* 9. Ratio est; quia illegitimi nomine naturalium liberorum non veniant, neque sub patria potestate sunt, §. *Si adversus.* 12. *Instit. de Nupt.* qua potestate non existente, vel cessante cesset Adoptio, et consequenter etiam *Cognatio Legalis*; *can. Per Adoptionem* 6. *cau.* 30. *q.* 3.

Pariter non consurgit *Cognatio Legalis*, nec 8
Impedimentum *dirimens* inter ipsos adoptivos, si plures ab eodem adoptantur, ut bene advertit Glossa communiter recepta *in c. un. h. t.* Tum quia nullo Jure invenitur tale Impedimentum: Tum quia inter filium et filiam spiritualem ejusdem patris spiritualis non versatur Impedimentum; ergo multo minus inter duos adoptivos, cum hi minus sint conjuncti, quam illi, *arg. can. Diligere. cau.* 30. *q.* 3.

Affinitas Legalis est Cognatio inter adoptantem 9
ut inter uxorem adoptati, et vicissim inter adoptatum ut uxorem adoptantis, inter quos inducit Impedimentum etiam soluta Adoptione, consequenter perpetuo durat. Omnes, texto expresso *l. Adoptivus.* 14. *prin. ff. de Ritu Nupt.* ibi: *Adoptivus filius, si emancipetur, eam, quae patris adoptivi uxor est, ducere non potest, quia novercae locum habet.*

10 Resp. III. Omnino probabile est, quod *Cognatio Legalis*, et Impedimentum inde proveniens non tantum ex Adoptione perfecta, seu Arrogatione, sed etiam imperfecta seu Adoptione simplici, sive in specie consurgat. Glossa *in c. un. h. 1.* et ibi Abbas *n.* 5. Ancharanus *n.* 8. Covarruvias *p.* 2. *de Matrim. cap.* 6. §. 5. *n.* 2. Gutierrez *de Matrim. cap.* 102. *n.* 5. Barbosa *de Offic. et potest. Episc. Allegat.* 51. *n.* 189. cum communi aliorum, quibus favet Scotus *in* 4. *dist.* 42. *q. un. n.* 3. hoc ipso, quod ibi Glossae opinionem alleget, et non refutet, consequenter tacite approbet. Ratio est; quia Jura indistincte loquuntur; consequenter indistincte veniunt intelligenda, *c. Quia circa.* 22. *de Privileg.* praesertim quod Adoptio in specie, seu simplex, licet tam perfecta non sit, quam Arrogatio, vere tamen ac in sensu proprio sit, et dicatur Adoptio, textu expresso §. 1. *prin. Instit. de Adoption.* ubi Adoptio proprie dicta dividitur in Arrogationem, et Adoptionem simplicem.

TITULUS XIII.

De Eo, qui cognovit Consanguineam Uxoris suae, vel Sponsae.

1 *Ratio Ordinis, et Remissionis hujus Tituli.*

1 Visia Cognatione spirituali, et Legali, atque Impedimentis inde provenientibus, recto ordine pergitur ad cognationem naturalem, seu carnalem, quae vulgari sermone tam Affinitatem, quam Consanguinitatem comprehendit; siquidem etiam Affines solemus vocare *Cognatos*; quamvis proprie Cognati non sint, ut bene advertit Alexander Papa *can. Quod autem.* 5. *cau* 35. *q.* 5. ibi: *Quod autem frater sororve uxoris tuae, cognati tui dicuntur, aequivocationis Jure fit, et necessitate vulgaris appellationis potius, quam ulla causa cognationis.* Et quoniam Affinitas alia oritur ex copula licita, alia ex copula illicita, Compilator Canonum prius posuit praesentem Titulum, in quo agitur de Affinitate ex copula illicita. Verum quia etiam sequens Titulus est de *Consanguinitate, et Affinitate*, ubi Affinitas dividitur, et membra divisa explicantur, commodius, et majoris claritatis gratia etiam de Affinitate ex copula illicita, consequenter de tota materia hujus Tituli in sequenti Titulo agemus. Et quidem de Affinitate ex copula cognoscentis consanguineam uxoris. §. 2. *a. n.* 32. de Affinitate vero ex copula cognoscentis consanguineam Sponsae *eod.* §. 2. *a n.* 62.

TITULUS XIV.

De Consanguinitate, et Affinitate.

1 *Ratio Ordinis et Divisionis.*

1 Duas, ut patet, partes habet praesens Titulus, *Prima* est de Consanguinitate, et inde consurgente Impedimento. *Altera* de Affinitate et Impedimento inde proveniente. Hinc in duos Paragraphos praesentem Titulum dividemus, et ordinem Rubricae sequentes, in primo de Consanguinitate, in secundo vero de Affinitate agemus.

§. I.

De Consanguinitate et Impedimento inde consurgente.

SUMMARIUM.

2 *Consanguinitas quid, et unde?*
3 *Ut collaterales consanguinei sint, debent ab uno tertio debite propinquo descendere: secus est in linea recta.*
4 *Consanguinitas, seu Cognatio naturalis alia est naturalis tantum, alia naturalis et civilis simul.*
5 *Agnatio et Cognatio; Agnati et Cognati quid?*
6 *Tum Agnatio, quam Cognatio causat Impedimentum.*
7 *Linea Consanguinitatis quid? Et quid Stipes?*
8 *Linea Recta descendens et ascendens quid?*
9 *Linea Transversalis quid? alia est aequalis, alia inaequalis.*
10 *Gradus quid?*
11 *Computatio Graduum aliter fit de Jure Civili, aliter de Jure Canonico.*
Arbor Consanguinitatis. Ibid.
12 *Annotatio ad Arborem pro diversitate numeri in ea positi.*
13 *Regula computandi et cognoscendi Gradus Consanguinitatis in linea recta.*
14 *Regula pro linea transversali aequali.*
15 *Regula pro linea transversali inaequali.*
16 *Practica declaratio Arboris, et Cognitio distantiae personarum inter se usque ad n.* 24.
17 *Ulterior declaratio praesertim pro linea Recta.*
18 *Pro linea Transversali aequali,*
19 *Et inaequali.*
20 *Annotatio de Nominibus personarum in Arbore positarum.*
21 *Quorundam error.*
22 *In comparatione Graduum attendi debet ad communem stipitem proximum.*
23 *Practica computatio Graduum, Arbore ad manum non existente.*
24 *Consanguinitas Jure antiquo usque ad septimum gradum dirimebat, hodierno autem novo Jure tantum ad quartum dirimit.*
25 *Impedimentum Consanguinitatis in linea recta Jure Ecclesiastico in infinitum dirimit.*
26 *Quoad primum gradum ejusdem lineae etiam Jure naturae.*
27 *Imo etiam quoad reliquos gradus lineae rectae Jure naturali dirimit.*
28 *Inter consanguineos primi gradus lineae transversae, fratres nempe et sorores Matrimonium jure naturae dirimit.*
29 *Ratio hujus allegatur.*
30 *Solvuntur instantiae.*
31 *Inter consanguineos secundi et ulterioris gradus lineae transversae, Jure solo Ecclesiastico dirimitur Matrimonium.*

Queritur I. Quid? et quotuplex sit Consanguinitas? Item quid Linea, et Gradus ejusdem? Resp. I. *Consanguinitas* est propinquitas, seu conjunctio personarum ex eo proveniens, quod vel una per carnalem propagationem descendat ab altera, vel ambae aut plures ab eodem tertio progenitore debite adhuc propinquo. Est in re communis, patebitque *ex seqq.* Dicitur *per propagationem carnalem*, ad differentiam Cognationis spiritualis, Legalis, et etiam Affinitatis. 2

3 Dicitur ulterius, *ab eodem tertio progenitore debite propinquo*, quo indicatur, non esse, nec dici consanguineos illos, qui quidem ab eodem, sed tamen valde remoto tertio progenitore descendunt, alias enim omnes homines essent consanguinei, utpote cuncti ab eodem tertio progenitore, *Adam* nempe descendentes, quod falsum invenitur. Nam praefata propinquitas vocatur consanguinitas a *Con-* et *sanguis*; quia est una et communis sanguis, seu *sanguinis unitas*, *arg. L.* 1. § *Consanguinei*. 10. *ff. de Suis et legit. haered.* quae sanguinis unitas judicio hominum non amplius adesse, nec idem sanguis amplius ita participari censetur, ut ratione illius singularis aliquis affectus inter Collaterales causetur, si communis stipes aut progenitor, a quo alii descendunt, nimio intervallo distat, et idem sanguis per diversam commixtionem nimis dispergitur. Quamvis aliter res se habeat inter consanguineos in linea recta, quorum unus ab altero descendit; hi enim Genitoris etiam remotissimi, a quo in linea recta descendunt, veri consanguinei sunt, ut proin cuncti homines, licet inter se omnes consanguinei non sint, omnes tamen veri consanguinei *Adami* sint.

Reliquae particulae patebunt ex sequentibus.

4 Resp. II. Cognatio naturalis qua *Consanguinitas* varie dividitur. Et quidem I. In naturalem tantum, et in naturalem ac civilem simul, *l. Non facile.* 4. § 1. *ff. de Gradib. Naturalis tantum* est inter illos, qui ab eodem stipite per carnalem propagationem illicitam v. g. vel adulterinam proveniunt, ut *L.* 4. § 2. *ff. de Gradibus ibi*: *Naturalis Cognatio per se sine civili cognatione intelligitur, quae per foeminam descendit, quae vulgo liberos peperit. Naturalis et civilis simul* est inter illos, qui ex legitimis nuptiis, ab eodem stipite proveniunt, *cit. L.* 4. § 2. *ff. de Gradib.*

5 II. Dividitur, in Cognationem in specie, seu proprie talem, et in Agnationem, *l. Jurisconsultus.* 10. § 2. *et* 4. *ff de Gradib. Cognatio in specie* intercedit inter illos, qui per foeminas tantum conjunguntur, et propterea etiam proprie *Cognati* dicuntur, *cit. L.* 10. § 2. *ff. de Gradib.* ibi: *Qui per foeminas conjunguntur, cognati tantum nominantur. Agnatio* vero intercedit inter illos, qui per lineam paternam sunt conjuncti, *cit. L.* 10. § 4. *ff. de Gradib et* § 1. *Instit. de Legitim. agnat.* ibi: *Sunt autem agnati, cognati per virilis sexus personas conjuncti, quasi a patre cognati. Itaque ex eodem patre nati fratres, agnati sibi sunt etc. nec requiritur, an eandem etiam matrem habuerint.*

6 Verum utraque haec Cognationis naturalis, seu Consanguinitatis divisio ad praesens non attenditur; siquidem juxta communem DD. tam *Consanguinitas naturalis solum*, quam *naturalis* ac *civilis* simul Matrimonium dirimit, *arg. c. Per tuas* 10. *de Probat. et l. Adoptivus.* 14. § 2. *ff. de Ritu nupt.* sicut etiam aeque Matrimonium dirimit *Cognatio in specie*, quam *Agnatio*: imo hae duae Consanguinitates in ordine ad Matrimonium promiscue sumuntur, et confunduntur, *arg. can.* 1. *et* 2. *cau.* 35. *q.* 2.

7 III. Dividitur Consanguinitas in Lineas, et Gradus; seu potius ipsi consanguinei dividuntur, ac distinguuntur per Lineas, et Gradus. Qualis Linea est ordinata series seu collectio personarum ab eodem stipite descendentium, *arg. L.* 1. *ff. de Gradib.* quae duplex est, *Recta* nempe, et *transversa*, seu *collateralis*, *l. fin ff. de Ritu nupt.* cum Concordantiis.

Ante cujus declarationem sciendum prius, quid Stipes sit? Est videlicet, et dicitur *Stipes* illa persona, a qua (sive mas, sive foemina sit) personae aliae, de quarum Consanguinitate quaeritur, mediate, vel immediate per carnalem propagationem descendunt, et propterea consanguinei dicuntur.

Linea Consanguinitatis *Recta* continet illas personas consanguineas, quarum una ab altera descendit, quales sunt parentes, liberi. Haec *Linea Recta.* subdividitur in *Ascendentem*, et *Descendentem*. *Descendens* est, in qua recta deorsum a persona generante ad generatam v. g. a patre vel matre ad liberos, et nepotes tenditur. *Ascendens* est, qua recta sursum ascenditur, v. g. a filio ad patrem, et inde ad avum, proavum etc. *cit. L.* 1. *ff. de Gradibus.* 8

Linea Transversalis, seu Collateralis, seu obliqua continet illas personas, quarum nulla ab altera descendit, sed omnes ab eodem tertio communi, Stipite videlicet, seu communi principio et genitore proveniunt; qui propterea etiam Consanguinei *Collaterales* vocantur, quales sunt duo fratres, aut sorores utpote quorum nullus ab illorum aliquo, sed omnes ab eodem tertio, parte videlicet tanquam communi stipite descendunt, item duo patrueles ab eodem Avo proveniunt. Haec *Linea Collateralis*, vel *Transversalis* etiam subdividitur in *Aequalem*, et *Inaequalem*. *Aequalis* est, in qua sicut personae pari seu aequali Gradu a communi stipite distantes, ut sunt duo fratres, quorum uterque uno tantum gradu a communi stipite, patre scilicet, distat. *Inaequalis* est, in qua existunt personae, quae inaequali Gradu a communi stipite distant, dum unus remotior alter eidem propinquior invenitur, ut Titius et illius fratris proles, nam Titius uno, ejusdem fratris proles vero duobus gradibus a communi stipite Cajo v. g tanquam patre Titii et avo prolis a fratre Titii progenitae distant. 9

Ubi tamen specialiter notandum, quod, etsi juxta statim dicta, in linea transversali inaequali distantia personarum quoad gradus a sola remotiori persona desumi debeat, tamen proximiorem gradum etiam exprimere, semper expediens et saepe necesse sit in casu, quo pro foro externo procuranda est dispensatio, ita, ut si ex duabus personis, de quibus quaeritur, una distet a communi stipite in quarto grado, altera vero in tertio, supplicans exprimere deberet, quod in tertio, et quarto gradu consanguinitatis sint conjuncti: quod idem etiam dic de Affinitate. Verum de hoc amplius infra ad finem hujus libri in Appendice: ubi etiam dicemus, quod duae personae dispensationem petentes subinde non tantum unam, sed duplicem, vel multiplicem consanguinitatem, et multiplex impedimentum habeant, quae cuncta exprimi debent dum petitur Dispensatio.

Gradus est certa distantia unius personae ab altera in ordine ad communem stipitem, tanquam originem Consanguinitatis, quo gradu seu distantia cognoscimus, quantum personae consanguineae distent a communi stipite, et inter se, consequenter inter eas propinquitas Consanguinitatis existat: Hoc totum magis adhuc capies ex sequentibus. 10

Quaeritur II. Quomodo fieri debeat computatio *Graduum* ad hoc, ut cognosci queat, quanta propinquitate conjunctae sint, et quantum, seu quot gradibus distent ab invicem duae personae Consanguineae? Ante responsionem notandum, aliter computari *Gradibus* de Jure Civili in ordine ad successionem haereditariam, aliter de Jure Canonico in ordine ad contrahendum Matrimonium. Qualiter fiat computatio *Graduum* de Jure Civili pro successione haereditaria, jam diximus *Lib. III. Tit. XXVII.* a n. 6. ubi vide. Quomodo autem fiat de Jure Canonico pro contrahendis Matrimoniis, 11


VERSICULI GLOSSÆ

Non gignunt dextros, qui stant a parte sinistra.

idest, Collaterales, qui sunt a sinistra lineae rectae, non descendunt a collateralibus, qui sunt a dextra lineae rectae; et e contra.

Laeva dat uxores, dat tibi dextra mares.

idest, Collaterales a parte sinistra descendunt ex Stemmate foemineo lineae rectae; Collaterales vero a dextra descendunt ex Stemmate masculino lineae rectae.



Specialiter nota, quod juxta dicta num. 15. omnes personae in hac Arbore (exceptis quae per genitivum exprimuntur) sortiantur et habeant nomen suum respectu personae in medio existentis, ubi defacto est PETRUTIUS; ita ut, quae in hac Arbore dicitur Pater, Mater, Avus, Patruus, Avunculus, Matertera, sit Petrutii Pater, Mater etc. Matertera etc. Unde si cito scire cupis, quoto gradu duae personae inter se distent, pone unam ex illis in cellula, ubi defacto est PETRUTIUS, et vide, an non altera sit aliqua ex reliquis personis v. g. an non sit ejus Patruus, Amitinus, Avunculus, vel Sororis aut Fratris proles, vel Nepos; hoc enim habito statim ex appositis numeris, vel applicatis Regulis supra positis, videbis quoto gradu inter se distent.

patebit ex Regulis infra a num. 13. ponendis. Quae ut magis intelligantur, atque quot gradibus distent, vel sibi conjunctae sint personae Consanguineae, exhibetur hic *Arbor Consanguinitatis*, prout in Jure Canonico post sextum Decretalium librum habetur.

NB. Hic inseratur Arbor Consanguinitatis

12 Pro intelligentia hujus Arboris notandum, quod in quavis cellula ponantur duo numeri unus et quidem latinus supra, alter vero germanicus nempe, infra nomen: ubi per superiorem numerum designatur propinquitas et distantia gradus secundum computationem Canonicam pro contrahendis Matrimoniis. Per inferiorem autem seu germanicum numerum designatur propinquitas et distantia gradus secundum computationem Civilem pro successione haereditaria, prout bene advertit Glossa in explicatione praefatae Arboris. Hinc in computatione graduum pro contrahendo Matrimonio illos inferiores numeros germanicos attendere non debes, ne confundaris. H. N.

13 Resp. ad Quaesitum principale num. 11. positum, dando Regulam pro quavis Linea. Et quidem pro *Linea Recta* tam Ascendente, quam Descendente haec est Regula. *Tot sunt gradus, quot sunt personae, una dempta*: si itaque scire vis, quot gradibus distet Abavus a te, pone te in vacuam cellulam mediam, ubi de facto Petrutius existit, ac numera una tecum personas usque ad Abavum inclusive, invenies quinque personas, deme unam, et erunt quatuor, consequenter tu et Abavus tuus distabitis quatuor gradibus.

14 Pro *Linea Transversali*, seu *Collaterali* duplex est Regula, una pro *Æquali*, altera pro *Inaequali*. Pro *Linea Transversali Æquali* haec est Regula: *Quot gradibus quaevis duarum personarum, de quibus quaeritur, distat a proximo communi stipite, in quo conveniunt, seu a quo ambae proxime descendunt, tot gradibus distant inter se.* Quot autem gradibus quaevis persona Collateralis distet a communi stipite, observare iterum debes Regulam praecedentem pro *Linea Recta* datam; quia quaevis persona Collateralis in ordine ad stipitem communem censetur esse in *Linea Recta*, consequenter quot gradibus a communi stipite distat, juxta regulam *Lineae Rectae* debent computari gradus. Hinc quia quivis ex duobus fratribus aut sororibus non tantum gradu distat a communi stipite, Patre nempe, utpote a quo immediate ambo descendunt, sic etiam unico tantum inter se distabunt gradu. Econtra quia duo Patrueles seu duorum fratrum proles *zweyen Bruder Kinder* duobus gradibus distant a communi stipite ab Avo scilicet, utpote a quo ambo proxime descendunt, sic etiam duobus gradibus distabunt inter se.

15 Pro *Linea Transversali Inaequali*, sequens est Regula: *Quoto gradu remotior ex personis, de quibus quaeritur, distat a communi stipite, a quo ambae proxime descendunt, tot gradibus distant inter se.* Hinc tu, et patruus tuus *deines Vatters Bruder* distabitis in secundo gradu; quia tu tanquam remotior duobus gradibus, distas a communi stipite Avo nempe tuo, a quo vos ambo proxime descenditis, et a quo ille in primo, tu in secundo gradu distas.

16 Suppositis his Regulis, quae a Glossa can. 35. q 5. can. 6. post Arborem Consanguinitatis praescribuntur, et ab unanimi DD. receptae habentur, pergimus pro ulteriori, eaque pratica declaratione *Arboris Consanguinitatis* juxta formam appressam. Ex hac enim statim et facile colliges, quoto gradu una persona ab alia distet, consequenter an Matrimonium inter se contrahere possint, nec ne? dummoda unam ex personis, de quibus quaeritur, ponas in illam mediam cellulam vacuam (in qua interea nomen *Petrutii* posuimus) et dein investiges de altera persona, utrum ad unam ex reliquis cellulis pertineat, et in ea poni possit; v. g. an altera persona sit Petrutii soror, aut consobrina, aut Matertera etc. siquidem (quod bene notandum) omnes personae in reliquis cellulis positae, sumunt nomen a persona in vacua cellula posita, et respectu ipsius vocantur, (exceptis illis quae per genitivum nominantur) ita ut, quae in arbore supra posita vocatur, v. g. Pater, Soror, Matertera, Patruus, Filius etc. sit et censeatur esse Pater Petrutii, Matertera Petrutii, Soror Petrutii etc. prout bene advertit Glossa *loc. cit.* quod, si invenias alteram personam pertinere ad unam ex reliquis cellulis, jam inferes, eam non posse nubere Petrutio: si non invenis, inferes posse ei nubere: quia Petrutius in vacua cellula positus habet impedimentum Consanguinitatis cum omnibus et solis, positis in una ex reliquis cellulis, utpote cum nulla ibidem reperiatur persona, quae non saltem in quarto Consanguinitatis gradu distet a Petrutio, qui gradus adhuc dirimit Matrimonium. Item nulla alia persona sit, quae saltem in quarto Consanguinitatis gradu Petrutio conjuncta sit, et non existat in una ex cellulis reliquis

17 Quod, ut facilius capias, repeto, et aliter, ac magis declaro: si vis cognoscere quanto Consanguinitatis gradu duae personae inter se distent, attende prius, an sint in *Linea Recta*, vel *Transversali*: si deprehendis eas esse in Linea *Recta*, accipe *Arborem*, pone in mediam cellulam unam ex dictis personis, et adhibe Regulam *n.* 13. positam.

18 Si in Linea *Transversali* existat, pone pariter unam ex illis in mediam illam cellulam, et quaera, ad quam ex reliquis cellulis altera persona pertineat, statimque vide, in quo stipite communi proximo conveniant, seu a quo ambae proxime descendant; dein ulterius indaga, an una earum magis distet, et remotior sit a communi stipite, nec ne? Si nulla est remotior, sed aequaliter distant ab eo, observa Regulam *num.* 14. positam, et incipe numerare a qua ex duabus, de quibus quaeritur, numerare vis; tantum enim distabunt inter se, quantum quaevis earum a communi stipite: sic v. g. patrueles, seu duorum fratrum proles *zweyen Geschwister Kinder* distabunt duobus gradibus inter se; quia quaevis earum secundo gradu distat a communi stipite Avo nempe eorum, utpote a quo ambo proxime descendunt.

19 Si autem una remotior sit ab illa persona in *Arbore* posita, ascendendo usque ad stipitem communem, quo ambae descendunt, numerare incipe a remotiori; quot enim gradibus haec remotior a communi stipite distat, tot distabunt inter se juxta Regulam *num.* 15. positam, v. g. pronepos fratris a sorore fratris distabit quatuor gradibus a communi, in quo conveniunt, stipite, qui respectu pronepotis est abavus, respectu sororis vero est dicti fratris pater: nam pater memorati pronepotis est nepos fratris, avus vero dicti pronepotis est filius fratris, proavus autem ejusdem pronepotis est ipse frater sororis, Abavus tandem ipsius est pater fratris et sororis, in quo tanquam stipite communi tam pronepos quam soror, de quibus quaeritur, tandem conveniunt.

20 Ubi, ne confundaris, advertendum, quod, licet respectu personae in vacua cellula (ubi de facto exempli gratia *Petrutius* est) positae, omnes aliae personae in reliquis cellulis collocatae nomen suum habeant, et retineant, ipsae tamen personae in reliquis cellulis positae respectu earundem inter se nomen omnes non habeant; nam quae in Arbore po-

nuntur et respectu Petrutii vocantur *frater*; *soror*, eaedem respectu *patris* in Arbore positae sunt liberi; item qui in Arbore ponitur et respectu Petrutii vocatur *Avunculus*, respectu Avi in arbore positi, est filius.

21 Caeterum colliges, male *a* nonnullis doceri ad cellulam vacuam, ubi de facto interim ponitur *Petrutius*, pertinere, et poni deberi stipitem, cum juxta dicta, nullatenus stipes communis, sed una ex personis, de quarum Consanguinitate quaeritur, ibidem poni, et dein altera persona, in qua ex reliquis cellulis distat, indagari, ac tandem videri debeat, quantum, seu quot gradibus remotior earum a communi stipite proximo, in quo ambae conveniunt, seu a quo ambae proxime descendunt, distet.

22 Ubi ulterius advertendum, quod, ut saepe jam repetitum est, indagandum sit, a quo communi stipite *proximo* ambae personae v. g. Petrutius et ejus Matertera descendant; quamvis enim proximum principium generationis, a quo Petrutius descendit, sit Pater et Mater, tamen hoc principium non est commune utrique, Petrutio nempe et Materterae, a quo ambo descendunt, sed *Avus*; et quamvis etiam Proavus sit commune utriusque principium a quo utraque descendit, tamen non est commune principium, seu stipes utriusque *proximus*, sed Avus; ut proin notanter hactenus repetiverimus *a communi utriusque personae*, de qua quaeritur, *principio seu stipite proximus*, utpote a quo, vel usque ad quem a remotiori persona numerari, et una dempta, numerus graduum desumi debet per dicta.

23 Quod si quis *Arborem* ad manum non habeat, et tamen libenter scire vellet, an duae personae sint Consanguineae, et quot gradibus inter se distent, tantum breviter scrutetur, et investiget primo, an ab aliquo communi stipite per propagationem descendant; hoc habito videat, an in *Linea Recta* sint vel *Transversali*; cognito, quo sint in *Transversali*, indaget, quaenam harum personarum sit remotior a communi stipite, quo perspecto numeret ab illa remotiori in *Linea Recta* usque ad communem utriusque stipitem proximum inclusive, et inferat tot gradibus distare remotiorem a communi stipite, quot sunt personae una dempta, juxta Regulam n. 15. positam; consequenter tot gradibus easdem distare inter se, quot gradibus remotior a communi stipite. Si autem ambae personae aequaliter distant, observet Regulam supra n. 17. positam, si ambas invenit in *Linea Recta*, habet paratam pro hac Regulam *num.* 13.

Ne indigneris amice Lector, quod doctrinam hanc de Arbore Consanguinitatis tam simpliciter et tanta repetitione facta tradamus, quia etiam pro simplicioribus scribimus, quorum aliquos in hac re non parum confusos novimus.

24 Quaeritur III. Quo usque seu ad quotum gradum Impedimentum Cognationis carnalis, seu Consanguinitatis, et quo Jure dirimat Matrimonium inter Consanguineos? Resp. I. Quamvis antiquo Jure usque ad septimum gradum inclusive in *Linea Transversali* Impedimentum Consanguinitatis Matrimonium diremerit, *can. Nullum.* 7. *can. de Consanguinitate.* 17. *cau.* 35. *q.* 3. ibi: *De Consanguinitate sua uxorem nullus ducat usque potest generationem septimam*, cum Concord. Tamen hodierno Jure in dicta *Linea Transversali* non nisi ad quartum gradum inclusive dictum Impedimentum dirimit Matrimonium. Unanimis ac certa, textu expresso *c. Non debet.* 8. *h. t.* quod est ex Concilio Generali Lateranensi desumptum, ubi antiquae Constitutiones revocatae fuere praemissa revocationis causa ac justificatione illis verbis: *Non debet irreprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, praesertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit; quoniam ipse Deus ex his, quae in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo.*

Resp. II. Impedimentum Consanguinitatis in *Linea Recta* Jure Ecclesiastico dirimit in infinitum, Abbas *in c. Non debet h. t. num.* 8. Sylvester ℣. *Matrimonium.* 8. *q.* 6. *dict.* 5. Engel *h. t num.* 9. et alii contra Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 51. *num.* 22. Pontium, Fegnanum, et plures alios *arg. l. Nuptiae.* 53. *ff. de Ritu nuptiarum.* ibi: *Nuptiae consistere non possunt inter eas personas, quae in numero parentum liberorumve sunt, sive proximi sive ulterioris gradus sint usque ad infinitum.* Quae Lex cum nullibi reperiatur correcta a Jure Canonico (nam c. *Non debet.* videtur loqui de sola *Linea Transversali*) in eo quoque observanda venit; quia *sicut Leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita et sacrorum statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur.* Fundamentum Adversariorum adducere, ac solvere superfluum videtur; quia, cum ipsi et omnes concedant, usque ad quartum saltem gradum hoc Impedimentum dirimere, ultra illum autem in praxi vix possibilis sit casus, quod quis ascendens quintam generationem in *Linea Recta* nubere possit, aut velit, mera speculativa foret de hoc disputatio. 25

Quaeritur IV. An Impedimentum Consanguinitatis non tantum Jure humano, sed etiam Divino et naturali Matrimonium dirimat? Resp. I. Impedimentum Consanguinitatis inter Consanguineos in *Linea Recta* quoad primum gradum, parentes videlicet, et liberos, dirimit Jure Divino, et naturali. Caret controversia. Et ratio est; quia ipse instinctus naturalis Matrimonium inter parentes et liberos abhorret, ut proin merito dicatur *l. Adoptivus.* 14. §. 2. *ff. de Ritu nuptiar. in contrahendis Matrimoniis naturale jus et pudor inspiciendus est: contra pudorem est autem, filiam in uxorem suam ducere.* 26

Resp. II. Quamvis aliqui cum D. Thoma *in* 4. *dist.* 40. *q. un. n.* 3. et Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 51. *n.* 19. velint, Impedimentum Consanguinitatis, Matrimonia ultra primum gradum Jure naturae non dirimere, consequenter Papam dispensare posse, quod Avus neptem suam possit ducere in uxorem: alii vero ut Gonzal. *in c. Quod super.* 5. *h. t.* usque ad quartum, alii usque ad septimum gradum dicto Impedimento vim tribuant ex natura Matrimonium dirimendi; probabilissimum tamen est, dictum Impedimentum Jure naturae in infinitum dirimere Matrimonia inter Consanguineos in *Linea Recta*, ut si Adam, vel Eva adhuc viverent, nulli ex omnibus hominibus nubere possent, ita Scotus *in* 4. *dist.* 4. §. *De secundo.* Sporer *p.* 4. *cap.* 1. *sect.* 1. *n.* 68. Herinx et alii Scotistae, *arg. cit. l. Nuptiae*, et *l. fin. de Ritu nuptiar.* ibi: *Jure gentium incestum committit, qui in gradu ascendentium, vel descendentium uxorem duxerit* Concordat §. *Ergo non omnes. Instit. de Nupt.* Ratio est; quia omnes ascendentes respectu descendentium habent veram rationem principii, et veniunt nomine genitorum, et parentum, descendentes vero nomine liberorum, *arg. cit. l. Nuptiae.* 53. *ff. de Ritu nuptiar.* atqui inter parentes et liberos Jure naturae Matrimonium est irritum, *l. Adoptivus.* 14. *ff eod.* ergo. Accedit, quod non habeatur casus, quo cum aliquibus in *Linea Recta* dispensatum esset. 27

Resp. III. Inter Consanguineos *Lineae Transversae* in primo gradu inter fratres nempe et sorores Matrimonium Jure naturae est nullum, ut proin in eo Papa dispensare non possit. Scotus *in* 4. *dist.* 40. *q. un.* ubi solvit rationes appositae Sententiae, 28

Guttierez *de Matrim. cap.* 98. *num.* 10. Sanches *lib.* 7. *Disp.* 52. *num.* 11. Contra D. Thomam 2. 2. *q.* 154. *a.* 9. et plures alios citatos a Sanchez *loc. cit. n.* 10. *arg. c. Gaudemus.* 8. *de Divortiis*, ubi Papa decrevit, quod Infideles conversi ad fidem separari non debeant, si in secundo et ulteriori Consanguinitatis gradu existentes ante matrimonio juncti fuere; quia Legibus Ecclesiae Infideles non arctantur; ergo a sensu contrario, si in primo gradu uniti essent, separandi forent, eo quod talis gradus Jure naturae dirimat. Hinc etiam in Concilio Tridentino *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 5. dicitur, in secundo gradu Consanguinitatis adhuc dispensari posse cum Principibus Personis; ergo a contrario in primo non, consequenter in primo gradu est contra Jus naturae.

29 Ratio Conclusionis est: quia inter fratres et sorores est innatus quidam pudor, et reverentia naturalis, cui valde adversatur actus conjugalis, adeo ut omnes etiam infideles nationes bene instructae, solo lumine naturali ductae ab hujusmodi conjugio abstinuerint, et quae talia permittebant, barbarae reputabantur. Hinc etiam nullibi legitur, quod Ecclesia in primo gradu unquam dispensaverit.

30 Nec obstat, quod ab initio mundi Cain duxerit sororem suam in uxorem. Resp. enim cum Doctore subtili, id factum esse ex necessitate ob defectum aliarum foeminarum, urgente alio praecepto naturali fortiori de conservando genere humano; concurrentibus enim duobus vinculis, quod fortius est, ligat.

Dices, etiam multiplicato jam genere humano, et cessante illa necessitate Abraham vir sanctus duxit Sarai sororem suam, prout ipse fatetur *Genes.* 20. ibi: *Vere soror mea est filia patris mei, et non filia matris meae.* Resp. hoc dici, quia Sarai fuit consanguinea Abrahae, prout expresse habetur *can. Quaeritur*, 32. *q.* 3. ibi: *Soror dicitur; quia filia fratris erat*, utpote genita ex Aran fratre Abrahae; siquidem in Scriptura S. etiam soli consanguinei dicuntur fratres et sorores, juxta quod aliqui ad Christum dixerunt *Marci cap.* 3. *Ecce mater tua, et fratres tui* (id est consanguinei) *te foris quaerunt.* Et Tobias junior vocat Saram, sororem suam, *Tobiae cap.* 8. quae tamen fuit solum consanguinea ipsius. Quin imo observat D. Thomas *p.* 3. *q.* 28. *a.* 3. *ad* 5. quod in S. Scriptura dicuntur fratres quatuor modis, videlicet, *natura*, *gente*, *cognatione*, *et affectu.*

31 Resp. IV. In secundo et ulterioribus Gradibus *Lineae Transversae*, solo Jure Ecclesiastico, non item Divino dirimitur Matrimonium. Communis ac certa, *arg. Concil. Trident. Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 5. ubi expresse habetur, posse in secundo gradu dispensari, consequenter gradum secundum non dirimere Jure naturae, cum in hoc Papa nequeat dispensare. Accedit, quod jam saepe in secundo Consanguinitatis grado fuerit dispensatum. Confirmatur ex *cit. c. Gaudemus. de Divortiis*, ubi Matrimonium infidelium inter Consanguineos in secundo gradu agnoscitur validum, consequenter non est contra Jus naturae.

§. II.

De Affinitate, et Impedimento inde proveniente.

SUMMARIUM.

32 *Affinitas, et affines quid, ac unde?*
33 *Antiquo Jure triplex erat genus Affinitatis.*
34 *Hodierno autem Jure unicum tantum est. Inter quos? et num. seqq.*
35 *Pater et filius ex una parte possunt nubere matri et filiae ex altera parte: sicut etiam duo fratres duabus sororibus.*
36 *Affinitas non tantum ex licita et conjugali copula, sed etiam illicita oritur.*
37 *Affinitas non oritur nisi ex copula perfecta ad generationem prolis sufficiente.*
38 *Solvitur instantia.*
39 *Et fiunt deductiones usque ad num.* 44.
44 *Ad contrahendam affinitatem requiritur, et sufficit seminatio viri*
45 *Contrahitur etiam per copulam cum muliere ignorante, aut dormiente habitam.*
46 *Solvitur objectio, quod requiratur etiam seminatio foeminae.*
47 *Affinitas ex copula illicita usque ad secundum, ex licita vero usque ad quartum gradum dirimit.*
48 *Affinitas in nullo, etiam primo gradu Lineae Transversae dirimit Matrimonium Jure naturae.*
49 *Bene tamen in primo gradu Lineae Rectae, ut proin Papa dispensare possit, quod quis ducat fratris sui defuncti uxorem, non item quod privignus ducat novercam.*
50 *Aliud tamen est, si Affinitas ex copula illicita primo gradu oritur.*
51 *Doctrina practica computandi et cognoscendi gradus Affinitatis. Et num. seq.*
53 *Conjux peccans cum Consanguinea conjugis viventis privatur jure petendi, non item reddendi debitum*
54 *Dummodo peccet cum consanguinea in secundo grado*
55 *Incurrit etiam alias Juris poenas et mortua conjuge innocente non potest amplius nubere*
56 *Etsi peccarit cum consanguinea conjugis prius jam defuncti*
57 *Requisita ad hoc, ut quis ob incestum cum consanguinea uxoris fiat inhabilis ad nubendum usque ad num.* 60.
60 *Non requiritur, ut fiat seminatio intra vas.*
61 *Quid hodie consuetudo habet de hac inhabilitate*
62 *Qui cognoscit consanguineam Sponsae, nec cum hac, nec cum illa potest Matrimonium contrahere.*
63 *Imo nec cum alia, si carnaliter cognita est Consanguinea in primo gradu. Est tamen hoc ultimum consuetudine abrogatum.*

Quaeritur I. Quid, quotuplex, et unde sit Affinitas? Item inter quos dirimat Matrimonium? Resp. I. *Affinitas* est propinquitas personarum ex copula carnali perfecta proveniens. Ita in re communis. Dicitur autem *Affinitas quasi duorum ad unum finem unitas, eo quod duae cognationes diversae per nuptias, vel coitum copulantur, et alter ad alterius cognationis finem accedit*; prout *l. Non facile.* 4. §. 3. *ff. de Gradib.* bene advertit Glossa *ad Arbor. Affinitat. can.* 35. *q.* 5. Cum enim vir et foemina per copulam carnalem fiant una caro, juxta illud Genes. 2. *Erunt duo in carne una*, et 1. *ad Corinth.* 6. *Nescitis, quoniam qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur*, hinc Consanguinei foeminae carnaliter cognitae fiunt Affines viri, et consanguinei viri carnaliter cognoscentis fiunt Affines foeminae carnaliter cognitae. 32

Resp. II. Quamvis olim de Jure antiquo tria fuerint genera Affinitatis, *primum* nempe, *secundum*, et *tertium*, hodie tamen tantum unicum, idque inter tria antiqua *primum* datur. Quod olim tria fuerint, patet ex *can. De propinquis.* 3. *can.* 35. *q.* 3. et refertur *c. Non debet.* 8. *h. t.* ac optime ibidem ℣. *In secundo* explicat Glossa. *Primum* Affinitatis 33

genus (quod etiamnum, et quidem solum durat) intercedit inter uxorem, et consanguineos viri, et vicissim inter maritum, et consanguineos uxoris, quod, si mortuo v. g. viro uxor ejus alium virum accepit, inter hunc virum et consanguineos prioris mariti oriebatur *secundum* genus Affinitatis *cit. can. De propinquis. cau.* 35. *q.* 3. simulque soboles ex his secundis nuptiis suscepta, non poterat contrahere Matrimonium cum consanguineis prioris conjugis defuncti, *can. Fraternitatis, cum seqq. cau.* 35. *q.* 10. Si deinde mortua illa relicta conjuge alter maritus ejus nupserit alii foeminae, eamque cognoverit, inter hanc, et consanguineos mariti oriebatur *tertium* genus Affinitatis.

34 Resp. III. Hodierno Jure est unicum tantum genus Affinitatis, idque *primum* ex praefatis tribus, videlicet praecise, et solummodo *inter* virum et consanguineos uxoris, seu alias carnaliter cognitae, et vicissim inter uxorem seu alias cognitam, et consanguineos mariti vel cognoscentis. Unanimis ac certe, textu expresso *c. Non debet.* 8. *h. t.* ubi *secundum, et tertium* Affinitatis *genus* sublatum habetur illis verbis : *Cum ergo prohibitiones de conjugio in secundo et tertio Affinitatis genere minime contrahendo, et de sobole suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri non copulandum prioris, et difficultatem frequenter inducant, et aliquando periculum pariant animarum : cum cessante prohibitione cesset effectus, Constitutiones super hoc editas sacri approbatione Concilii revocantes, praesenti Constitutione decernimus, ut sic contrahentes de caetero libere copulentur.*

35 Hinc sequitur, atque expresse habetur *c. Quod super.* 5. *h. t.* quod pater et filius ex una parte, sine omni dispensatione possint contrahere cum matre et filia ex altera parte : item duo fratres cum duabus sororibus, aut unus eorum cum matre, alter cum filia. item duo cognati seu consanguinei cum duabus consanguineis aliis. eo quod (ut ibidem bene subjungitur) *licet omnes consanguinei viri sint affines uxoris, et omnes consanguinei uxoris sint viri affines, inter ipsos tamen consanguineos viri ex una parte, et inter consanguineos uxoris ex altera parte nulla prorsus affinitas est contracta, propter quam inter eos Matrimonium debeat impediri.*

36 Resp. IV. *Affinitas* oritur non solum ex copula conjugali licita, sed etiam ex illicita tam adulterina intra Matrimonium, quam fornicaria extra illud. Conclusio habet tres partes atque certa quoad omnes. Et quidem quod ex copula conjugali licita oriatur, patet ex toto *h. t.* Quod etiam ex adulterina sequatur, patebit ex dicendis infra *num.* 53. Quod tandem ex copula fornicaria extra Matrimonium oriatur, constat ex Concilio Tridentino *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 4. cujus textum vide infra *num.* 47. et c. *Ex litteris.* 8. et c. *Veniens.* 9. *De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae vel Sponsae.* Ratio est; quia non tantum per copulam Conjugalem vir cum foemina fit una caro, juxta *Genes. cap.* 2. sed etiam per copulam illicitam, ac fornicariam juxta textum 1. *ad Corinth.* 6. supra *num.* 32. citatum.

37 Resp. V. Ad hoc, ut copula sive conjugalis licita, sive fornicatio illicita inducat *Affinitatem*, et inde consurgens Impedimentum, debet esse perfecta, et talis, quae sufficit ad generationem prolis; ita ut saltem vir intra vas foeminae seminet, Sanches *lib.* 7. *Disp.* 64. *n.* 8. Bosco *Disp.* 12. *de Impedim. Matrim. sect.* 6. *Concl.* 1. Sporer *p.* 4. *cap.* 1. *sect.* 1. *n.* 74. Ratio est, quia ideo ex copula carnali consurgit *Affinitas*, quod ob illam vir et foemina fiunt una caro, juxta dicta *arg. can. Fraternitatis* 1. *cau.* 35. *q.* 10. atqui non fiunt una caro, nisi copula sit perfecta et talis, quae sufficiat ad generationem prolis, qualis est sola, qua saltem vir intra vas foeminae seminat, *arg. can. Lex Divina.* 18. *cau.* 27. *q.* 2. ubi Pontifex ait : *Sed neque osculum parit propinquitatem : quod nullam facit seminis commixtionem.* Concordat *can. Extraordinaria pollutio* 11. *cau.* 35. *q.* 3. *et c.* 2. *de Conversat. conjugat.* atque amplius probat Sanches *lib.* 2. *Disp.* 21. *n.* 5.

Nec obstat Conclusioni *c. Juvenis.* 3. *de Sponsal.* et c. *Fraternitatis.* 7. *de eo, qui cognovit*, ubi etiam ille repellitur a conjugio cum illa, cujus consanguineam copula solum attentata et non perfecta cognovit. Resp. enim, illum Attentatorem fuisse repulsum, non propter *Affinitatem*, utpote minime contractam, sed ob Impedimentum *publicae honestatis*, quod ex Sponsalibus cum priori consanguinea contraxerat. 38

Infertur I. Ex sola copula etiam vase penetrato facta, semine tamen viri vel omnino non, vel extra vas muliebre emisso, non contrahi *Affinitatem.* 39

Infertur II. Illam etiam non contrahi ex copula sodomitica; nec ex quacunque alia pollutione extra vas generationi deputatum facta, multo minus ex tactibus quantumvis enormibus. 40

Infertur III. Illam neque oriri ex Matrimonio rato nondum consummato, etsi ex eodem oriatur Impedimentum *publicae honestatis.* 41

Infertur IV. Pariter non oriri *Affinitatem* ex copula, in qua sola foemina seminat. Ratio hujus et horum omnium illationum est, quod ex his copulis et tactibus, utpote ad generationem minime sufficientibus, non fiat una caro inter copulatos carnaliter, consequenter nulla *Affinitas*, cujus causa principalis est carnis unitas inter carnaliter se cognoscentes per dicta supra *num.* 37. 42

Dicitur autem constanter in Conclusione, *ita ut saltem vir intra vas foeminae seminet* ; quia hoc ad contrahendam *Affinitatem* sufficit, nec requiritur, ut etiam foemina seminet, prout cum communiori et probabiliori aliorum recte docet Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 64. *n.* 17. *et* 21. Abbas *in c. Fraternitati.* 7. *de eo, qui cognovit, in fine*, et ibi Hostiensis *ad finem*, Sylvester ✠. *Matrimonium.* 8. *quaest.* 15. Armilla ✠. *Matrimonium. n.* 26. et alii a Sanchez citati. Ratio est; quia per dicta *nu.* 37. et concordem aliorum etiam Adversariorum requiritur et sufficit talis copula, ex qua possit fieri generatio prolis; atqui ad hujus generationem non requiritur, quod etiam seminet foemina, sed sufficit sola seminatio viri intra vas mulieris, ut ex sententia D. Thomae *p.* 3. *q.* 31. *a.* 5. *ad* 3. Aristotelis, Avicennae, et communiore Medicorum docet Sanches *loc. cit. et lib.* 2. *Disp.* 21. *n.* 10. dicens : Sententiam D. Thomae sequi omnes Doctores, quam confirmatur etiam experientia, et confessione plurimarum honestarum et piarum, fideque dignissimarum foeminarum, de quibus fertur, eas omnino asseverasse, quod sine ulla propria seminatione, et solo mariti semine conceperint. 43

Infertur proin cum Sanchez *lib.* 7. *Disp* 64. *num.* 7. oriri *Affinitatem* ex copula, viro seminante, habita, cum foemina ignorante, dormiente, ebria item cum prorsus invita, de qua ultima specialis extat textus *c. Discretionem.* 6. *de eo, qui cognovit.* 44

Nec dicas, contrariam sententiam dicentem, quod etiam seminatio foeminae requiratur ad inducendam *Affinitatem*, esse probabilem, hoc ipso, quod secundum probabilem sententiam ad generationem prolis tam foeminae quam viri requiratur seminatio, prout pluribus relatis aliis ipse etiam Sanchez probabile censet *lib.* 2. *Disp.* 21. *numer.* 11. ergo etiam haec sententia saltem in foro inter- 45

se practicari poterit, praesertim cum serviat pro multorum poenitentium consolatione, et liceat sequi sententiam probabilem relicta probabiliori. Resp. transmisso *Ant.* negando *Conseq.* quia etsi, dato non concesso, etiam haec sententia foret probabilis, tamen si nostra est probabilior, prout revera est, uti fatentur etiam plures ex Adversariis, neutiquam licebit illam probabilem sequi, eo quod agatur de valore Sacramenti Matrimonii, utpote quod per *Affinitatem* dirimitur, et invalidum evadit: quando autem agitur de valore Sacramenti, nullatenus licet sequi sententiam probabilem relicta probabiliori, prout aperte constat ex Decreto Innocentii XI. contrariam opinionem ordine ibidem *primam* damnantis.

46 Dices, Matrimonium est causa favorabilis, ita et in dubio et controversia pro illa standum sit ac judicandum: ergo. Resp. *Ant.* in aliquibus esse verum de Matrimonio actu jam contracto, non autem de contrahendo, utpote ad quod impediendum sufficit unus quoque testis, etsi caeteroquin inhabilis, de Impedimento testificans per dicta supra *Tit. I. nu.* 315. *arg. c. Praeterea. de Sponsal. et Matrim.*

47 Quaeritur II. Quousque, et quo Jure *Affinitas* dirimat Matrimonium? Quomodo item gradus *Affinitatis* sint computandi? Resp. I. Quamvis olim *Affinitas* Jure antiquo usque ad septimum gradum diremerit Matrimonium, *can. Nullum.* 7. *cau.* 35. *q.* 3. cum Concordantiis, hodierno tamen Jure *Affinitas* ex licita copula conjugali proveniens, tantum usque ad quartum gradum inclusive inter maritum videlicet, et Consanguineos uxoris, et vicissim inter uxorem et Consanguineos mariti dirimit. Proveniens vero ex illicita copula, fornicaria videlicet, vel adulterina usque ad secundum gradum inclusive inter fornicatorem vel adulterum, et Consanguineos illicite cognitae: ac vicissim inter hanc et Consanguineos fornicatoris vel adulteri. Communis ac certa. Et quidem prima pars de *Affinitate* ex copula conjugali licita textus expressus habetur *c. Non debet.* 8. *h. t.* ibi: *Prohibitio copulae conjugalis quartum Consanguinitatis et Affinitatis gradum de caetero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari. De Affinitate* vero ex copula illicita habetur expressa dispositio *Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 4. Sancta Synodus gravissimis de causis adducta Impedimentum, quod propter Affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, et Matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum qui in primo et secundo gradu conjunguntur, restringit, in ulterioribus vero gradibus statuit, hujusmodi Affinitatem Matrimonium postea contractum non dirimere.*

48 Resp. II. Nullus nec primus quidem gradus *Affinitatis in Linea Transversali* Jure naturae dirimit Matrimonium, ut proin per dispensationem Papae valide ac licite possit quis nubere sorori uxoris suae defunctae, vel viduae relictae fratris mariti defuncti, Scotus *in 4. dist.* 41. *q. un. a.* 4. Covarruvias *de Matrim. p.* 2. *cap.* 6. §. 10. *n.* 7. Pontius *lib.* 7. *cap.* 34. Pirhing *h. t. n.* 34. cum communi aliorum, *arg. fin. de Divort.* ubi ex dispensatione Ecclesiae permittitur conversis ad fidem, ut *Matrimoniis contractis, cum relictis fratrum utantur*: qua ratione cum Affinibus in primo gradu dispensarunt Pontifices: ut Julius II. qui dispensavit cum vidua Reginae Angliae, ut nuberet defuncti Regis fratri Henrico VIII. quam dispensationem legitimam et validam fuisse, consultis prius celeberrimis Europae Universitatibus, per specialem Bullam postea declaravit Clemens VII. unde ortum est infelicissimum illud Schisma, per quod Angliae Regnum ab Ecclesia Romana Catholica descivit. Clemens VIII. etiam dispensavit cum Rege Poloniae, quod nubere potuerit sorori defunctae uxoris etc. Accedit, quod Jacob sanctissimus Patriarcha duxerit Rachel, et Liam sorores, *Genes.* 29. et Lex Mosaica jusserit, ut frater duceret uxorem fratris sine liberis defuncti; quae omnia fieri non potuerunt, si *Affinitas* in primo gradu *Lineae Transversae* Jure naturae esset irritans.

49 Resp. III. Quamvis plures DD. et Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 66. *num.* 7. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *resolut.* 93. Pontius *lib.* 7. *cap.* 34. *num.* 5. et alii doceant, *Affinitatem* Jure Divino etiam in *Lineae Rectae* gradu primo non dirimere Matrimonium. Nihilominus sententia contraria dicens, *Affinitatem in Lineae Rectae* gradu primo, v. g. inter vitricum et privignam, item inter Novercam et privignum etc. Jure naturae dirimere Matrimonium, probabilior videtur, eamque docet Sylvester *V. Matrimonium.* 8. *q.* 15. *d.* 6. Pirhing *h. t. num.* 32. et alii, *arg. l. Si ad Adulterium.* §. 2. *ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* et *l. fin. ff. de Condict. sine cau.* et ibi Glossa aperte dicens, tale Matrimonium contra Jus naturale et Civile esse, et *can. Si vir.* 15. *cau.* 35. *q.* 3. ubi dicitur: *Si vir et uxor non jam duo sed una caro sunt, non aliter Nurus reputanda quam filia*; atqui cum filia Jure naturae irritum est Matrimonium: ergo. Quibus accedit Concilium Avernense *cap.* 11. ubi Matrimonium cum Privigno initum, Jure naturae rumpi dicitur: unde et Gentes talia conjugia utpote instinctu naturae abominantur, 1. *ad Corint. cap.* 5. ibi: *Auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Ratio est; quia Vitricus et Noverca, socer et Nurus parentum loco veniunt, §. *Socrum.* 7. *Instit. de Nupt.* et *l. Quia parentis.* 16. *ff. Soluto Matrim.* consequenter eisdem eadem fere debetur reverentia a Privignis etc. quae a liberis naturalibus. Confirmatur Ecclesiae praxi, quae nunquam legitur dispensasse cum Affinibus in primo *Lineae Rectae* gradu.

50 Intelligitur autem Conclusio de *Affinitate* ex copula licita conjugali, quia inter Affines in primo gradu *Lineae Rectae* ex copula illicita Jure naturae Matrimonium non dirimi satis conveniunt DD. eo quod Jura et rationes de his non militent: et cum his S. Sedes jam saepe dispensaverit, teste Laymano *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *cap.* 6. *n.* 6.

51 Resp. IV. Gradus *Affinitatis* mensurantur, et computantur juxta gradus Consanguinitatis, ita ut quoto gradu Consanguinitatis aliquis est conjunctus personae alicui carnaliter cognitae, toto gradu Affinitatis ipse sit conjunctus illi, qui talem carnaliter cognovit: et vicissim quoto gradu Consanguinitatis quis est conjunctus personae alicui aliquam carnaliter cognoscenti, toto gradu *Affinitatis* sit conjunctus personae carnaliter cognitae. Unanimis et certa textu expresso *can. Porro.* 3. *cau.* 35. *q.* 5.

52 Hinc ad cognoscendos *Affinitatis* gradus non erit opus nova Arbore *Affinitatis*, cum ex sola Arbore Consanguinitatis facile dignosci valeant. Scire enim cupiens vir v. g. An, et quoto gradu *Affinitatis* sit conjunctus alicui puellae, tantum attendat, an ipsius Consanguineam habeat pro uxore, vel an aliquando unam ex Consanguineis talis puellae carnaliter cognoverit: si non, inferat: ergo non sum affinis: si sic, inferat, ergo sum affinis; et ulterius indaget, quoto gradu Consanguinitatis talis puellae sit conjuncta uxori, vel personae carnaliter a se cognitae, quo percepto, inferat; ergo eodem gradu *Affinitatis* sum tali puellae conjunctus juxta tenorem Conclusionis. Quoto autem Consanguinitatis gradu memorata puella sit uxori suae, vel alteri

personae carnaliter a te cognitae conjuncta, illico videbis ex Arbore Consanguinitatis, si nempe dictam puellam ponas in illam cellulam, ubi est *Petrutius*; et videas, ad quam cellulam, ex reliquis pertineat persona a te carnaliter cognita; consequenter quoto gradu Consanguinitatis conjungatur illi puellae, juxta dicta supra §. *Praeced.* et Regulas ibidem datas.

53 Quaeritur III. Quid Juris? praesertim an, et quale *Affinitatis* Impedimentum, et poenas contrahat, si quis contracto jam Matrimonio, carnaliter cognoscit Consanguineam uxoris suae? Resp. I. Maritus, qui carnaliter peccat cum uxoris suae adhuc viventis Consanguinea in secundo gradu; vel vicissim si uxor cum Consanguineo mariti, contrahit quidem *Affinitatem* cum proprio conjuge, ita tamen, ut per illam Matrimonium nullatenus dissolvatur, sed tantum privetur jure petendi debitum conjux peccans, quamvis illud reddere teneatur conjugi innocenti idem exigenti. Communis ac certa. Et quidem, quod Matrimonium non dissolvatur, textus expressus habetur *c. Discretionem.* 6. *c. Tuae fraternitatis.* 10. *c. Jordanae.* 11. *h. t.* cum Concordantiis. Quod vero conjux peccans privetur jure petendi debitum, et nihilominus illud reddere teneatur petendi, testus est, *c. h. t.* ibi: *Nec debitum petere potest, et cit. c.* 6. *et* 10 *h. t.* ibi: *Vir ejus* (peccans nempe) *poterit, et debebit cum Dei timore solvere ei debitum conjugale.* Ratio subjungitur: *Cum Affinitas post Matrimonium inique contracta illi nocere non debeat, quae iniquitatis particeps non existit.*

54 Dicitur autem notanter *cum uxoris Consanguinea in secundo gradu*: quia *Affinitas* ex copula illicita (qualis utique est haec adulterina) consurgens, secundum gradum non excedit juxta novissimam Dispositionem Concilii Tridentini *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 4. (textum vide supra *num.* 47.) et ad praesens cum aliis bene advertit Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 15. *num* 4. indeque recte infert, quod peccans cum conjugis Consanguinea in tertio gradu, jure petendi debitum non privetur.

55 Resp. II. Conjux cum Consanguineo conjugis suae carnaliter peccans (praeter alias poenas a Jure Civili in tales delinquentes statutas) de Jure Canonico in poenam delicti incestuosi debet manere innuptus, ita, ut cum nulla muliere possit amplius contrahere Matrimonium; quamvis, si illud contrahat, valeat. Communis ac certa textu expresso *c.* 2. *et* 4. *h. t.* juncto *can. Si quis.* 5. *cau.* 35. *q.* 2. quam poenam etiam ipsa conjugis innocentis Consanguinea cum altero peccans incurrit, *arg. cit. can. Si quis.* 5. *cau.* 35. *q.* 2. *et c.* 1. *h. t.* ibi; *Nec filiastra* (privigna, seu filia uxoris suae, cum qua maritus peccaverat) *nec ille ullo unquam tempore se poterunt Matrimonio copulare.*

56 Procedit Conclusio etiam in casu, quo quis carnaliter peccat cum Consanguinea conjugis prius jam defunctae. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 15. *numer.* 12. Engel *h. t. num.* 5. Barbosa *in c. Transmissae* 4. *de eo qui cognovit* Pirhing *eod. num.* 4. et alii contra Sotum et nonnullos alios a Sanchez citatos, textu expresso *cit. c. Transmissae.* 4. *eod.* ubi narratur casus de copula carnali cum Consanguinea uxoris jam defunctae habita. Ratio est, quia etiam tunc adhuc verum committitur delictum incestus, ob quod solum poena haec lata est.

57 Notandum tamen, ad hoc, ut praefata poena a peccantibus incurratur, requiri I. quod sciant se esse affines, se unum ex peccantibus esse in primo, vel secundo gradu conjunctum alterius peccantis conjugi. Sanchez *loc cit. num.* 9. asserens ita docere universos, *arg. c.* 1. *de eo, qui cognovit*, ibi: *Si quis scienter.* Et Ratio est; quia alias verum et formalem incestum non committunt; ob quod haec poena lata est.

58 Ob eandem rationem, hanc poenam non incurrit foemina per vim cognita, Sanchez *loc cit. nu.* 10. Engel *loc. cit. num.* 7. Pirhing *in c. de eo, qui cognovit*, *n.* 6. Ratio est; quia in tali casu talis foemina penitus nullam committit culpam, consequenter nullam incurrit poenam, *arg. c. Discretionem.* 6. *de eo, qui cognovit.*

59 Aliud est de *Affinitate*; haec enim, quia non ob delictum, sed ex sola carnis unione provenit, etiam ab eo contrahitur, qui ignoranter carnaliter cognoscit consanguineam uxoris, vel alterius a se prius cognitae.

60 Ulterius requirit Sanchez *loc. cit. num.* 11. cum aliis copulam perfectam, et quidem talem, quae apta est generationi prolis, ita ut saltem vir intra vas foeminae seminet; Verum haec doctrina non placet; quamvis enim verum sit, requiri perfectam copulam, ita ut vas mulieris vere penetretur, *arg can. Extraordinaria.* 11. *cau.* 35 *q.* 2. *et* 3. tamen seminatio intra vas non videtur necessaria, eo quod haec poena non proveniat ex sola perfecta carnis unione, uti *Affinitas*, sed ex delicto incestus, quod vere et formaliter est tale, etiamsi vir non seminet intra vas, ut omnes fatentur. Imo si vir vase penetrato ad evitandam impraegnationem dein seminet extra vas, delictum incestus majus est, et augetur; consequenter a poena, quae principaliter intuitu delicti incestus a Jure posita est, immunis esse non debet.

61 Pro praxi tamen observandum cum Navarro *in Manual cap.* 22. *n.* 75. Poenam incestuosi, vi cujus abstinere debet ab omni Matrimonio cum quocunque tandem contrahendo, hodie consuetudine contraria ubique esse abrogatam: vel si alicubi adhuc vigeret, posse saltem in eo dispositionem Episcopum.

62 Quaeritur IV. Quid Juris, si quis cum Consanguinea suae Sponsae carnaliter peccet? Resp. Si quis carnaliter cognoscit Consanguineam Sponsae in primo vel secundo gradu, contrahit cum propria Sponsa *Affinitatem*, et ex hac Impedimentum *dirimens*, ita, ut sine dispensatione Matrimonium cum illa valide contrahere non amplius possit. Communis ac certa per dicta supra. Nec potest talem Sponsae Consanguineam, quam carnaliter cognovit, in uxorem accipere, si est in primo gradu Consanguinea Sponsae, eo quod per praecedentia Sponsalia jam contraxerit Impedimentum *publicae honestatis* cum illa per dicta *Tit. IV. a num.* 10.

63 Imo si Sponsae consanguinea carnaliter cognita est in primo gradu, v. g. Mater, aut soror, tunc tam Sponsus, quam Sponsae Consanguinea peccans prohibetur imposterum cum quacunque alia Matrimonium contrahere, *can Si quis.* 5. *can* 35. *q.* 2. *et* 3. *et c.* 2. *Ex litteris.* 8. *de eo, qui cognovit.* Verum requiruntur ad hoc etiam conditiones, quae requiruntur in eo, qui cognovit Consanguineam uxoris in primo vel secundo gradu, juxta dicta *a num.* 47. Imo sicut usu, aut consuetudine contraria abrogatam diximus poenam abstinendi a quocunque alio Matrimonio in cognoscente Consanguineam uxoris, sic idem dicimus modo servatis servandis de cognoscente Consanguineam Sponsae quoad poenam abstinendi a Matrimonio cum quacunque alia. Manentibus tamen in suo robore Impedimentis *Affinitatis*, et *publicae honestatis* provenientibus ex casu, quo quis cognovit Consanguineam suae Sponsae.

TITULUS XV.

De Frigidis, et Maleficiatis, et Impotentia coeundi.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
2 *Impotentia coeundi, quatenus est Impedimentum* dirimens, *quid?*
3 *Alia est naturalis seu intrinseca.*
Frigiditas, et Frigidi qui? Ibid.
4 *Alia Impotentia est accidentalis et extrinseca.*
5 *Alia perpetua, alia temporalis.*
6 *Perpetua non est, quae sine vitae periculo, etsi non sine periculo infirmitatis, aut incommodi gravis tolli potest. Et n. seq.*
8 *Impotentia alia est absoluta, alia respectiva.*
9 *Omnis et sola Impotentia perpetua dirimit Matrimonium.*
10 *Etiam respectiva.*
11 *Temporalis non dirimit.*
12 *Neque perpetua, si Matrimonium subsequitur.*
13 *Solvitur instantia*
14 *Impotentia perpetua est, si vir intra vas seminare nequit.*
15 *Semen mulieris non requiritur, sed sufficit ad Matrimonium, si mulier semen viri recipere possit, etsi illud retinere non valeat. Et num. seq.*
17 *Steriles non habent Impedimentum Impotentiae, sed possunt nubere.*
18 *Hine in quavis aetate quis nubere potest.*
19 *Nisi ita exhaustus quis esset, ut copulam perfectam habere non amplius posset.*
20 *Valet Matrimonium cum existente in periculo mortis, nisi vi morbi totaliter esset destructa potentia generandi.*
21 *Cum Spadonibus et Eunuchis nullum est Matrimonium, si utroque testiculo carent, secus est, si tantum uno carent.*
22 *Hermaphroditi secundum sexum praevalentem valide contrahunt Matrimonium.*
23 *Si nullus sexus praevalet, juxta utrumque valide nubunt: et quomodo?*
24 *Possunt etiam secundum minus praevalentem sexum nubere, et quando?*
25 *Quis sexus praevaleat, unde cognoscatur?*
26 *Qui dubitat, an laboret Impotentia perpetua, non potest licite contrahere Matrimonium.*
27 *Si contracto Matrimonio dubium prius habitum adhuc perseveret, vel primum adveniat de Impotentia perpetua, possunt et debent conjuges per triennium tentare copulam.*
28 *Si constat de impotentia perpetua, dubitatur autem, an praecesserit, an vero subsecuta sit Matrimonium, praesumitur praecessisse, sive Impotentia sit intrinseca,*
29 *Sive extrinseca, seu accidentalis.*
30 *Dummodo pars potens de ea in tempore conqueratur.*
31 *In dubio, an Impotentia sit extrinseca vel intrinseca, praesumitur extrinseca.*
32 *Et ita ordinarie fit.*
33 *Etsi conjuges certi sint de Impotentia perpetua, non possunt propria auctoritate sese ab invicem separare, debent tamen a copula abstinere.*
34 *Nec potest eos Impotentiam fatentes Judex separare nisi prius fiat probatio.*
35 *Quae ordinarie fieri debet per inspectionem corporis.*
36 *Ad quam in foeminis requiruntur et sufficiunt honestae Matronae.*
37 *In opere nuptiali expertae, sive Obstetrices sint, sive non.*
38 *Quae non tantum inspicere, sed etiam tangere debent muliebria.*
39 *Ac dein suam depositionem juramento firmare.*
40 *Pro inspiciendo viro requiruntur etiam ac sufficiunt duo Medici, aut Chirurgi, si haberi possunt.*
41 *Subinde etiam ad foeminae inspectionem requiruntur Medici.*
42 *Si per inspectionem manifeste apparet adesse Impotentiam perpetuam, illico sine alia probatione annullatur Matrimonium.*
43 *Si non physice, moraliter tamen certum est adesse Impotentiam, declaratur Matrimonium nullum, accedente juramento conjugum, et propinquorum.*
44 *Si non nisi dubia signa Impotentiae appareat, debent per triennium tentare copulam.*
45 *Vel etiam per plures annos, si conjuges adhuc valde juvenes sint.*
Pubertas plena quid? Ibid.
49 *Quot propinqui, vel alii testes jurare debeant in casu dubio; Et num. seq. ac num. 51.*
48 *Si elapso triennio mulier potens affirmet, habitam esse copulam, vir autem dubie impotens id neget, creditur mulieri.*
49 *Et econtra, si negat mulier, et affirmat vir, creditur viro.*
50 *Nisi mulier per evidentia signa velit contrarium probare.*
52 *Si per physice vel moraliter certa signa apparet Impotentia perpetua, potest contra Matrimonium quovis tempore proclamari. Et num. seq.*
54 *Solvitur objectio.*
55 *Si vero signa sint dubia, unusque conjugum neget, alter affirmet Impotentiam, tunc post bimestre non amplius auditur, donec elapsum fuerit triennium.*
56 *Matrimonium ob Impotentiam annullatum, iterum reintegratur, si postea constat, eam non fuisse perpetuam.*
57 *Nisi Impotentia tolleretur per miraculum,*
58 *Aut ope daemonis, vel aliis illicitis mediis,*
59 *Aut esset respectiva.*
60 *Vel ortum haberet a maleficio.*
61 *Scienter contrahens cum impotente, tenetur illi tanquam frater vel soror cohabitare, eique necessaria subministrare.*
62 *Perpetua cum Impotentia ex ignorantia contrahentes Matrimonium possunt ut frater et soror cohabitare simul.*
63 *Nisi adsit periculum incontinentiae.*
64 *Si post contractum Matrimonium supervenit Impotentia perpetua, possunt et debent conjuges cohabitare.*
65 *Tenentur tamen abstinere ab attentatione copulae, non item a tactibus, vel osculis.*
66 *Conjuges tenentur auferre Impotentiam, et pati incisionem etiam cum gravi molestia, et dolore.*
67 *Non item cum periculo mortis, aut gravissimae infirmitatis.*

Inter alia Matrimonii Impedimenta est etiam Impotentia coeundi, seu habendi copulam conjugalem: quae Impotentia quia ex varia causa, ut ex nimia viri frigiditate, aut ex maleficio, aut aliunde provenire potest, ideo praesens Titulus de quavis tali Impotentia undecunque proveniente agit. 1

Quaeritur I. Quid ad praesens, et quotuplex sit *Impotentia.* Resp. I. Est inhabilitas ad habendam copulam carnalem perfectam talem quae fit per foe- 2

minae vasis penetrationem, et seminis in id effusionem. Sanchez *lib. 7. Disp. 92. n. 9.* Abbas *in c. Quod sedem. 2. h. t. n. 5.* Pirbing *h. t. n. 1.* cum communi. Et patebit magis ex sequentibus.

3 Resp. II. *Impotentia* coeundi varie dividitur. Nam *primo* alia est *naturalis* seu *intrinseca*: alia *accidentalis* seu *extrinseca*. Illa est, quae ex ipsius naturae defectu oritur: cujusmodi in foemina est arctitudo; si nempe tam arctum habeat vas, ut a viro penetrari nullatenus possit. In viris vero nimia frigiditas, aut caliditas. *Frigiditas* quidem, quando vir ob temperamentum nimis frigidum caret sufficientibus spiritibus membri erectionem, et ad seminis effusionem excitantibus, ita, ut vel omnino coire et virilia in foeminae vas immittere; aut semen illud emittere non valeat. Et ita ob temperamentum frigidum constituti *Frigidi* vocantur, frigiditatemque habere dicuntur, quae in solis reperitur viris, ut D. Thomas *in 4. dist. 34. q. un. a. 2. ad* 6. communiter receptus bene probat. Nimia caliditas autem adesse censetur, quando vir ob temperamentum nimis calidum statim ac virga habilis ad copulam invenitur, ita praepropere emittit semen, ut intra vas foemineum illud immittere nunquam valeat: quamvis, ut bene advertit D. Thomas *loc. cit. in corpore*, haec Impotentia ex caliditate rarissime, et vix unquam contingat.

4 *Impotentia accidentalis*, seu *extrinseca* est, quae non ex naturae defectu, sed ex maleficio, vel hominis opera provenit: quali invenitur in Maleficiatis, Castratis etc.

5 *Secundo* dividitur Impotentia in *perpetuam*, *et temporalem*. *Perpetua* est, quae absque mortis periculo, nec per licita media naturalia, nec per spiritualia, puta, per consuetos Ecclesiae Exorcismos, aut Benedictiones etc. tolli potest; etsi per miraculum, vel media illicita, vel per media naturalia cum mortis periculo tolli valeat. *Temporalis* est, quae vel opera, vel arte naturali licite, vel per consuetos Ecclesiae Exorcismos, aut alia media spiritualia praeter miraculum tolli potest, *arg c. Fraternitatis*, 6. *h. t.* ibi: *Nos perspicaciter attendentes, quod Impedimentum illud non erat perpetuum, quod praeter divinum miraculum per opus humanum, absque corporali periculo potuit removeri*, et ibi DD. communiter, qui etiam conveniunt, Impedimentum perpetuum esse, etsi per medium illicitum, incantationem v. g. vel maleficium contrarium tolli queat; quia de Jure illud tantum possibile, et fieri posse censetur, quod licite fieri potes, *can. Fraternitatis.* 15. *cau.* 22. *q.* 2. juncta Glossa ℣. *Quod potest.*

6 Controversis tamen inter DD. est, an Impedimentum perpetuum censeri debeat, quod per media naturalia tolli quidem potest absque vitae periculo, non tamen absque periculo gravis infirmitatis, aut incommodi corporalis. Affirmativam plures tenent apud Sanchez *lib. 7. Disp.* 93. *n.* 17. eo quod Pontifex *in cit. c. Fraternitatis. h. t.* praecise requirat *periculum corporale*, et non vitae, tamen *ibid. n.* 18. probabilius negativam amplectitur, quam etiam docet Barbosa *in c. Fraternitatis. h. t.* Guttierez *de Matrim. cap.* 112. *n.* 28. et alii, *arg. cit. c. Fraternitatis.* §. *Per haec autem. h. t.* ubi, quod in praecedenti §. per ly *periculum corporale* intellexerit solum periculum vitae, manifeste declarat illis verbis: *Ut ex ea mortis periculum timeatur.*

7 Infertur proinde validum esse Matrimonium, quod cum foemina arcta initur, si arctitudo illius per incisionem absque vitae periculo, licet non absque gravi dolore, et corporis incommodo, morbive non lethalis periculo tolli potest. Sanches *loc. cit. n.* 23. Guttierez *de Matrim. Disp.* 112. *n.* 28. Palao *de Sponsalib. Disp. 4. pun.* 14. §. 1. *n.* 14. quam proin incisionem pati debet mulier arcta per dicenda infra *nu.* 65. *et seqq.*

8 *Tertio* Impotentia coeundi alia est *Absoluta*, alia *Respectiva*. *Absoluta* est, quae respectu omnium alterius sexus personarum datur, ita ut habens illam, cum nulla persona perfectam copulam carnalem habere possit. *Respectiva* est, quae tantum respectu unius, aut plurium certarum personarum, non item respectu omnium datur, ita, ut licet laborans hac Impotentia coire non possit cum hac, vel illa persona, possit tamen cum alia. Talis subinde consurgit ex maleficio, quo ita afficitur persona, ut cum una vel altera persona nullatenus coire valeat, etsi cum alia copulam habere bene possit. Talis etiam reperitur in illis, qui habent nimiam improportionem in partibus genitalibus, v. g. si viri genitalia sunt nimis crassa, muliebria autem angusta, ita ut cum ista coire nunquam possit; neque incisio sufficiens sine mortis periculo fieri queat; quamvis tam ille, quam ista cum alia persona, aliam corporis proportionem habente, copulam perfectam habere bene possit.

9 Quaeritur II. Quaenam Impotentia ex recensitis dirimat Matrimonium? Resp. I. Omnis et sola perpetua, Matrimonium antecedens Impotentia habendi perfectam copulam carnalem, est Impedimentum *dirimens* Matrimonii. Communis ac certa, ob claram Juris dispositionem *Tot. h. t.* Et quidem dicitur imprimis: *Omnis Impotentia perpetua*, ad indicandum, nihil referre, sive intrinseca et naturalis, sive absoluta, sive respectiva, dummodo sit perpetua. Ratio est; quia de essentia et intrinseca ratione Matrimonii est obligatio ad reddendum debitum conjugale, et traditio corporis ad copulam carnalem conjugalem; atqui perpetuo impotens ad copulam, non potest se obligare ad eam; *Impossibilium enim nulla est obligatio, L.* 185. *ff. de R. J. in* 6. nec potest tradere corpus ad hunc usum: cum nemo possit dare, quod non habet, *arg. Nemo.* 79. *de R. J. in* 6. ergo.

10 Hinc licet *Impotentia respectiva* non inducat Impedimentum respectu omnium, inducit tamen illud respectu illius aut illarum personarum, respectu quarum datur, ut cum communi bene ducet Sanchez *lib. 7. Disp.* 93. *num.* 3. *arg. can. fin. cau.* 33. *quaest.* 1. dummodo talis *respectiva Impotentia* sit *perpetua*; uti esse potest juxta Abbatem *in c. Fraternitatis. h. t. num.* 19. Sanches *loc. cit. numer.* 5. Guttierez *de Matrim. cap.* 113. *a. numer.* 1. et communem aliorum contra paucos alios, *arg. cit. can. cau.* 33. *quaest.* 1. Et patet; quia plane contingere potest, quod alicujus viri genitalia ita sint crassa, ut respectu alicujus certae mulieris parvae, et augusta muliebria habentis adsit *Impotentia perpetua* coeundi, quae absque vitae periculo tolli nequit.

11 Dicitur *secundo* in Conclusione *sola Impotentia perpetua*: ad indicandum, quod temporalis Impotentia Matrimonium non dirimat, ut omnes concedunt, textu expresso, *c. Fraternitatis.* 6. *h. t.* Nec obstat *c.* 2. *h. t.* et *c. Continebatur. de Desponsat. Impub.* ubi impuberes ob impotentiam coeundi dicuntur Inhabiles ad Matrimonium; cum tamen horum Impotentia sit tantum *temporalis*. Resp. enim, de impuberibus specialem adesse dispositionem Juris positivi, de Jure naturali autem nullum inter eos versari Impedimentum, cum in eo Papa valeat dispensare textu claro *c.* 2. *de Dispensat. Impub.*

12 Dicitur *tertio* in Conclusione *Matrimonium antecedens*; quia si Impedimentum post Matrimonium superveniat, nequiquam dirimit Matrimonium, juxta unanimem et certam texto expresso, *can. Hi qui.* 25.

cau. 32. *q.* 7. idque propter ejus indissolubilitatem. Quod intellige, etsi Matrimonium nondum consummatum, sed tantum ratum solummodo sit, ut eum communi bene docet Abbas *in c. Ex litteris.* 3. *h. t.* et ibi Anchoranus *in fine*, ac Barbosa *n.* 2. dicens esse sententiam verissimam, quod idem dicit Sanches *lib.* 7. *Disp.* 102. *n.* 3. Ratio est: tum quia Jure indistincte loquuntur, Matrimonium ob supervaniens Impedimentum non dirimi, *arg. cit. can. Hi qui cau.* 32. *q.* 7. *et can. Si uxorem.* 18. *cau* 32. *q.* 5. Tum quia Matrimonium ratum non nisi Professione Religiosa dissolvitur, *arg. c. Ex publico, et c. Ex parte. de Convers. conjug.* unde etiam Matrimonium jam contractum non dirimitur ob Impedimentum *Affinitatis* superveniens.

13 Nec obstat, quod Adversarii objiciunt, *c.* 3. *h. t.* nec *can. Quod proposuisti. can.* 32. *quaest.* 7. quia ibidem vel est sermo de Impedimento Matrimonium antecedente, vel de casu, quo Papa in Matrimonio rato dispensavit, quod ob superveniens Impedimentum fieri posse, cum aliis bene observat Abbas *loc. cit.*

Caeterum quid Juris, si dubitatur, an Impedimentum antecesserit Matrimonium, vel illud sit secutum: Item quid in tali casu liceat conjugibus, dicetur infra *a num.* 27. Interea.

14 Dicitur *quarto* in conclusione, *habendi copulam perfectam*; per quam hic intelligimus illam, qua saltem vir seminat, ut proin verum adesse censeatur Impedimentum *Impotentiae*, si vir sive ex proprio, sive mulieris defectu, vel omnino non, vel non intra vas foeminae seminare potest, etsi cum illa congredi, et vas illius penetrare valeat. Sanches *lib.* 7. *Disp.* 92. *n.* 9. Abbas *in c.* 2. *h. t. nu* 5. cum communi. Ratio est, quia de ratione Matrimonii est traditio corporis ad copulam conjugalem; at non reputatur conjugalis, si semper deficit semen; coitus enim et copula est tantum via ad actum conjugalem perficiendum.

15 Sufficit tamen, si vir seminare possit, etsi foemina seminare nequeat, Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 91. *n.* 8. eo quod semen foeminae non sit necessarium ad generationem prolis, licet ad eam multum conferat, juxta dicta *Tit. praeced. nu.* 43.

16 Pariter sufficit, si vir semen intra vas mulieris emittere valeat, etsi mulier illud retinere nequeat, Sanchez *loc. cit num.* 11. Ratio est: tum quia tunc jam habetur copula conjugalis. Tum quia ex eo, quod semen retinere nequeat, tantum sequitur, eam esse sterilem, quod valori Matrimonii non obest juxta dicenda *num. seq.*

17 Resp. II. Impotentia generandi, seu sterilitas non inducit Impedimentum *Impotentiae*; dummodo adsit potentia habendi copulam perfectam *numer. praeced.* descriptam, Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 92. *num.* 26. dicens esse certissimum, Pirhing *h. t. nu.* 4. Engel *h. t. num* 3. cum communi contra Felinum in *c. Cum sit.* 6. *de Foro compet. nu.* 15 *arg. can. Tantum.* 27. *can.* 32. *q.* 7. Ratio est: Tum quia steriles, ut suppono, possunt habere veram copulam conjugalem. Tum quia etsi steriles non habeant, nec possint habere primarium finem Matrimonii, qui est procreatio prolis, possunt tamen habere secundarium, qui est remedium concupiscentiae, et solatium humanitatis, ut dicitur *can. Nuptiarum.* 41. *cau.* 27. *q.* 1. quapropter steriles copulam conjugalem tam licite habere possunt, quam foecundi. Tum etiam; quia sterilitas progressu temporis saepe corrigitur, prout constat variis exemplis ex Scriptura sacra, et historia profana. Accedit universalis praxis et consuetudo, quae est optima legum interpres, *L.* 37. *ff. de Legib.* Ecclesia siquidem, etsi sciat, semen in senibus ac decrepitis ordinarie esse sterile, eos nihilominus ad Matrimonium admittit; nec etiam juvenes conjuges, nec senes ob sterilitatem etsi patentem dissolvit, sed eos in libero Matrimonii usu permittit.

Ex dictis Infertur pro praxi I. In quacunque etiam decrepita aetate homines contrahere posse Matrimonium ob dicta *num. praeced.* Nec obstat, quod Jure Civili antiquo *Lege Papia*, et *Julia* Matrimonium contrahere prohibitum fuerit viris annum sexagesimum excedentibus, et foeminis post annum quinquagesimum. Nam contra est tum universalis usus et praxis Ecclesiae: Tum quia illa antiqua Lex sublata est a Justiniano Imperatore, *l. Sancimus.* 27. *C. de Nuptiis.* 18

Limitatur tamen recta *num. praeced.* de senibus data doctrina, in casu, quo senex ita exhaustus ac decrepitus est, ut nullo modo possit amplius habere copulam perfectam, nec ad eam arte medicinae, aut aliis licitis mediis juvari, Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 92. *q.* 24. ubi plurimos alios citat, Engel *loc. cit.* Pirhing *loc. cit.* Barbosa *in c.* 2. *h. t. nu.* 6. Gutierez *de Matrim. cap.* 112. *nu.* 12. *et seqq.* Ratio patet ex dictis *num.* 14. 19

Infertur II. Validum esse Matrimonium, quod cum eo, qui est in articulo mortis, contrahitur ob legitimationem prolis v. g. aut salutem animae, quae ob nimium affectum erga aliquam concubinam periclitatur ex eo, quod serium habere non possit propositum eam dimittendi etc. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 105. *n.* 3. Palao *de Sponsal. Disp.* 4. *pun.* 14. §. 2. *n.* 6. Barbosa *in c. Tanta.* 6. *Qui filii sint legitimi. n.* 8. eoque teste ibi Omnes, Pirhing *loc. cit. n.* 6. Covarruvias *p.* 2. *cap* 8. §. 2. *n.* 10. Ratio est; quia in tali (ut supponitur et praesumitur) adhuc vera existit potentia habendi copulam perfectam, etsi per accidens hoc tempore sit impedita. Accedit Ecclesiae praxis et consuetudo recepta. Quod si tamen constaret in aegrotante potentiam habendi copulam perfectam, vi morbi esse omnino destructam, prout fieri potest, utique Matrimonium irritum esset, ut bene advertit Palau *loc. cit.* undecunque enim proveniat vera Impotentia *perpetua* ad habendam copulam perfectam, adest Impedimentum *dirimens*, cum desint substantialia Matrimonii per dicta *num.* 9. *et* 14. 20

Infertur III. Eunuchos, Spadones, et Castratos utroque testiculo carentes, valide non posse contrahere Matrimonium; quia non possunt emittere verum semen, quod tamen requiritur juxta dicta *num.* 14. Accedit, idem decisum, et declaratum esse a Sixto V. qui Hispaniarum Legato, desuper interroganti, ita respondit. *Fraternitati tuae praesentes committimus, et mandamus, ut conjugia per Eunuchos et Spadones utroque testiculo carentes, cum quibusvis mulieribus, sive etiam scientibus contrahi prohibeas, eosque ad Matrimonium quomodocunque contrahendum, inhabiles auctoritate nostra declares.* Secus est, si uno tantum testiculo carent; hos enim Matrimonium valide et licite contrahere posse, extra controversiam est, docetque cum communi aliorum Abbas *in c.* 2. *h. t. n* 5. ubi ita interpretatur *l. Si serva.* 39. §. *Si spadoni. ff. de Jure dot.* 21

Infertur IV. Hermaphroditos quoque, id est, de utroque sexu participantes, capaces esse valide ac licite contrahendi Matrimonii conformiter sexui praevalenti, ita ut tanquam vir nubere valeat, quando in illo sexus virilis praevalet, et tanquam foemina, quando sexus foemineus praevalet, Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 106. *n.* 4. Gutierez *de Matrim. Disp.* 119. *n.* 1. Pirhing *h. t. n.* 3. cum communi. Ratio est; quia Hermaphroditus reputatur vir, si virilis sexus praevalet; foemina vero si praevalet sexus foemineus, *l. Quaeritur* 10. *de Statu hominum*, ibi: *Quaeritur Hermaphroditum cui comparemus? et magis puto, ejus sexus aestimandum, qui in eo praevalet.* 22

23 Quod, si nullus sexus praevalet, sed uterque aequalis apparet, tunc pro libitu vel ut vir, vel ut foemina nubere potest, Sanchez *loc. cit.* Guttierez *loc. cit.* Sylvester ℣. *Hermaphroditus in fine*, Pirhing *loc. cit.* dummodo alteri sexui perpetuo renuntiet, et prius juret, quod imposterum non nisi secundum sexum semel electum copula uti velit. Hinc Perochus tali Hermaphroditi Matrimonio assistere non debet, nisi coram Judice Ecclesiastico praefatum juramentum fuerit depositum. Nec potest talis conjuge suo defuncto, postea secundum alterum sexum licite nubere; quamvis, si ita nuberet, Matrimonium validum foret, utpote nullo Jure irritatum, Sanchez *loc. cit.*

24 Porro in casu, quo unus sexus praevalet quidem, non tamen ita, quin secundum alterum sexum debiliorem adhuc vere sit capax habendi veram copulam perfectam, potest etiam secundum hunc debiliorem sexum (praestito prius juramento ut supra *num. praeced.*) Matrimonium valide et licite contrahere, Pontius *lib. 7. cap.* 65. *n.* 8. Perez *Disp.* 36. *sect.* 13. *num.* 4. Ratio est, quia nec naturali, nec positivo aliquo Jure irritum, vel prohibitum invenitur.

25 Caeterum, quinam sexus praevaleat, standum est judicio peritarum Matronarum ac Medicorum: qui, si determinare nequeant, quinam sexus praevaleat, judicandum est, eum esse aequalem. Quinam autem sexus praedominetur, standum est ipsiusmet Hermaphroditi dicto, utpote qui de praesenti rem plus quam alii cognoscere valet. Sanchez *loc. cit. n.* 2. *et* 9.

26 Quaeritur III. Quid Juris, si dubium est, an adsit Impotentia: vel an Impotentia sit *perpetua*, vel *temporalis*? Item an praecesserit Matrimonium, vel eo jam contracto primum supervenerit? Resp. I. Qui ante Matrimonium dubitat, an laboret vera Impotentia *perpetua* nec ne, peccat mortaliter, si stante dubio Matrimonium contrahit. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 103. *n.* 10. Guttierr. *de Matrim. cap.* 116. *n.* 2. Palao *de Sponsal. Disp.* 4. *pun.* 14. §. 7. *n.* 1. dicens sententiam hanc esse certam. Ratio est; quia gravem injuriam infert alteri parti, simul et Sacramento Matrimonii, utpote quod exponit periculo irritationis; quod, si nihilominus stante tali dubio Matrimonium contraxit, petere et reddere potest debitum conjugale, ut sibi et Ecclesiae constare possit, an valide vel invalide contraxerit Matrimonium, Palao *loc. cit. n.* 2. per dicenda infra *n. seq.*

27 Resp. II. Si Matrimonio jam contracto primum emergat, vel prius habitum adhuc perseveret dubium, an quis laboret vera Impotentia *perpetua* nec ne, poterit et debebit per integrum triennium tentare, an copulam perfectam habere valeat. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 108. *nu.* 5. Palao *loc. cit.* §. 9. *nu.* 6. Pirhing *h. t. nu.* 16. cum communi aliorum, *arg. c. Laudabilem.* 5. *h. t. et c. fin. eod.* Quod tempus non computatur a tempore Matrimonii contracti, sed attentatae copulae, Glossa in *cit. c. Laudabilem.* 5. *h. t.* ℣. *Celebrati.* Sanchez *loc. cit. Disp.* 110. *nu.* 1. eoque teste omnes; *arg. can. Requisivisti.* 2. *cau.* 33. *q.* 1. Ratio est; quia praefatum triennium conceditur ad probandum, experiendum, et explorandum, an Impotentia perpetua adsit, nec ne: Haec autem exploratio sola inchoatur copulae attentatione: ergo.

28 Resp. III. Si constat quidem de Impotentia *perpetua*, dubitatur autem, an praecesserit Matrimonium, vel illo jam contracto supervenerit, praesumitur, eam praecessisse, si Impotentia *naturalis*, seu *intrinseca* est. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 103. *num.* 5. Guttierez *de Matrim. cap.* 116. *nu.* 2. cum communi aliorum praesertim illorum, qui universaliter de quavis tam *accidentali*, quam *naturali* Impotentia docent, in dubio, an praecesserit Matrimonium, an vero supervenerit, praesumi eam praecessisse, inter quos sunt Abbas *in c. Fraternitatis.* 6. *h. t. n.* 16. et ibi Joan. Andreas *num.* 15. Ancboranus *n.* 16. Hostiensis *nu.* 4. Sylvester ℣. *Matrimonium.* 8. *q.* 16. *dicto.* 9. Mascardus *de Probatione Concl.* 810. *n.* 19. *et Concl.* 1027. *n.* 3. et alii, *arg. c. fin. h. t.* ubi sine ulla probatione, an Impotentia praecesserit, vel subsecuta sit Matrimonium, jubetur Matrimonium annullari, si post triennalem cohabitationem conjuges non potuere habere copulam perfectam, quod fieri non posset, nisi semper praesumeretur, Impotentiam praecessisse.

Ratio est; Tum, quia quae a natura insunt semper, consequenter etiam antecedenter inesse praesumuntur, ut bene probat Menochius *de Praesumpt. lib.* 1. *Praesumpt.* 14. *nu.* 3. Tum quia praesumendo, Impotentiam praecessisse, consulitur bono prolis, et evitatur incontinentiae periculum, hoc ipso, quod alter conjux potentia habendi copulam, et generandi pollens, possit cum alio contrahere Matrimonium, in eoque generare prolem, et evitare incontinentiae periculum, in quo alias manens cum conjuge impotente semper versari deberet.

Nec obstat c. *Licet ex quadam. in fine de Testib. et Attestat.* ubi habetur, in dubio semper judicandum esse pro valore Matrimonii. Resp. enim cum Abbate et aliis DD. allegatis, illud procedere, quando Matrimonium potest consummari, et habere suum effectum, bonum videlicet prolis, et remedium concupiscentiae: Non item, si hoc haberi nequit, prout fit existente periculo Impotentiae.

Resp. IV. Etsi Impotentia sit *extrinseca*, seu *accidentalis*, ex maleficio v. g. vel mutilatione membri proveniens, tamen etiam in dubio praesumitur, eam praecessisse, consequenter Matrimonium nullum esse, saltem si pars potens brevi tempore, uno vel altero mense v. g. post contractum Matrimonium statim conqueritur de Impotentia conjugis sui, ita DD. citati, etiam Sanchez *loc. cit. n.* 6. *arg. cit. c. fin. h. t.* ubi erat quaestio de Impotentia *accidentali*, ex maleficio proveniente, hoc ipso, quod, ut ibi textus habet, vir cum alia potuerit congredi. Probatur etiam ratione secunda *n. praeced.* adducta, et concordat c. 1. *h. t.* 29

Dicitur autem nutanter in Conclusione, *saltem si potens pars brevi tempore post contractum Matrimonium conqueritur de Impotentia conjugis sui*; quia, si de ea primum post aliquot, tres v. g. vel quatuor annos conqueri incipit, praesumitur in Foro externo, eam fuisse subsecutam; uti limitando docet Sanchez *loc. cit. num.* 5. *et* 6. atque Guttierez *loc. cit. arg. c.* 1. *h. t.* ut proin allegatti post tantum tempus Impotentiam incumbat probatio; ad quam tamen admittitur, cum fieri possit modo infra *n.* 33. *et seqq.* dicendo. 30

Porro, si dubitatur, an Impotentia sit *naturalis* vel *accidentalis*, praesumitur in Foro externo *accidentalis*, Sanchez *loc. cit. nu.* 7. Guttierez *loc. cit.* Palao *loc. cit. nu.* 7. Ratio est: quia cum natura ordinarie producat homines ad copulam aptos; talis quivis a natura esse praesumitur, ita, ut contrarium asserenti incumbat probatio *arg. l.* 2. *C. Qui Testament. facere poss.* et late probat Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 8. *num.* 17. 31

Pro Foro externo ordinarie praesumendum est, Impotentiam etiam *accidentalem* praecessisse; cum enim conjuges post contractum Matrimonium, copulam habere, vel saltem attentare ordinarie diu non differant, consequenter in Foro interno eisdem statim constet de Impotentia, praesumi debet, 32

eam praecessisse, etsi post multos annos in Foro externo primum conqueri incipiat pars altera.

33 Quaeritur IV. Quomodo Impotentia probari possit ac debeat ad hoc, ut Matrimonium jam contractum annullari queat? Et quid requiratur, antequam annulletur, seu dissolutio Matrimonii fiat? Resp. I. Quamtumvis certe constet uni ex conjugibus, alterum esse perpetuo impotentem, non potest pars potens propria auctoritate, et absque praevia legitima probatione in Foro externo facienda, impotentem repellere, et ad alias nuptias transire. Omnes, *arg. c. Porro 3. de Divortiis*, tenentur nihilominus in Foro interno ambo abstinere ab omni ulteriori attentatione copulae, et tactibus lascivis; si certo cognoscunt adesse ex parte unius Impotentiam *perpetuam*: ubi *enim* de hac certo constat, certum etiam est, Matrimonium esse nullum, consequenter abstinendum esse ab actibus, qui non nisi veris, vel saltem dubiis conjugibus sunt liciti.

34 Resp. II. Etiamsi ambo conjuges in Foro externo fateantur, ex parte unius adesse Impotentiam *perpetuam*, non potest eos Judex separare, nec Matrimonium illorum annullare, nisi prius legitima a SS. Canonibus praescripta adhibeatur probatio. Rursus communis ac certa *arg. c. 1. h. t.* ubi *non* obstante, quod ambo fassi sint Impotentiam unius, requiritur, et id per verum judicium probetur. Ratio est; quia alias conjuges mutuae cohabitationis pertaesi facile colludere, et separationem, *nec* non licentiam alteri nubendi obtinere possent.

35 Resp. III. *In* praxi, ordinarie loquendo, et nisi veritas aliunde sufficienter haberi possit, ad probandam Impotentiam adhiberi debet inspectio corporum, quam Judex Ecclesiasticus fieri curabit in foeminis, per *honestas fide dignas, et in opere nuptiali expertas Matronas, aut obstetrices: in viris per Medicos et Chirurgos*, a. 14. et *c. fin. h. t.* juncto *c. Proposuisti, et c. penult. de Probat.* et ibi DD. atque Sanchez *lib. 7. Disp.* 118. per totum. Quod si honestae aut bonae famae non sint, potest excipi contra illas, Sanchez *loc. cit.* texte clara *c. penult. de Probat.*

36 Resp. IV. Ad inspiciendum sufficiunt et requiruntur duae honestae, et *in* opere nuptiali expertae Matronae, Sanchez *loc. cit. n.* 16. Barbosa *in c. Proposuisti. de Probat. num. 7.* Alexander de Nevo *in c. fin. h. t. num.* 11. et alii satis communiter. Ratio est; quia de quavis causa, de qua non habetur specialis dispositio Juris, procedit illa Regula, *in ore duorum aut trium testium stat omne verbum, c. In omni. 4 de Testib. et Attestat.* atqui in praesenti materia non est specialis dispositio: ergo.

Nec obstant *c. Proposuisti 4. et c. Causam Matrimonii 14 de Probat.* ubi plures censentur adhibitae Matronae. Resp. enim, in *cit. c. Proposuisti*, fieri narrationem facti, et non dispositionem Juris: *c. Causam Matrimonii* vero ideo plures adhibitas fuisse; quia erat exceptio contra aliquas, vel dic, ibi plures esse adhibitas pro majori cautela. Nec obstat *L. 1. § Si omnes, vel plures ff. de Ventre inspiciendo*, ubi contra foeminam dicentem, se esse praegnantem quinque requiruntur obstetrices. Nam contra est, quod ibi sit specialis dispositio Juris, quae facta est, ne haeredibus praejudicium generetur.

37 Debent tamen *esse expertae in arte, et opere nuptiali*, ut cum communi recte docet Sanchez *lib. 7. Disp.* 109. *n. 7 arg. cit. c. in fin. h. t.* ibi: *a Matronis bonae fidei, et expertis in opere nuptiali*: quales communiter censentur Obstetrices, quae, et pro inspiciendo corpore adhibeantur, securius et praxi conformius est; quamvis non censeantur necessariae; dummodo adsint aliae duae fide dignae, et in opere nuptiali expertae Matronae; quia Jura allegata plus non requirunt; nec alicubi necessario exigunt obstetrices. Et merito, eo quod aliae honestae Matronae, quae proles genuere, et in opere nuptiali expertae existunt, aeque ac obstetrices rem intelligunt. Accedit, quod et *manus obstetricum et oculi saepe falluntur*, ut dicitur *c. penult de Probat.*

Caeterum sive Matronae, sive obstetrices pro inspiciendo corpore mulieris adhibeantur, debent non solum oculis inspicere mulieris verenda, sed etiam manibus sufficienter et sagaciter tangere. Sanchez *lib. 7. Disp.* 113. num. 10. Barbosa *in c. causam Matrimonii de Probat. n.* 5. *arg. cit. c. penult. de Probat.* Ratio est; quia, cum res haec sit difficillimae probationis, oportet omnem diligentiam adhibere, ne detur locus fraudibus foeminarum. 38

Debent insuper juramento confirmare depositionem suam, alias eis non creditur, Sanchez *loc. cit. num.* 13. Barbosa *in c. Proposuisti 4. de Probat. n.* 5. Joan. Andreas *in c. Fraternitatis* 6. *h. t. n.* 5. et 23. et ibi Glossa *v. Districte*, communiter recepta, *arg. cit. c. Fraternitatis.* ibi: *Districte illis injungens sub periculo animarum*: et ibidem: *Quae sub fide sua tibi asseruere*; fides enim ponitur loco juramenti, *arg. c. Ad aures. De His, quae vi metusque causa.* Et ratio est; quia universaliter testes non jurati nihil probant, *c. Nuper. de Testib. et Attestat.* 39

Resp. V. Si ad probandam Impotentiam inspiciendus est vir per Medicos, aut Chirurgos, idem observandum erit, quod hactenus de Matronis diximus, ita ut debeant esse fide digni, et in arte experti, numero saltem duo, atque juramento depositionem suam firmantes. Est communis per Jura citata. Notat tamen recte Sanchez *lib. 7. Disp.* 113. *n.* 17. Barbosa *in c. Proposuisti 4. de Probat. n. 7.* et alii communiter in casu, et loco, ubi unus tantum peritus, ac fide dignus adesset, sufficere eum solum, *arg. L. 1. in fin. ff. de V. O.* quamvis Abbas *in cit. c. Proposuisti*, putet, in causa valde ardua omnino requiri duos, ita ut uno tantum existente in aliquo loco, secundus e viciniori loco accersiri debeat. 40

Porro etsi pro inspicienda foemina regulariter adhiberi debeant foeminae juxta dicta *num.* 35. tamen si quaestio est de qualitate aliqua altiori, foeminae notitiam superante, v. g. an mulier arcta per incisionem absque vitae periculo apta possit reddi ad copulam perfectam, Medici, et Chirurgi adhiberi debent, Sanchez *cit. lib. 7. Disp.* 113. *num* 21. ubi plura ad hoc refert exempla, et probatur *c. Ex litteris, h. t.* et *c. Fraternitatis, eod.* ubi de ope Medicorum, ac incisione fit mentio, quae certe non nisi inspectione per illos facienda fieri potest. 41

Resp. VI. Si habita inspectione corporum appareant signa certa Impotentiae: quia v. g. apparet virum carere utroque testiculo, aut habere abscissa virilia; aut foeminam esse ita arctam, ut absque vitae periculo incidi non possit, Matrimonium illico annullandum, nec ullum tempus ad probandum concedendum est; nec requiritur juramentum propinquorum, nec conjugum, quod se invicem nunquam carnaliter cognoverint. Abbas *in c. Fraternitatis.* 6. *h. t. num.* 11. Sanchez *lib. 7. Disp.* 107. *n. 7.* eoque teste Omnes. Ratio est; quia quando evidenter constat de Impotentia, evidens etiam est, Matrimonium esse nullum, consequenter putativos conjuges separandos esse ab omni commercio carnali. Nec desideratur juramentum conjugum aut propinquorum, utpote superfluum in casu, in quo per depositionem juratam peritorum res manifesta est. Possunt tamen cohabitare et frater et soror, per dicenda infra *num.* 6. 42

Resp. VII. Quando per inspectionem, vel aliam probationem signa physice certa, et evidentia Impotentiae non apparent, bene tamen vero- 43

similia, et quasi moraliter certa, potest et debet annullari Matrimonium, non exspectato triennio experientiae, si uterque conjux juret, se copulam attentasse quidem, sed nunquam coire potuisse, idque jurato affirment septem ex propinquis, deponendo juramentum de credulitate, jurando se credere, conjuges verum jurasse (juxta dicenda infra *num.* 46.) Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 107. *num.* 4. Alexander de Nevo. *in c. Laudabilem.* 5. *h. t. num.* 17. et ibi Butrius *n.* 14. Engel *h. t. n.* 6. *arg. c. Laudabilem* 5. *h. t.* ubi triennalis probatio de habenda copula tunc tantum conceditur, ac praescribitur, quando aliunde probari non potest Impotentia *perpetua*. ergo a sensu contrario illa triennalis probatio locum non habet, si aliunde probari potest Impotentia, uti res se habet in sensu Conclusionis, utpote in quo, licet non habeatur physice certa, tamen habetur saltem verosimilis probatio dictae Impotentiae, quae probatio accedente juramento conjugum, ac propinquorum utique sufficiens erit.

44 Resp. VIII. Si post inspectionem signa non nisi dubia appareant de Impotentia *perpetua*, prout plerumque fit in Frigidis, et Maleficiatis, conceditur eis triennium ad tentandum, an copulam carnalem perfectam habere valeant juxta dicta *numer.* 27. quo elapso Matrimonium annullari potest; si ambo jurent, se nunquam adhuc perfecte coire potuisse, idque septem propinqui juramento credulitatis affirment, textu claro *c. fin. h. t.* ibi: *Quocirca mandamus, quatenus si ita est, et constiterit vobis, praefatum virum et mulierem intra praedictos octo annos per continuum triennium in simul habitasse, ipsis cum septima propinquorum manu firmantibus juramento, se commisceri carnaliter nequivisse, proferatis divortii sententiam inter ipsos.* Concordat *c. Laudabilem.* 5. *eod.*

45 Quod, si tamen foemina duodecim, vir vero decimum quartum annum primum essent agressi, tentatio copulae eis conceditur usque ad pubertatem plenam ac perfectam, quam mulier acquirit completo anno decimo quarto *l. Mela.* 14. *ff. de Alimentis:* vir autem completo anno decimo octavo, *l. Arrogato.* 47. §. 1. *ff. de Adopt. et* §. *Minorem.* 4. *Instit. eod* Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 108. *n.* 4. Joan. Andreas *in c. Laudabilem* 5. *h. t. nu.* 3. Pirhing *h. t. nu.* 20. Ratio est; quia dubium adhuc manet, an non coeundi Impotentia ex defectu aetatis et naturae imbecillitate proveniat.

46 Caeterum *per septimam manum propinquorum* indicantur septem consanguinei, ex parte cujuslibet conjugis, ita ut quatuordecim adesse debeant, Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 108. *num.* 21. Innocentius *in c. Laudabilem. h. t. in prin.* et ibi Alexander de Nevo *n.* 6. Quod, si tot haberi nequeunt consanguinei, assumi debeant tot *vicini bonae famae, arg. c. Laudabilem.* 5. *h. t.* ibi: *Cum septima manu propinquorum vel vicinorum bonae famae* (si propinqui defuerint.)

47 Si autem tot testes commode haberi nequeant, sufficiunt pauciores arbitrio Judicis, etiam duo, Sanchez *loc. cit. n.* 12. Barbosa *in c. Laudabilem. h. t. num.* 10. et Glossa communiter recepta, *in can. Requisivisti* 2. *cau.* 33. *q.* 1. ℣ *Septima manu. arg. can. Presbyter. cau.* 2. *q.* 5. qui testes juramentum deponunt credulitatis, videlicet credere se, conjuges vere jurare, ipsi vero conjuges id deponunt de conscientia et veritate.

48 Resp. IX Si elapso triennio vir dubie impotens urget copula perfecta Matrimonium esse consummatum, mulier vero id affirmet, et certa Impotentiae signa non appareant, sed tantum ambigua, credendum est uxori affirmanti, et pro valore Matrimonii pronuntiandum, Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 109. *n.* 9. Joan. Andreas *in cit. c. h. t.* et ibi Anchoranus *nu.* 4. aliique communiter. Ratio est: Tum quia in pari causa potior est conditio possidentis juxta *Reg.* 65. *Jur. in* 6. Tum quia non est verosimile, quod foemina velit cohabitare viro, qui debitum ei reddere nequeat. Tum quia id exigit favor Matrimonii *arg. c. fin. de Sent. et re judicat.*

Resp. X. Pariformiter si elapso triennio mulier copulam habitam negat, at vir dubie impotens affirmet, huic creditur, si Impotentia per signa certa non appareat, sed dubia maneat, Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 109. *num.* 2. Pirhing *h. t. num.* 14. Engel *h. t. num.* 6. et alii *arg. can. Si quis. cau.* 33. *q.* 1. ibi: *Si quis accepit uxorem, et habuit eam aliquo tempore, et ipsa foemina dicit, quod nunquam coisset cum eo, et ille vir dicit, quod sic fecit, in veritate viri consistit.* Ratio subjungitur: *quia vir est caput mulieris.* Idem ob eandem rationem dicitur *c.* 1. *h. t.* ubi etiam alia ratio in praesumptione fundata additur, videlicet, quod non statim post primum aut secundum mensem reclamaverit, cum eo tempore Impotentiam viri, si quae fuisset, illico agnoscere potuisset: ibi: *Quia si proclamare voluit, cur tamdiu tacuit? cito enim, et in parvo tempore scire potuit si secum coire potuisset.* Accedunt rationes *Conclus. praeced.* allegatae. 49

Dicitur autem notanter in Conclusione, *si certa signa Impotentiae non appareant:* haec enim si habentur, vel ad ea probanda se offert mulier, audiri, et si probat, eidem credi debet, quantumvis vir jurato contrarium affirmet, Sanchez *loc. cit. num.* 5. Innocentius *in c.* 1. *h. t.* et ibi Anchoranus *num.* 11. et alii communiter. Tale signum evidens est, si mulier per inspectionem corporalem adhuc incorrupta apparet virgo, textu claro *c. Proposuisti* 4. *de Probation.* ubi non obstante, quod vir jurato affirmarit, se copulam perfectam habuisse cum muliere, jubetur fides adhiberi mulieri contrarium asserenti, ex eo, quia per inspectionem mulierum reperta fuit adhuc integra virgo. 50

Illud etiam notandum, quod, si una parte negante, altera pars conjugum affirmet Impotentiam *perpetuam*, et res probari etiam debeat cum juramento credulitatis propinquorum, non requiruntur quatuordecim, seu ex qualibet parte septem, sed sufficiant septem ex parte affirmantis. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 109. *n.* 13. *arg. cit. c. Proposuisti.* 4. *de Probation.* 51

Quaeritur V. An quovis tempore conjux reclamare et pro annullatione Matrimonii instare possit ex causa Impotentiae? Resp. I. Si ambo putativi conjuges fateantur, se ex causa Impotentiae copulam perfectam habere non posse, quovis tempore, etiam post multos cohabitationis annos reclamare possunt, et Matrimonium eorum annullari debet, si Impotentiam modo per Canones praescripto probent. Communis ac certa *arg. c.* 1. *et fin. h. t.* ubi, licet sero mulier proclamaverit, tamen quia Impotentiam fatebatur etiam vir, probatione legitima adhibita separatio fuit demandata. 52

Resp. II. Si unus conjux neget, alter vero affirmet Impotentiam coeundi, et negans conjux paratus sit, probare suum assertum per signa evidentia, tunc iste quovis tempore auditur, et probata Impotentiam separatur, Sanchez *lib.* 7. *Disp* 109. *n.* 5. *et n.* 14. Abbas *in c. fin. h. t. n.* 2. dicens hanc et praecedentem Conclusionem esse indubitatam, Palao *Disp.* 4. *punc.* 14. § 8. *n.* 2. et alii communiter, *arg. c. Fraternitatis* 6. *et c. fin. h. t.* Ratio est: quia Matrimonium tale avito est nullum, non obstante quacunque longa cohabitatione, cum *non firmetur tractu temporis, quod ab initio non subsistit, c. Non firmatur. de Reg. Jur. in* 6 Idem est, si adsunt signa non quidem certa et evidentia, sed tamen verosimilia, et quasi moraliter certa juxta dicta *n.* 43. Sanchez *loc. cit. n.* 5. 53

54 Nec obstat *c.* 1. *h. t.* ubi statuitur, quod si viro asserente mulier negat habitam fuisse, vel haberi potuisse inter eos copulam perfectam, mulier non audiatur, nisi statim post duos menses reclamet. Resp. enim dispositionem hujus *c.* 1. *h. t.* intelligendam esse in casu, quo Impotentiae signa nec physice, nec moraliter certa, sed tantum dubia appareant. Et in hunc sensum conciliatur *c.* 1. *h. t.* cum *c. Fraternitatis. et c. fin. eod.* Hinc

55 Resp. III. Si uno negante alter affirmet Impotentiam, atque signa existant dubia, auditur quidem affirmans Impotentiam, si intra bimestre, vel statim post ipsum reclamet, juxta omnes, texto expresso *c.* 1. *h. t.* ibi: *Si statim in ipsa novitate post mensem aut duos proclamaverit*: si autem hoc tempore non reclamaverit, audientia ei denegatur *arg. cit. c.* 1. *h. t.* non quidem omnino ac in perpetuum, sed uti DD. conciliando Juris textus ajunt, usque ad triennium, quo elapso auditur, et ad probationem admittitur, *c. Fraternitatis* 6. *et c. fin. h. t.*

56 Quaeritur VI. Quid Juris, si ob Impotentiam allegatam dissolvitur Matrimonium, et postea apparet, eam non fuisse perpetuam ex eo, quod impotens judicatus cum alia coierit? Resp. I. In hoc casu ordinarie iterum reintegrandum esse Matrimonium, et annullandum posterius, si forsan aliud contraxit ille, qui perpetuo impotens est judicatus. Communis ac certa, textu claro *c. Laudabilem* 5. *et c. Fraternitatis* 6. *h. t.* Ratio est: quia sententia per errorem facta est, ut dicitur *cit. c.* 6. *h. t.* Nec obstat, quod multi jam a dissolutione facta elapsi sint anni; quia *sententia lata contra Matrimonium nunquam transit in rem judicatam*, ut habet Summarium, et concordat textus *c. Lator.* 7. *de Sent. et re judicat.* Quia si pars, quae perpetuo impotens censebatur, tir v. g. dissoluto Matrimonio alteri copuletur, aut saltem fornicarie commisceatur, subjacet insuper Juris poenis *c.* 5. *h. t.* nec tenetur illum mulier innocens amplius acceptare, sed potest in divortio perseverare: quamvis nocens vir volenti denuo cohabitare debeat, nisi ipse probare queat, mulierem quoque dissoluto Matrimonio cum alio fornicatam fuisse, *arg. cit. c. Fraternitatis* 6. *h. t.*

57 Limitatur autem Conclusio *primo*, si impotens per miraculum postea factus est potens. Omnes. Ratio est; quia ex eo, quod impotens per miraculum reddatur potens, non sequitur, Impotentiam fuisse temporalem per dicta *num.* 5. texto claro *c.* 6. *h. t.* postea.

58 Limitatur *secundo*, si Impotentia tollatur ope daemonis, ac per media illicita, v. g. incantationem etc. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 94. cum communi aliorum: qui juxta dicta impotentia, quae naturali et licito modo tolli nequit, censetur *perpetua*: etsi tollatur modo illicito, *arg. cit. Fraternitatis* 6. *h. t.* ibi: *Per opus humanum*, id est, *licitum*.

59 Limitatur *tertio*, si Impotentia perpetua est *respectiva* ob arctitudinem, v. g. mulieris: quia respectu hujus est, et manet Matrimonium nullum, etsi cum alia postea latiora vasa habente coire possit, et consequenter Matrimonium valide contrahat, Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 99. *num.* 18. Concordant dicta *num.* 13.

60 Limitatur *quarto*, quoties Impotentia provenit ex maleficio; quia fieri potest, et solet, quod vi maleficii detur Impotentia *perpetua* praecise respectu hujus, et non respectu aliorum, consequenter respectu illius Matrimonium merito censeatur nullum, non item respectu aliorum, Abbas *in c.* 1. *h. t. n.* 7. Sylvester *V. Matrimonium.* 8. *dicto* 8. cum communi per dicta *num.* 8. textu claro *can. fin. cau.* 33. *q.* 1. dummodo cum priori conjuge triennali cohabitatione tentaverit copulam, consuetasque preces, et Exorcismos Ecclesiae adhibuerit, juxta *cit. can. fin. cau.* 33. *q.* 1. et cum septima manu propinquorum juraverit, se coire non potuisse, prout bene observat Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 99. *n.* 22.

Quaeritur VII. Quid Juris, si quis scienter contrahat cum perpetuo impotente? Resp. Quamvis horum Matrimonium sit nullum ob Impotentiae impedimentum *dirimens* textu claro *c.* 1. *et* 4. *h. t.* tenetur nihilominus ita scienter contrahens, perpetuo habitare cum impotente; et cum illa tanquam sorore caste vivere, eique necessaria subministrare. Abbas *in c.* 4. *h. t. n.* 3. et Joan. Andreas *n.* 5. Pirhing. *h. t. n.* 9. cum communi, *arg. cit. c. Consultationi.* 4. *h. t.* ubi ad propositam quaestionem ita respondit Papa: *Respondemus, quod licet incredibile videatur, quod aliquis cum talibus* (impotentibus) *contrahat Matrimonium: Romana tamen Ecclesia consuevit in similibus judicare, ut, quas tanquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores*, si tamen periculum incontinentiae ex parte potentis foret, posset cum eo dispensari ad nubendum alteri manente nihilominus obligatione priorem alendi. DD. citati. 61

Quaeritur VIII. An, et quomodo conjuges cognita Impotentia *perpetua* sive antecedente, sive consequente Matrimonium, adhuc cohabitare valeant: Item quid cohabitantibus liceat. Resp. I. Quamvis conjuges, qui cum ignorantia *perpetuae Impotentiae* Matrimonium antecedentis bona fide contrahunt, cognita Impotentia, separationem petere possint, juxta hactenus dicta: tamen ad hoc non tenentur, sed, si volunt, et periculum incontinentiae abest, simul cohabitare possunt, non quidem ut conjuges, sed ut frater et soror. Est communis et certa, texto claro *c. Laudabilem.* 5. *h. t.* ubi ad casum Quaesiti praesentis ita respondit Pontifex: *Quod, si ambo consentiant simul esse, vir eam etsi non ut uxorem, saltem habeat ut sororem*: ut proin nec tactus, nec aspectus, nec oscula lasciva, multo minus copula, eis sint licita, hoc ipso, quod nullum inter eos sit Matrimonium, quo solo tactus praefati sunt liciti. 62

Dicitur autem notanter, si abest periculum incontinentiae; hoc enim adesse, si advertunt tales putativi conjuges, separationem procurare illico tenentur, juxta rursus communem et certam; cum quivis proximum periculum externum amovere teneatur, si potest, juxta illud, *qui amat periculum, peribit in illo.* Unde etiam ad vitandum hoc periculum in eodem lecto cubare non possunt; quod totum motu proprio expresse quoque declaravit Sixtus V. 1587. cujus Decretum per extensum vide apud Gutierez *lib.* 1. *Canon qq. cap.* 16. *n.* 18. qui etiam *ibid. n.* 6. cum aliis cohabitationem talium penitus dissuadet, eo quod ordinarie periculosissima sit, et vix unquam careat periculo peccandi saltem per tactus, amplexus, et alios actus carnales. 63

Resp. II. Quando conjuges contracto jam Matrimonio, Impotentiam ex parte alterutrius, aut utriusque supervenisse certo cognoscunt, possunt et debent adhuc cohabitare. Rursus communis ac certa. Ratio est; quia Impotentia superveniens non dirimit Matrimonium per dicta *num.* 12. Nec causat separationem quoad thorum aut cohabitationem per dicenda infra *Tit. XIX de Divortiis.* 64

Tenentur tamen conjuges perpetuo impotentes effecti abstinere ab omni attentatione copulae, non item a tactibus, osculis, amplexibus. De qua materia utpote Theologica amplius vide apud Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 102. *et lib.* 9. *Disp.* 17. *n.* 10. *et seqq.* Solum nota, quod licet Sanchez *loc. cit.* dum docet, licitos esse tactus, amplexus, et oscula etc. conjugibus impotentibus, id similiter, dicendo; *dum-* 65

modo fiant absque periculum pollutionis, tamen haec limitatio non videatur necessaria, consequenter praefati tactus lascivi dictis conjugibus etiam cum periculo pollutionis sint liciti, dummodo absit periculum consensus in illam. Ratio fundamentalis est; quia universaliter nemo tenetur abstinere ab actu alias sibi licito, etsi praevideat secuturam ex eo pollutionem: modo absit periculum consensus in illam, prout cum communi aliorum ipse docet Sanchez *lib.* 9. *Disp.* 45. Sporer in Theolog. Sacram. *p.* 4. *cap.* 3. §. 4 *a nu.* 645. et alii apud quos de hac materia utpote Theologica, amplius vide.

66 Quaeritur IX. An, et quando teneantur conjuges auferre Impotentiam coeundi? praesertim an teneatur mulier arcta pati incisionem? Resp. I. Universaliter loquendo, tenentur tollere Impotentiam, quandocunque per media licita absque mortis, aut gravissimae infirmitatis periculo eam tollere valent; etsi sine molestia; at gravi dolore id fieri nequeat. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 94. *numer.* 32. *et* 34 Perez *Disp* 37. *sect* 6. *num.* 3. *et alii*. Ratio est; quia, cum in tali casu Matrimonium validum sit, consequenter mutuum jus, ad corpus alterius, et copulam existat, tenetur quivis non obstante quovis dolore et molestia corpus suum aptum reddere ad copulam, hoc ipso, quod, qui tenetur ad praestandum obsequium, teneatur etiam ad removenda impedimenta praestandi obsequii, si removere potest; praesertim quando id etiam incontinentiae, ac pollutionis periculum exposcit.

Infertur primo, teneri foeminam arctam pati incisionem etiam cum gravi dolore ac molestia; dummodo judicio Medicorum absque mortis, aut gravissimae infirmitatis periculo fieri queat; prout bene docet Sanches *loc. cit.* et alii.

67 Dicitur autem notanter: *si absque mortis, aut gravissimae infirmitatis periculo potest*, quod enim cum periculo mortis auferre Impotentiam nemo teneatur, tenent omnes ex ea praecipue ratione, quia ob talem Impotentiam, si est antecedens, Matrimonium nullum est per dicta *num.* 5. *arg c. Fraternitatis* 6. *h. t.* Quod autem neque cum gravissimae infirmitatis periculo teneatur, tenet Sanchez *loc. cit. n.* 32. Perez *loc. cit.* n 5. et alii. Ratio est, quia nulla pars conjugum videtur se obligare ad copulam cum tanta sanitatis jactura; praesertim cum gravissimae infirmitati plerumque etiam conjunctum sit periculum mortis, quo existente obligationem tollendi Impotentiam non esse, docent unanimes.

TITULUS XVI.

De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiae.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
2 *Hodie quatuor tantum sunt Impedimenta impedientia: et quae?*
3 *Vetitum Ecclesiae, seu interdictum quid?*
4 *Ecclesiae Vetitum seu prohibitionem, ne Matrimonium contrahatur, facere potest Papa, Episcopus, et Parochus.*
5 *Tale Vetitum seu Interdictum obligat sub mortali.*
6 *Limitatur.*
7 *Contrahentes contra prohibitionem Ecclesiae in poenam delicti ad tempus separantur.*
8 *Valet tamen Matrimonium eorum, nisi Papa interdicat:*
9 *Imo etiam si Papa interdicat.*
10 *Nisi apponat clausulam irritantem.*
11 *Tempus Sacratum, quo nuptias solemniter celebrare non licet: quale?*
12 *Praefato tempore licitum est de Jure Matrimonium saltem sine solemnitatibus contrahere.*
13 *In Germaniae tamen Dioecesibus, vi consuetudinis requiritur dispensatio Episcopi.*

Quia in praecedentibus pluribus Titulis praecipue, et ex professo actum est de Impedimentis Matrimonii *dirimentibus*, recto ordine pergit Compilator Canonum ad Impedimenta *impedientia*, quae, quia introducta sunt per Interdictum, seu legem, vel mandatum Ecclesiae interdicentis, seu prohibentis Matrimonium, ponit praesentem Rubricam. 1

Porro hujusmodi Impedimenta *impedientia* quamvis olim multa fuerint, ut patet ex *Tit. I. numer.* 351. *et* 352 ubi cuncta recensita habes. Tamen hodie per consuetudinem cuncta sunt abrogata (ut ibidem diximus) exceptis quatuor comprehensis in sequenti versiculo. 2

Sacratum Tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum.

De quorum duobus ultimis jam egimus *in Tit. I.* de prioribus autem duobus *Vetito* nempe, et *sacrato Tempore* agemus in praesenti.

Quaeritur I. Quid sit? a quo fieri possit? et qualiter Matrimonium impediat *Vetitum*, seu Ecclesiae *Interdictum*? Resp. I. Quamvis late et in genere loquendo Ecclesiae *Vetitum*, seu *Interdictum* comprehendat omnia Impedimenta tam *dirimentia*, quam *impedientia* introducta ab Ecclesia; Nihilominus in specie, proprie, et ad praesens loquendo, Ecclesiae *Vetitum*, seu *Interdictum* nihil aliud est, quam specialis prohibitio a Superiore Ecclesiastico ob justam causam facta, ne certae quaedam personae contrahant Matrimonium, eo quod forsan una earum jam sit desponsata alteri, vel existat dubium aut suspicio de latente inter eas Impedimento *dirimente*, aut *impediente*, aut timendum sit ex earum Matrimonio scandalum, vel ob aliam justam causam. Ita in re communis, *arg* c. 1. 2. *et* 3. *h. t. et c. fin. de Clandest. Desponsat* 3

Resp. II. *Interdictum seu Vetitum* facere, id est, prohibere, ne ab aliquibus Matrimonium contrahatur, potest non tantum Papa, sed etiam Episcopus, imo etiam ad tempus Parochus. De Papa, et Episcopo nemo dubitat. De Parochis docet Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 6. nu 6. Barbosa *in c.* 1. *h. t. num.* 2. Pirhing *h. t. num* 1. Navarrus *in Manual. cap* 22. *n* 68. et communis aliorum dicens, Parochum non tantum posse, sed etiam debere interdicere, vel prohibere, ne Matrimonium contrahatur, si aliqua ex recensitis *num. praeced* causis adsit, *arg. cit. c.* 1. *et* 2. *h. t. et c. fin de Clandestin. Desponsat.* ubi praecipit Papa, *ut, si Impedimenti apparuerit, probabilis conjectura, contractus interdicatur, donec etc.* quod si facere negligit, triennio suspenditur ab Officio, uti expresse habetur, *cit c fin.* § *fin. h. t.* ibi *Sane si Parochus contempserit etc per triennium ab Officio suspendatur*: ergo. 4

Nec obstat, quod causarum Matrimonialium cognitio, ac decisio non ad Parochum, sed ad Episcopos, ac Judices Ecclesiasticos pertineat *n.* 1. *de Consang. et Affinitat.* Resp. enim Parochum in simili causa nihil decidere, nec judicialiter cognoscere, sed ex allegatis causis praecise interdicere ac prohibere Matrimonium, idque non in perpetuum, sed tamdiu, donec ab Episcopo judicialiter cognoscatur, ac judicetur.

5 . Quaeritur II. Quomodo obliget, et quem effectum habeat Interdictum, seu prohibitio ab Ecclesiastico superiore facta, ne Matrimonium contrahatur? Resp. I. Talis prohibitio obligat sub mortali. Barbosa *in c.* 2. *h. t. n.* 4. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 17. *n.* 1. Sylvester ℣. *Matrim.* 7. *q.* 1. *dict.* 3. Pirhing *h. t. n.* 7. etiam communi aliorum, *arg. c. fin. h. t.* ubi etiam excommunicari jubetur, qui stante prohibitione ob suspicionem consanguinitatis facta, Matrimonium contrahit. Ratio patet, quia est praeceptum Ecclesiae in re gravi.

6 . Limitat tamen merito Conclusionem Sanchez *loc. cit. dicendo*, *interdictum* hujusmodi sub solo veniali obligare, quando vel fit ex levi causa ad tempus, vel quando sponsis certo constat, Impedimentum, aut aliam causam, quae timetur, et ob quam factum est Interdictum, non subsistere.

7 Resp. II. Contrahentes contra *Interdictum*, seu prohibitionem Ecclesiae, praeter peccatum, etiam poenam ab Episcopo imponendam incurrunt, et ad tempus in poenam delicti, separati vivere debent, Barbosa *in c.* 1. *h. t.* et ibi DD. communiter, Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 2. *n.* 14. Pirhing *h. t. n.* 5. cum communi aliorum, textus expressus *habetur c.* 1. *h. t.* ubi Papa mandat Episcopo, ut nubentem puellam contra hujusmodi Interdictum *ad domum matris redire compellat, et imposita sibi de tanto excessu poenitentia condigna, postquam in domo materna per mensem steterit, ad tertium* (maritum nempe) *reverti permittat*: Ratio ibidem praemittitur, ne *Mandatum contemptibile videatur.* Concordat *c.* 3. *h. t.* ibi ad finem: *Poenitentia tamen eis imponi debet, quia contra prohibitionem Ecclesiae hoc fecerunt.* Caeterum in textu *cit. c.* 1. *h. t.* separatio per mensem tantum ponitur gratia exempli; ut proin Judici liberum sit, per majus temporis spatium ita peccantes separare, vel loco separationis aliam poenam injungere, praesertim si foret periculum incontinentiae, ut cum aliis bene advertit Sanchez *loc. cit.*

8 Resp. III. Quamvis contrahentes contra prohibitionem peccent, et ad tempus separari valeant juxta dicta *num. praeced.* validum nihilominus est eorum Matrimonium, ac proin perpetuo separari non amplius possunt, si prohibitio facta est ab aliquo inferiore Papa, et aliud Impedimentum *dirimens* non obstat, Abbas *in c.* 2. *h. t. n.* 3. et ibi Barbosa *n.* 2. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 2. *n.* 2. eoque teste omnes, textu claro *c.* 2. *h. t.* ubi Matrimonium contra prohibitionem Episcopi factum, expresse agnoscitur validum. Ratio patet; quia Episcopus aut alius inferior Papa, sua prohibitione non potest inducere Impedimentum *dirimens*, juxta hodie unanimem apud Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 1. *num.* 7. Hinc si aliud Impedimentum *dirimens* revera non subest, sua prohibitione facere nequit, ut Matrimonium sit nullum, etsi ob suspicionem Impedimenti prohibeat.

9 Resp. IV. Etiamsi Papa specialiter ex quacunque tandem causa interdicat, seu prohibeat Matrimonium, valide nihilominus contrahitur, nisi sub Decreto irritante illud prohibeat. Pontius *de Matrim. lib.* 6. *cap.* 7. Castro Palao *de Sponsalibus Disp* 4. *pun.* 2. §. 1. *n.* 2. et alii *arg. c.* 2. *h. t.* ibi: *Licet enim contra Interdictum Ecclesiae ad secunda vota transire non debuerit; non est tamen conveniens, ut ob id solum, Sacramentum conjugii dissolvatur.* Ratio est; quia simplex prohibitio non irritat actum alias de natura et jure validum, juxta illud tritissimum *c. Ad Apostolicam.* 16. *de Regularib.* ibi: *Multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*: Longeque diversa sunt prohibere, et irritare, *arg. c. Rursus. Qui Clerici vel voventes, et c. un. de Voto. in* 6. Hinc, si constet Papae Decretum fuisse praecise prohibens, nullamque continens irritationem, erit validum Matrimonium contra illud contractum. Nec obstat *c. Tua Fraternitas.* 4. *de Sponsa duorum.* ubi Archiepiscopo ita scribit Papa: *si contra Interdictum Ecclesiae publice factum venire* (contrahendo Matrimonium) *praesumpserint, Matrimonium tam praesumptuose contractum poteris irritare.* Resp. enim, ibi per ly *irritare* intelligi separationem quoad thorum in tali casu faciendam, et tamdiu continuandam, donec rite cognoscatur super causa, an v. g. Impedimentum aliquod subsit, nec ne.

10 Pariter non obstat *can. Videtur. cau.* 27. *q.* 6. ubi expresse habetur, *quod contra Interdictum et ordinem Ecclesiae factum est, ratum non haberi, tam Divinae, quam humanae legis proclamat auctoritas.* Resp. enim, hunc textum intelligendum esse de Ecclesiae Interdicto, clausulam irritantem habente; tunc siquidem Matrimonium contra hujusmodi Interdictum celebratum, invalidum esse, ipsi fatemur in Conclusione per illa verba, *nisi sub Decreto irritante illud prohibeat*, docentque Castro Palao *de Sponsalib. Disp.* 4. *pun.* 2. §. 1. *n.* 2. Pontius *lib.* 6. *cap.* 7. *a n.* 3. et alii, *arg. c. penult. de Desponsat. Impuber.* Ratio est; quia sicut Papa generali Constitutione respectu omnium, ita etiam speciali Decreto, respectu aliquorum potest constituere Impedimentum *dirimens*, seu *annullans* Matrimonium contrahendum.

11 Quaeritur III. Quid sit ad praesens *Tempus Sacratum seu Feriarum*? et qualiter Matrimonium dirimat? Resp. I. Per *Tempus sacratum* intelligi illud, quo solemnes nuptias cum convivius, choreis, musica, aliisque laetitiae signis publicis celebrare ab Ecclesia est prohibitum, ut tali sacro tempore fideles magis vacare possint orationibus, jejuniis, aliisque pietatis et poenitentiae operibus. Quod tempus olim varium et multiplex fuit, prout patet ex *can.* 8. 10. et 11. *cau.* 33. *q.* 4. *et c. Capellanus.* 4. *de Feriis.* Hodie tamen praefatum tempus restrictum est per Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 10. illis verbis: *Ab Adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniae, et a feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschae inclusive antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari Sancta Synodus praecipit. in aliis vero temporibus solemniter celebrari permittit.*

12 Resp. I. Quamvis *sacrato Tempore* nuptiae cum solemnitate celebrari licite non valeant, potest tamen dicto tempore Matrimonium sine solemnitate licite contrahi etiam absque dispensatione. Abbas *in c. Capellanus. de Feriis. n.* 4. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 12. *sect.* 2. *Concl.* 4. cum Glossa communiter recepta *in c. Capellanus.* 4. *de Feriis.* ℣. *Quocunque.* Patetque clare ex Concilio Tridentino, *loc. cit.* ubi de solis *solemnibus nuptiis* mentionem facit, et de illis solis Jura antiqua disposuisse, satis innuit. Accedit declaratio Cardinalium, de qua testantur praefati DD. ac etiam Rituale Romanum *Tit. de Sacramento Matrimonii*; ubi postquam sacra, quibus cum solemnitate celebrare non licet nuptias, specificavit tempora, addit, *Matrimonium autem omni tempore celebrari potest*; intellige, *sine solemnitate.* Ratio est; quia expediens non foret, si Ecclesia praefatis temporibus ipsum etiam Matrimonii contractum sine solemnitate celebrandum prohiberet; cum saepe ad id urgeat periculum incontinentiae, ad quam evitandam Matrimonium tanquam remedium fuit institutum.

13 Notandum tamen, in pluribus Germaniae Dioecesibus usum obtinuisse, ut etiam sine solemnitatibus *Tempore sacrato* nuptias celebrare non liceat, nisi Episcopus dispenset, aut nisi necessitas urgeat, v. g. in articulo mortis ad legitimandam prolem, vel si statim discessurus ad bellum vult ducere

concubinam etc. Marchantius *in Resolut. Pastoral. tr.* 6. *cap.* 3. *nu.* 3. Gobath *tr.* 9. *nu.* 71. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *cap.* 15. *num.* 1. qui testatur, in Bavariae Dioecesibus etiam illam consuetudinem vigere, ut necessitate urgente quoque, licentiam ab Episcopo petere debeat Parochus, si fieri potest. Debent itaque DD. Parochi attendere Dioecesis, in qua vivunt, consuetudinem, et eidem se accommodare in assistendo Matrimoniis *Tempore sacrato*, sine solemnitate contrahendis.

TITULUS XVII.

Qui Filii sint legitimi.

1 *Ratio continuationis.*

1 Praecipuus Matrimonii effectus sunt legitimi Liberi. Hinc postquam de Matrimonio, et Impedimentis ejusdem hucusque actum est, recto ordine subsequitur praesens Rubrica, *qui Filii sint legitimi*, ubi etiam Filiae comprehenduntur; quia pronuntiatio sermonis in sensu masculino utrumque sexum comprehendit *l. Pronuntiatio.* 195. *prin ff. de V. S.* Porro licet Rubrica de solis *legitimis* sonet, nihilominus horum occasione etiam de *illegitimis* ibidem agitur.

§. I.

De liberis legitimis.

SUMMARIUM.

2 *Legitimi reputantur, qui ex vero, vel saltem putativo Matrimonio nati sunt.*
3 *Dummodo Matrimonium putativum in facie Ecclesiae, et sine contradictione.*
4 *Atque bona fide fit contractum.*
5 *Sufficit autem, si saltem una pars conjugum bona fide contrahat, et in eadem etiam tempore conceptionis adhuc existat. Et num praeced.*
6 *Sive dein bona fides proveniat ex ignorantia facti, vel Juris etiam clari*
7 *Solvitur instantia ex Regula Juris:* Ignorantia facti non *Juris excusat.*
8 *Si tamen cum dubio contraheretur Matrimonium, aut consummaretur, illegitima foret proles.*
9 *Secus est, si dubium Matrimonio jam consummato exoritur.*
10 *Proles stante Matrimonio nata, vel concepta praesumitur legitima, etsi alias mater sit adultera.*
11 *Et fateatur, prolem ex adulterio esse conceptam.*
12 *Nisi ex absentia, aut impotentia mariti probet, prolem ex Matrimonio conceptam non esse.*
13 *Liberi ex Matrimonio infidelium sine Impedimento Jure naturae dirimente nati, sunt legitimi.*
14 *Expositi quoque legitimi censentur.*
15 *In dubiis semper favorabilia praeferenda sunt, l. Semper ff. de R. Jur.*
16 *Solvitur instantia contra expositos.*
17 *Conceptus ante Matrimonium censetur legitimus, si nascitur Matrimonio inter parentes dein contracto.*
18 *Secus est, si impraegnata contrahit cum alio.*
19 *Proles septimo post Matrimonium contractum mense inchoato nata, censetur legitima.*
20 *Sicut etiam nata mense decimo.*
21 *Non item mense undecimo jam completo.*
22 *Bene vero eodem non completo, sed primum inchoato, nec ad medium producto nata.*
23 *In casu extraordinario etiam post completum undecimum mensem proles reputatur legitima: et quando?*

Quaeritur I. Quinam omnes sint, vel reputentur liberi Legitimi? Resp. Liberi legitimi sunt et dicuntur omnes illi, qui vel ex vere legitimo Matrimonio aut saltem putative tali, publice seu in facie Ecclesiae absque contradictione, ac bona fide inito, nati existunt. Communi ac certa, *arg. l. Filium.* 6. *ff. De His, qui sui vel alieni. et prin. Instit. de Patria potestat. et c.* 2. *h. t.* ubi etiam ex putativo Matrimonio nati Liberi pro *legitimis* declarantur illis verbis: *Filii eorum* (qui bona fide nulliter contrahebant) *non debent exinde sustinere jacturam, cum parentes eorum publice, et sine contradictione Ecclesiae inter se contraxisse cognoscantur. Ideoque sancimus, ut filii eorum quos ante divortium habuerunt, et concepti fuerant, ante latam sententiam non minus habeantur Legitimi, et quod in bona paterna haereditario Jure succedant, et de parentum facultatibus nutriantur.* 2

3 Dicitur autem notanter *primo*, aut *putative tali, publice, seu in facie Ecclesiae, et absque contradictione inito.* Siquidem *c. Cum inhibitio.* 3. *de Clandestin. Desponsat.* expresse disponitur, quod, si quis *clandestine*, seu sine praeviis Denuntiationibus, aut contradicente, seu interdicente Episcopo vel Parocho, *Matrimonium inire praesumpserit in gradu prohibito* (Consanguinitatis v. g. vel Affinitatis) *etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium.* Ratio subjungitur illis verbis: *Cum illi taliter contrahendo non expertes scientiae, vel saltem affectatores ignorantiae videantur.*

4 Dicitur *secundo*, et *bona fide inito.* Nam pari modo *proles illegitima censeatur, si ambo parentes Impedimentum scienter, praeter omne Interdictum etiam in conspectu Ecclesiae contrahere praesumpserunt:* prout expressis verbis statuitur *cit. c. Cum inhibitio:* ubi tamen nota ly *ambo parentes*; quia, si unus tantum ex conjugibus ante Matrimonium, vel ejus consummationem scivit Impedimentum *dirimens*, alter vero idem ignorans bona fide contraxit et consummavit Matrimonium, liberi inde nati *legitimi* reputantur, ut bene docet Glossa communiter recepta *in cit. c. Cum inhibitio.* ✠. *Ambo parentes.* Barbosa *in c. Ex tenore.* 14. *h. t. n.* 2. et Abbas *n.* 3. textu claro *cit. c. Ex tenore* 14. *h. t.*

5 Debet autem bona fides saltem ex parte unius, etiam tempore conceptionis adhuc adesse; nam etsi tempore contractus Matrimonialis adsit ignorantia Impedimenti, et consequenter bona fides; tamen si ante prolis conceptionem innotescit Impedimentum, et consequenter bona fides cessat, *illegitima* foret proles, ut cum communi bene docet Poetius *lib.* 11. *cap.* 8. *nu.* 3. Pirbing *h. t. nu.* 14. et alii, *arg. cit. c. Ex tenore.* 14. *h. t.*

6 Porro *legitimae* sunt proles ex invalido Matrimonio in facie tamen Ecclesiae, et bona fide ex parte saltem unius contracto, non tantum, si ex ignorantia *facti*, sed etiam ex ignorantia *Juris clari* id fiat, ut si v. g. ambo conjuges bene sciunt, se esse in quarto consanguinitatis gradu conjunctos, ignorant tamen ambo, vel saltem unus eorum, versari inter eos Impedimentum *dirimens*, indeque Matrimonium bona fide (saltem ex parte unius) in facie Ecclesiae, et nemine contradicente contrahunt. Barbosa *in c. Cum inter.* 2. *h. t. n.* 17. Sanchez *de Matrim. lib.* 5. *Disp.* 3. *num.* 13. Abb. *in c. Perlatum. n.* 5. *et in c. Per venerabilem. in fin. h. t.* [illegible] quia legitimitati prolis nulla ignorantia nisi affectata obest, *arg. c. Cum inhibitio.* 3. *de Cland. Desponsat.* ibi:

Cum illi taliter contrahendo non expertes scientiae, vel saltem affectatores ignorantiae videantur. Tum quia nullibi habetur in Jure expressum, prolem ex Matrimonio ob ignorantiam *Juris* nulliter inito, esse *illegitimam*; consequenter in dubio pro favore innocentium prolium sentiendum ac judicandum est, *arg. c. Ex tenore* 14. *h. t.* ibi: *In favorem prolis potius declinamus, et l. Nuper C. de Natural. lib.* ibi: *Et hoc favore sancimus liberorum.* Accedit, quod, nisi Lex aliud expresse disponat, nulli debeat alterius factum nocere, *arg. l. Factum* 155. *ff. de Reg. Jur.*

7 Objicies, juxta *c. Ignorantia.* 13. *de Reg. Jur. in* 6. Ignorantia *facti*, non *Juris* excusat, et *l. Regula.* 9. *ff. de Jur. et facti ignorant.* ibi: *Regula est, Juris quidem ignorantiam cuique nocere, facti vero ignorantiam non nocere*: ergo. Resp. *Juris* ignorantiam nocere ipsi ignoranti, non autem alieno, aut proin parentes ob claram *Juris* ignorantiam bona fide nulliter contrahentes; in foro externo argui, non autem proles pro *illegitimis* haberi possint, nec alterius factum et ignorantia tertio noceat, contra *cit. l. Factum.* Vel dic, dictas Regulas in casu nostro locum non habere ob specialem Juris dispositionem in favorem prolium factam, *arg. c. Cum inhibitio. de Clandest. Desponsat. et c. Cum inter. h. t.*

8 Aliud est, si conjuges dubitant de latente impedimento; hoc enim stante Matrimonium diligentia debita circa veritatem non adhibita ineant, et postea impedimentum detegatur, *illegitima* erit proles ex tali Matrimonio procreata; quia adesset ignorantia affectata, quae aequiparatur scientiae, *arg. l. Ne supina.* 6. *ff. de Jur. et fact. ignorant. et c. Eos.* 2. *de Tempor. Ordin. in* 6. ibi; *Qui sciunt, vel affectata ignorantia*, et proli quoad *legitimitatem* non favet, textu expresso *c. fin. de Clandest. Desponsat.*

9 Quod, si vero dubium Matrimonio jam contracto et consummato superveniret, *legitima* foret stante hoc dubio concepta proles, etiamsi lis de valore Matrimonii in foro externo jam mota, et adhuc pendens esset; dummodo ante sententiam proles conciperetur. Pontius *loc. cit. n.* 6. Covarruvias *par.* 2. *de Sponsal cap.* 8. §. 1. *n.* 7. Pirhing *h. t. n.* 7. Barbosa *in c.* 2. *h. t.* cum communi, *arg. c.* 1. *h. t.* ibi: *Qui concepti fuerant ante sententiam, non minus legitimi habeantur.* Ratio est; quia lite pendente in causa Matrimoniali usus Matrimonii ab Ecclesia conjugibus permittitur, *c.* 2. *Ut lite pendente.* Imo etiam post sententiam de nullitate Matrimonii latam, proles concepta *legitima* erit, si vel intra decendium ad Appellationem concessum concipitur, vel si a sententia legitime appellatur. DD. citati; quia Appellatio efficit, quod lis adhuc sit pendens, qua pendente licitus est usus conjugii, et *legitima* sit conceptio per dicta

10 Resp. II. Liberi stante Matrimonio nati censentur esse *legitimi*, etsi constet uxorem saepius fuisse adulteram, et proles in facie non matris marito, sed adultero assimiletur: nisi ex mariti absentia, infirmitate, aut alio impedimento, aut impotentia temporali probetur, tempore conceptionis maritum copulam non habuisse cum uxore. Barbosa *in c. Per tuas. de Probat. num.* 3. Menochius *de Arbitr. casu* 89. Gutierrez *can. qq. lib.* 1. *cap.* 48. *num.* 30. *Mantic.* et alii, *arg. l. Filium. ff. De iis, qui sui, vel alieni Jur.* ibi: *Non tamen ferendum, Julianus ait, eum, qui cum uxore sua assiduo moratus, noluit filium agnoscere quasi suum* et *l. Miles.* 11. § *Defuncto ff. ad Leg. Jul. de Adult.* ibi: *Nam non utique crimen adulterii, quod mulieris infanti praejudicat. cum possit et illa adultera esse, et impubes defunctum patrem habuisse.* Ratio est, quia in dubio favendum est proli et Matrimonio per dicta *num.* 6. ac universaliter semper praeferenda est praesumptio favorabilior ac benignior, *c. Estote.* 2. *de Reg. Jur.*

Procedit Conclusio, etiamsi mater fateatur, partem adulterinum esse, Barbosa *loc. cit.* et ibi Abbas *num.* 4. Gailus *practic. Observat. lib.* 7. *Observat.* 67. *n.* 8. Engel *h. t. n.* 3. cum communi aliorum *arg. cit. c. Per tuas. de Probat.* Ratio est; Tum quia pro prole stat praesumptio Juris, per Jura *num. praeced.* citata. Tum quia nui soli cuicunque tandem in sui praejudicium nemo tenetur credere, juxta illud *Matth.* 18. *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum.* Accedit, quod alias parentes proli, quam odio habent, facile praejudicare, et haereditatem ei auferre possent; unde Legistae communiter reputant fatuum filium, qui credit matri asserenti, eum ex adulterio esse natum. 11

Dicitur autem notanter in Conclusione: *nisi ex mariti absentia, infirmitate etc. probetur, maritum proprium tempore conceptionis copulam non habuisse cum uxore.* hoc enim si constet, aut probetur, utique *illegitimus* erit filius, juxta communem et certam, *arg c. Causam.* 4. *h. t.* et *l. Filium.* 6. *ff. De his, qui sui vel alieni*, ibi: *Mihi videtur, si constat aliquandiu maritum cum uxore non concubuisse infirmitate interveniente, vel alia causa etc. ut generare non possit, hunc, qui in domo natus est, licet vicinis scientibus, filium non esse.* 12

Hinc Fagnanus *in c. Officii. de Poenitent. et Remiss. a n.* 20. cum aliis bene infert, quod, si filius ex relatione matris habeat conscientiam laesam, puta, si ita evidenter a matre informatur, ut prudenter dubitare non possit, credere tenetur matri: quoniam, quod non est ex fide, peccatum est *c. fin. de Praescript. et quidquid fit contra conscientiam, aedificat ad gehennam, can. Omnes. §. Ex his cau.* 28. *q.* 1. Caeterum ad quid mater casu, quo vere scit, prolem aliquam esse adulterinam, in conscientia teneatur, consule Theologos, utpote ad quos spectat.

Resp. III. Liberi quoque ex infidelium Matrimonio nati sunt *legitimi*, etiam postquam ipsi et parentes eorum ad fidem sunt conversi; etiamsi inter conjuges impedimentum (solo tamen Jure Ecclesiastico) *dirimens* existat. Barbosa *in c. fin. h. t. n.* 2. Pirhing *h. t. n.* 17. cum communi, textus *in c. fin. h. t.* Ratio est: quia, cum infideles legibus Ecclesiae non adstringantur, *c. Gaudemus.* 8. *de Divort.* Matrimonium eorum nullo contra Jus naturale aut Divinum impedimento existente contractum, justum ac validum est, ita, ut nec post conversionem ad fidem annullari valeat, textu expresso *c. De Infidelibus.* 4. *de Consang. et Affinit.* consequenter filii ex tali Matrimonio procreati *legitimi* erunt per dicta *num.* 2. 13

Resp. IV. Pariter *Legitimi* censentur, et *legitimorum* favore gaudent liberi *Expositi*, quorum parentes ignorantur Barbosa *Tit. de Infant. et Languid. exposit. n.* 3. Menochius *de Praesumpt. lib.* 6. *q.* 54. *n.* 20. Mascardus *de Probat. Conclus.* 799. Gonzalez *in c.* 1. *h. t. n.* 8. cum communiori aliorum contra Covarruviam *in Clem. Si furiosus. p.* 1. *n.* 9. Garciam *de Benefic. p.* 7. *cap.* 2. *a n.* 9. *arg. c. Lator.* 5. et *c. Pervenit.* 11. *h. t.* ubi *illegitimitatem* objicienti imponitur onus probandi, consequenter innuitur, in dubio praesumendum esse pro *legitimitate*. 14

Ratio est: Tum quia in dubio est praesumptio pro favore prolis, *arg. c. Ex tenore.* 14. *h. t.* et l. Nuper *C. de Natural. lib.* dubium autem est, ut supponitur, an *Expositus* ex Matrimonio justo, vel fornicatione aut adulterio procreatus sit; cum non solum ob pudorem, et metum infamiae, sed 15

etiam ob necessitatem parentum, instans periculum, vel aliam urgentem causam liberi exponi solent, ut patet in Mose, Paride, et aliis. Accedit quod *in dubii semper benigniora praeferenda sunt*, *l. Semper 56. ff. de Reg. Jur.*

16 Dices cum Adversariis, in dubio facienda est praesumptio de his, quae frequentius accidunt, et verosimilia sunt, ut cum aliis probat Jason in *l. Si extraneus. de Condit. caus. dat.* atqui frequentius exponuntur *illegitimi*, quam *legitimi*; ergo. Resp. *Majorem* esse verum, nisi praesumptiones fortiores concurrant; uti in praesenti est praesumptio in favorem prolis, c. *Ex tenore, h. t.* et praesumptio excludens peccatum; siquidem concurrentibus praesumptionibus, ea in dubio praefertur illa, quae excludit peccatum, cum delictum non praesumatur, donec probetur, *arg. l. Merito. ff. pro Socio*, *etc. Estote. 2. de R. J.* consequenter, quia praesumptio pro *legitimitate* prolis excludit duplex peccatum parentum (quod et fornicando et exponendo committerent) praevalet praesumptioni de parentum delictis.

17 Resp. V. *Legitimi*, ac *legitimate* nati quoque sunt, et reputantur illi, qui ante Matrimonium ex fornicatione soluti cum soluta concepti, postea tamen Matrimonio inter eos jam contracto nascuntur. Communis, textu claro *l. Nuper 11. C. de Natural. lib* ¶. *Et multo magis*, ubi etiam pro favore liberorum sancitur: *Ut semper in quaestionibus, in quibus de statu liberorum est quaestio, non conceptionis, sed partus tempus aspiciatur, exceptis his tantummodo casibus, in quibus conceptionem magis approbari, infantium conditionis utilitas expostulat:* Hinc etiam ob favorem liberorum ille, qui in utero est, pro nato habetur, *l. Qui in utero. ff. de Statu hominum*, quod tamen non prodest aliis: licet enim posthumis haereditas restituatur, tamen si mater ante partum patiatur abortum, haeres infantis in utero prius existentis non evadit.

18 Dicitur autem notanter in Conclusiones, *Matrimonio inter eosdem contracto*; nam si quae ab alio, quam cum quo postea contrahit, prius fuit impraegnata, utique *illegitima* erit proles, quae ante tempus debitum, tertio v. g. aut quarto post Matrimonium mense nascitur, si maritus negat, se prius copulam habuisse cum moderna uxore, per Jura allegata.

19 Quaeritur II. Quomodo ex tempore nativitatis, vel conceptionis praesumantur liberi *legitimi?* Resp. I. Quamvis ordinarium pariendi tempus censeatur esse novem menses, tamen etiam illi censentur *legitimi*, qui septimo post Matrimonium initum procreantur mense. Communis ac certa expresso *Textu. l. Septimo. 12. ff. de* Statu hominum, ibi: *Septimo mense nasci perfectum partum, jam receptum est propter auctoritatem Doctissimi viri Hypocratis. et ideo credendum est, eum, qui ex justis nuptiis septimo mense natus est, justum filium esse.*

Idque intellige non tantum, si septimo mense jam completo, sed etiam si ad initium istius mensis partus fit, *arg. l. Intestato 3. § fin ff. de Suis, et Legit.* ubi expresse deciditur, eum, *qui centesimo octogesimo secundo, id est 182. die natus est, justo tempore videri natum*, quod tempus septem menses solum inchoatos efficit, ut calculanti menses patebit.

20 Resp. II. Pariter *legitima* proles censetur, quae decimo mense nascitur. Rursus communis, *arg. c. Contrario. cit l. Intestato. ff. de Suis, et Legitim.* ibi: *Post decem menses mortis natus, non admittitur ad haereditatem:* ergo a sensu contrario ante decem menses vel mense decimo admittitur, textu etiam expresso *l. Gallus. 29. ff. de Lib. et Posthum.* ibi: *Si post mortem in decem mensibus proximis natus erit: haeredes sunto.*

Resp. III. Econtra proles, quae undecimo mense jam completo nascitur, ordinarie pro *illegitima* habetur, communis ac certa, textu expresso *cit. l. Intestato ff. de Suis et Legitim.* ac *Novell. 39. cap. 2.* ibi: *Mulier etc. undecimo mense perfecto peperit, ut non esset possibile dicere, quia de defuncto fuisset partus: neque enim in tantum tempus conceptionis extensum est.* 21

Dicitur tamen *primo: Undecimo mense completo*; quia, ut vult Gloss *ad cit. Novell.* ¶. *Perfecto*, si proles duobus diebus post decem menses, vel ut cum aliis vult Engel *h. t. n. 7.* Haunoldus *de J. et J. tr. 4. n. 139.* si circa medium undecimi mensis proles nascitur, *legitima* censenda erit; saltem si mater bonae existit famae, et maritus, dum a vivis discessit, nulla ratione ad copulam fuit impotens, *arg. cit. Novell. 39. cap. 2.* ubi Imperator loquitur de mense *perfecto*; et tunc primum vult, talem partum praesumptione Juris esse illegitimum, ut proin textus *l. Intestato. ff. de Suis, et Legitim.* et *l. Gallus. ff. de Liber. et Posthum.* intelligendi non sint de mense undecimo stricte inchoato, sed jam aliquatenus progresso: Tum ob favorem prolis c. *Ex tenore. 14. h. t.* *Tum quia in dubiis semper benigniora praeferenda sunt*, *L. 56. ff. de R. J.* Tum quia delicta praesumi non debent, sed probari per dicta *num.* 16. 22

Dicitur *secundo: Ordinarie*; quia cum mulieres ob diversam dispositionem et qualitates naturae tardius, aut citius parere possint, omnino accedere potest, quod etiam post mensem duodecimum *legitimus* habeatur partus, et pro tali reputari merito debeat, praesertim, si, ut dictum, concurrat bona fama mulieris, ac Medicorum (qui utique in hoc audiendi sunt) judicium, quibus favent Jura *num. 15. et 18.* citata, et ea quae pro praxi ad propositum adducit Godefridus *in Not. ad cit. Novell. 39. cap. 2. litt. e.* Atque judicium Parisiense, quo partus quatuordecim mensium *legitimus* judicatus fuit, inter alia ex eo, quod mater esset honestissimis praedita moribus. 23

§. II.

De Illegitimis, et eorum Legitimatione per subsequens Matrimonium, aut Rescriptum Principis. ubi etiam de differentia inter Legitimos, et Illegitimos quoad effectum.

SUMMARIUM.

24 *Illegitimi sunt, qui ex Matrimonio vere, aut putative tali nati non sunt.*

25 *Horum alii sunt Naturales: Et qui? alii Manzares:*

26 *Alii sunt Spurii: Et qui?*

27 *Alii ex damnato coitu: Et qui?*

28 *Horum iterum alii Adulterini: alii Sacrilegi: alii Incestuosi: alii Nefarii: Et qui?*

29 *Illegitimi in quo differant, et deteriores sint Legitimis?*

30 *Proles illegitima Naturalis legitimatur per subsequens factum Matrimonium.*

31 *Etiam ratum.*

32 *Et a senibus, infirmis: vel periculo mortis contractum.*

33 *Tam mediatum, quam immediatum.*
34 *Etiam sine Denunciationibus celebratum.*
35 *Secundum aliquos etiam per putativum Matrimonium subsequens legitimatur proles.*
36 *Verior tamen est opinio contraria.*
37 *Spurii in sensu Canonico non legitimantur per subsequens Matrimonium.*
38 *Bene vero Spurii in sensu Civili.*
39 *Legitimantur proles sive tempore conceptionis, sive tempore nativitatis solummodo parentes fuissent habiles ad Matrimonium.*
40 *Hinc legitima est proles, quam generat maritus vivente sua uxore, ex aliena, si mortuo uxore nubit, partu needum edito.*
41 *Pariter est legitima proles concepta ab impeditis, si ante nativitatem impetratur Dispensatio.*
42 *Legitimati per subsequens Matrimonium in effectu per omnia sunt aequales legitime natis.*
43 *Potestque illis dari Attestatio* Geburts-Brieff, *quod sint legitime nati.*
44 *Ad Cardinalatum tamen non admittuntur.*
45 *Attendenda etiam est loci consuetudo.*
46 *Legitimatio per Rescriptum Principis quid?*
47 *Solus Papa, non item Episcopus legitimare potest quoad effectus Ecclesiasticos.*
48 *Etiam quoad effectus Politicos potest Papa legitimare illos, qui in suo Territorio temporali subditi sunt.*
49 *Alias autem quoad hos effectus legitimare ordinarie non potest.*
50 *Bene autem extraordinarie, urgente v. g. communi necessitate aut causa ardua.*
51 *Sicut etiam indirecte, ac in radice Matrimonii: Et quomodo?*
52 *De Jure loquendo, inter saeculares, soli Principes supremi Superiorem non agnoscentes possunt legitimare.*
53 *De Consuetudine id possunt etiam Electores, ac reliqui status Imperii.*
54 *Ex privilegio item Comites Palatini,*
56 *Et Legati Sedis Apostolicae.*
56 *De Jure non nisi naturales illegitimi, de consuetudine autem omnes illegitimi Rescripto Principis legitimantur: Et ex privilegio etiam per legatos, et Comites Palatinos*
57 *Comites Palatini non possunt legitimare liberos Nobilium.*
58 *Legitimatio per Papam facta reddit habilem ad effectus Ecclesiasticos, et Politicos.*
59 *Facta a saeculari non nisi saeculares et politicos habet effectus: Et quos? ae num. 65.*
60 *Legitimati Rescripto Principis non possunt vocari legitime nati, nec comprehenduntur in statutis hominum, bene vero legitimati per subsequens Matrimonium.*
61 *Ut legitimatio per Rescriptum Principis suos habeat effectus, certae requiruntur conditiones: Et quae? usque ad nu. 65.*
65 *Legitimatio per Rescriptum Principis facta non habet effectus quoad spiritualia.*

24 Quaeritur I. Quinam omnes, et quotuplicis generis sint *Illegitimi*? Resp. I. *Illegitimi* sunt omnes, qui non nascuntur ex Matrimonio *legitimo*, vel saltem putative tali, bonaque fide in facie Ecclesiae contracto, juxta dicta *num.* 2. *et seqq.* adeo ut *Illegitimi* existant non tantum illi, qui extra omnia Matrimonium, sed etiam qui ex Matrimonio, invalido tamen, et mala amborum parentum fide contracto gignuntur. Communis ac certa, per Jura *au.* 2. *et seqq.* allegata.

25 Resp. II. *Illegitimi* varie dividuntur. Alii enim sunt et dicuntur *Naturales*: alii *Spurii*: alii ex *damnato coitu*. *Naturales* de Jure communi dicuntur omnes, qui nati sunt a parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel saltem nativitatis poterat esse legitimum Matrimonium, sive dein Mater fuerit Meretrix publica, sive concubina Patris. De Jure Civili autem *Naturales* dicuntur illi soli, qui ex soluto et ejusdem concubina unica domi, loco uxoris retenta, atque tali, ut inter eos tempore conceptionis aut nativitatis potuisset esse Matrimonium, proveniunt, *L.* 1. *et seqq. de Concub.* Illi vero, qui ex meretrice pluribus exposita proveniunt, vulgo *Quaesiti*, item *Spurii* vocantur, *l. Vulgo quaesiti. ff. de Statu hominum*, item *Manzeres*. Verum quia hodie concubinatus per Leges Ecclesiae sublatus est, *can. Nemo.* 4. *can.* 32. *q.* 4. *et Concil. Trident. Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap* 8. (ubi etiam gravissimae contra Concubinarios statuuntur poenae) *Naturales* in sensu Juris Civilis vix amplius dantur; quibus tamen acquiparantur *Bastardi*, id est nati ex soluta, quae nec concubina, nec publica meretrix, sed alias honesta, hic et nunc autem seducta est.

Spurii de Jure Canonico vocantur omnes, qui sunt nati a parentibus, inter quos tempore conceptionis vel nativitatis non poterat esse Matrimonium, *arg. c. Quoniam.* h. t. De Jure Civili vero non tantum praefati, sed etiam illi Spurii dicuntur, qui a Meretrice pluribus accessum praebente, ita ut certus pater demonstrari nequeat, gignuntur, juxta dicta: *n. praeced. arg. l. Vulgo.* 23 *ff. de Statu hominum*, ibi: *Vulgo Quaesiti sunt, qui patrem demonstrare non possunt vel possunt quidem, sed eum habent, quem habere non licet, qui et Spurii appellantur.* 26

Nati *ex damnato coitu* de Jure Canonico cum *Spuriis* conveniunt, imo etiam de Jure Civili, excepto quod nati ex matre Meretrice, hoc jure etiam *Spurii*, non item *ex damnato coitu* vocari possunt. Caeterum utroque Jure *nati ex damnato coitu* dicuntur illi, qui nascuntur a parentibus, inter quos nec tempore conceptionis, nec tempore nativitatis potuit esse Matrimonium. *Novell.* 74. *cap.* 6. 27

Horum *Spuriorum*, seu natorum *ex damnato coitu* alii sunt, et vocantur *Adulterini*, qui videlicet ex adulterio gignuntur, *can. Nemo. can.* 32. *q.* 4. Alii *Sacrilegi*, qui scilicet ex Religioso aut Moniali, vel Clerico in Sacris constituto generantur. Alii *Incestuosi*, nati nempe ex parentibus affinitate vel consanguinitate collaterali conjunctis, §. *Inter eas*, *Instit. de Nuptiis.* Alii *Nefarii*, et sunt illi, qui ex patre et filia aliorumve ascendentium et descendentium copula procreantur, §. *Ergo Instit. de Nupt.* 28

Quaeritur II. In quibus differant, et deteriores sint *illegitimi a legitimis*? Resp. Praeterquam quod illegitimi sint inhabiles ad suscipiendos Ordines, Beneficia, et Dignitates Ecclesiasticas, juxta dicta *Lib. I. Tit. XVII.* Item, quod cum *legitimis* non succedant in haereditate paterna ac materna, juxta dicta *Lib. III. Tit. XXVI. a. n.* 40. *et Tit. XXVII. a. n.* 11 (ubi amplius vide de *Illegitimorum* successione, aut haereditate) praeter hos, inquam, effectus, etiam ille notabilis est, quod Illegitimis semper adhaereat *macula* paterni peccati, ita ut, etsi *illegitimum* esse, non sit *nota delicti*, si tamen *nota defectus*, *c. Accedens*, *de Purgat. Canon.* Et vacilat ejus opinio *arg. can. Laici. dist.* 33. timeatur. qua in eo incontinentia paterna juxta illud Poetae: 29

Saepe solet similis filius esse patri.

Verum quia *illegitimi* a copula immunes, ac innocentes sunt, ideo in eorum favorem remedium invenerunt Jura, *Legitimationem* nempe illorum, eamque praecipue duplicem, per subsequens Matrimonium videlicet, ac Rescriptum Principis: de quibus sequentia erunt quaesita.

30 Quaeritur III. Quinam *Illegitimi*, et quo effectu legitimentur, vel legitim. fiant per subsequens Matrimonium? Resp. Omnes et soli illegitimi *Naturales* per subsequens Matrimonium inter parentes eorum legitime contractum legitimantur, seu *legitimi* fiunt. Omnes, textu claro *c.* 1. *et c. Tanta.* 6. *h. t.* ibi: *Tanta est vis Matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum Matrimonium legitimi habeantur.* Concordat *l. Divi Constantini.* 5. *l. Cum quis.* 18. *et l. Nuper.* 11. *C. de Natural lib.*

31 Ampliatur Conclusio I. Etsi Matrimonium non sit consummatum, sed praecise ratum, Barbosa *in cit c.* 6. *h. t. n.* 12. Pirhing *h. t. n.* 36. Pontius *lib.* 11. *cap* 1. §. 2. *nu.* 16. Engel *h. t. nu.* 9. cum communi aliorum, *arg. cit Juribus*, utpote quae consummationem non requirunt; consequenter etiam de rato Matrimonio intelligenda sunt, eo quod favores extendere oporteat, *c. Odia. de Reg. Jur.* praesertim quando agitur de favore liberorum, *c. Ex tenore. h. t.*

32 Ampliatur II. Etiamsi a senibus infirmis, aut etiam in periculo mortis Matrimonium contrahatur, Barbosa *loc. cit. nu.* 8. Pirhing *loc. cit.* Pontius *loc. cit.* §. *1. per totum.* Sanchez *lib* 7. *Disp.* 105. *nu.* 5. et 6. Covarruvias *p.* 2 *de Matrim cap.* 8. §. 2. *n.* 10. Azorius *Tom* 3. *lib* 2. *cap.* 13. *q.* 11. cum communi aliorum per Jura et rationem *num. praeced.* allegata.

33 Ampliatur III. Sive Matrimonium immediate, vel mediate sequatur generationem prolis *illegitime* natae, adeo ut legitimetur proles, si pater ejus non statim cum matre, sed cum alia prius contrahat, et primom hac defuncta, Matrimonium cum matre *illegitimi* ineat; hoc enim posteriori, consequenter mediato cum matre Matrimonio statim legitime evadit proles. Pontius *loc. cit* §. 2 *nu.* 15. Pirhing *loc. cit n.* 36. Abbas *in c. Tanta.* 6. *h. t. n.* 3. et ibi Barbosa *n.* 7. cum communi: ob rationem jam dictam; quia Jura plus non requirunt, quam ut Matrimonium *legitimum* inter parentes prolis *illegitimae* sequatur, nec specificant, an mediate aut immediate fieri debeat.

34 Ampliatur IV. Etiam in casu, quo parentes hujusmodi omissis absque justa causa aut dispensatione Denuntiationibus, consequenter in aliquo sensu *clandestine* Matrimonium contrahunt. Barbosa *in cit c. Tanta h. t. nu.* 10. Sanchez *lib* 3. *Disp.* 44. et alii. Ratio est; quia tota vis legitimandi prolem attribuitur Matrimonio, quale revera etiam est Matrimonium sine Denuntiationibus contractum, supposito quod Impedimentum *dirimens* non subsit. Et haec, si Matrimonium valide contrahatur, certa sunt apud Doctores.

35 Major autem controversia et difficultas est de Matrimonio putativo, invalide nempe, bona tamen fide, et praemissis Denuntiationibus inter parentes *Illegitimi* contractum Pontius siquidem *cit. lib.* 7. *cap* 1. § 4. *n.* 13. Gonzales *in c. cum inter* 4. *h. t. n.* 6. Pirhing *eod n.* 46. et alii volunt, etiam per tale Matrimonium legitimari prolem prius *illegitime* natam, eo potissimum fundamento, quod, cum ex tali Matrimonio liberi *legitime* procreentur juxta dicta *num.* 2 *et* 3. textu expresso *arg c. Cum inter. h. t.* non appareat ratio, cur idem Matrimonium non habeat vim legitimandi prolem prius *illegitime* natam. Accedit, quod in dubiis favorabilior Juris interpretatio sit assumenda, *c. Estote de Reg. Jur.* praesertim ubi agitur de favore liberorum, *c. Ex tenore. h. t.*

36 Verum quantumvis probabilis et favorabilis censeatur sententia isthaec, probabilior tamen de Jure videtur negativa, quam tenet Abbas *in c. Tanta. h. t.* Covarruvias *de Matrim p.* 2. *cap.* 8. §. 2. *n.* 20. Zoesius *h. t. n.* 13. Fachin. *lib.* 3. *Controvers. c.* 55. Engel *h. t. nu.* 9 Molina *Tr.* 2. *de J et J. Disp.* 172. *nu.* 11. et alii. Ratio est: Tum quia *in cit. c. tanta h. t.* sicut et in Legibus Civilibus vis legitimandi prolem non tribuitur bonae fidei, sed ipsi Matrimonio proprie tali, hoc ipso, quod in sensu et significatu proprio accipienda sint Jura, *arg. l. Non aliter.* 69 *ff. de Legat.* 3 Tum quia; quod est de Jure nullum, nullum producit effectum, *L.* 4 §. *Condemnatum. ff. de Re Judi.* Tum etiam; quia juxta num. 30 et dicenda infra *num. seq.* per subsequens parentum Matrimonium non nisi *Naturales* legitimantur liberi, id est, nati a parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel nativitatis potuisset esse Matrimonium; quales utique non essent, sed *Spurii* forent nati a parentibus, inter quos tempore conceptionis aut nativitatis nunquam verum sed ratione latentis Impedimenti solummodo putativum esset subsequens Matrimonium, juxte dicta.

Cur autem ex putativo Matrimonio *legitime* nascantur, et tamen non legitimentur liberi, ratio desumitur partim ex clara dispositione Juris *c.* 2 *h. t.* partim quia natus ex putativo Matrimonio absque delicto nascitur; ille vero, qui per subsequens parentum Matrimonium legitimari debet, supponitur ex delicto utpote ex fornicatione natus, pro quo proin merito tam favorabilia non sunt Jura, quam pro illo, Abbas *loc. cit.* Engel *loc. cit* et alii.

Resp. II. *Spurii in sensu Canonico* seu nati ex *damnato coitu*, id est, a parentibus, inter quos nec tempore conceptionis, nec nativitatis poterat esse Matrimonium, per subsequens Matrimonium non legitimantur, et ideo in *Concl. praeced num.* 30. posita dicitur, *omnes et soli naturales liberi.* Pirhing *h. t. nu.* 38. Engel *eod nu.* 11. Barbosa *in c. Tanta. h. t. n.* 30. et ibi DD. communiter, *arg cit c. Tanta. h. t. n.* 30. ubi Summarium sic habet: *Naturales legitimantur per subsequens Matrimonium, Spurii vero non.* Ratio est; quia fictione Juris non censetur Matrimonium Lege retrotrahi ad illud tempus, quo verum Matrimonium Lege irritante esse non poterat; cum fictio non debeat esse majoris efficaciae, quam veritas, et naturalis actus. 37

Dicitur autem *Spurii in sensu Canonico*, quia Spurii aliqui *in sensu Civili*, illi nempe, qui ex publica meretrice nati sunt, omnino legitimantur per subsequens parentum Matrimonium, ut habet hodie communis, *arg. c. Tanta. h. t.* nec obstat, quod secundum Leges nati a meretrice non legitimentur per subsequens Matrimonium. Resp. enim, derogari eis in hoc puncto per SS. Canones citatos. 38

Sufficit autem, sive tempore conceptionis, sive nativitatis parentes sint habiles ad Matrimonium inter se contrahendum Covarruvias *de Matrim p.* 2. *cap.* 8. §. 2. *n.* 2. Molina *cit Disp* 172. *n.* Pontius *lib.* 11. *cap.* 3. *nu* 2. Sanchez *lib* 8. *Disp.* 7. *nu.* 19. Fachin. *lib.* 3 *Controvers cap* 50. Engel *h. t. num.* 11. cum communi aliorum contra Zoesium *h t. nu.* 18. et alios. Ratio est; quia universaliter in quaestionibus, in quibus est dubitatio de statu liberorum, attenditur tempus partus, vel conceptionis, prout nempe exigit favor, aut utilitas liberorum, textu expresso *l. Nuper C. de Natural lib.* Concordat *Novell.* 89. *cap* 8. Hinc etiam favore liberorum habetur: *qui in utero est, perinde est, ac si in rebus humanis esset constitutus, quoties de commodis ipsius partus agitur*, *l. Qui in utero* 7. *ff de Statu hominum.* 39

Infertur I. cum praefatis DD. quod, si sic vivente uxore sua aliam impraegnet, et uxor dein moriatur, antequam adultera partum edat, proles ex tali adulterio concepta legitimetur per subsequens 40

parentum Matrimonium. Nec obstat huic celebrationi *c. Tanta*. 6. *h. t.* ubi talem partum non legitimari, decidi videtur. Nam contra est, quod ibi sit sermo de casu, quo adulterinus partus editus est ante mortem uxoris, uti patet ex illis verbis: *Si vir vivente uxore ex alia prolem susceperit*, quia proles *suscepta* non dicitur ante nativitatem.

41 Infertur II. Etiam tunc prolem per subsequens parentum Matrimonium legitimari, quando parentes tempore conceptionis ad nubendum sunt quidem inhabiles ob interveniens Impedimentum *dirimens* affinitatis v. g. vel consanguinitatis, ante nativitatem tamen facti sunt habiles, sublato v. g. per dispensationem Pontificiam Impedimento. Barbosa *loc. cit. n.* 31. et alii. Hinc est, quod ad dispensationem impetrandam saepe, et merito pro causa allegari soleat *Legitimatio* prolis, casu quo impraegnata aliquo Impedimento *dirimente* laborat respectu impraegnantis.

42 Quaeritur IV. Qui sint effectus *Legitimationis* per subsequens Matrimonium? Resp. Effectum hujus esse varium et multiplicem, eo quod ita *legitimati* per omnia aequiparentur *legitime* natis, consequenter aeque ac isti debeant tamquam haeredes, succedant in haereditate, sint habiles ad Ordines, et Dignitates tam saeculares, quam Ecclesiasticas. Glossa *in c. Tanta. h. t.* ✠. *Legitimi*, communiter recepta *arg. eod. c. Tanta h. t. l. Cum quis*. 10. *de Natural lib. Novell*. 12. *cap*. 4. *Novell*. 74. *cap* 2. §. 2. *Instit. de Haeredit. ab intest.* Ratio est: quia, ut ait Glossa, subsequens Matrimonium omnia praecedentia purgat.

43 Hinc advertit etiam Richter *p*. 2. *decis*. 80. *n*. 17. ita *legitimatos* venire quoque in dispositione hominum et statutorum volentium, quod quis debeat esse *legitime* natus; posseque taliter *legitimatis* dari litteras natalitias, *Geburts-Brieff*, testantes, talem esse ex honestis parentibus et legitimo thoro, abstrahendo, quod primum per subsequens Matrimonium sit *legitimatus*

44 Limitatur tamen *primo* Conclusio in dignitate Cardinalitia, utpote ad quam legitimati per subsequens Matrimonium sunt inhabiles ex speciali Dispositione Sixti V. quae incipit. *Postquam verus*.

45 Limitatur *secundo* in locis et Provinciis, in quibus introducta habetur consuetudo contraria, qualem in nonnullis Provinciis vigere, in citata Bulla Testatur Sixtus V. dicens: taliter *legitimatos* in quibusdam Provinciis, et Dominiis, vi consuetudinis, vel etiam statutorum particularium, Nobilitatis privilegiis non gaudere, nec ad saecularia Officia, honores ac dignitates, neque ad Nobilium Feudorum, et statum successiones admitti.

46 Quaeritur V. Quid sit *Legitimatio per Rescriptum* Principis? Quinam item? et quos legitimare possint? Resp. I. Haec *Legitimatio* est actus gratiosus, quo ex *illegitimo* facit *legitimum* ille, qui ita legitimare potest. Est in re communis, patetque ex terminis.

47 Resp. II. Papa, et quidem solus legitimare potest *illegitime* natos, quoad Ordines, honores, dignitates, ac beneficia Ecclesiastica. Communis ac certa, texto claro. c. *Venerabilem*. 13. *h. t.* et ibi DD communiter. Ratio patet; quia, cum illegitimi ad praefata incapaces sint solo positivo Jure Ecclesiastico; in hoc autem Papa, et quidem solus dispensare valeat, per dicta *Lib. I. Tit. II. de Constit.* §. 18. probata manet Conclusio.

Nec obstat, quod Episcopus, ac etiam Capitulum Sede vacante, possint illegitimos habilitare ad Ordines minores, et ad Beneficia simplicia *c*. 1. *de Filiis Presbyt. in* 6. Resp. enim, eos id facere non per legitimationem, sed per dispensationem in puncto hoc eisdem concessam: unde etiam dispensatio hujusmodi non habet reliquos Legitimationis effectus.

48 Resp. III. Papa etiam quoad effectus politicos, successionem v. g. haereditariam, honores, et dignitates temporales legitimare potest illos, qui in illius Territorio temporali existentes, ejusdem jurisdictioni immediate subsunt. Omnes, texto expresso *cit. c. Venerabilem* 13. *h. t.* quia, cum in illo Territorio superiorem in temporalibus non agnoscat, etiam quoad ista cum subditis suis disponere, et leges de illis ibidem latas relaxare potest, *arg. c.* 1. *de Reg. Jur.*

49 Resp. IV. *Illegitimos* vero suae jurisdictioni temporali non subjectos, ordinarie ac directe non potest, nec solet Papa legitimare quoad effectus temporales ac politicos. Abbas *in c. Venerabilem*. 13. *h. t. n.* 15. et ibidem Joan. Andreas, Butrius, et alii, item Pontius *lib*. 11. *cap*. 5. *n*. 6. Covarruvias *de Matrim p*. 2. *cap*. 8. §. 8. *num*. 43. *et seqq.* Sanchez *lib*. 8. *Disp*. 7. *num*. 1. dicens esse verissimam, et receptissimam sententiam, contra Barbosam *in cit. c. Per Venerabilem h. t. n*. 3. et Rotam ibidem allegatam, Hostiensem, et nonnullos alios. Ratio patet; quia Papa Jus Civile in illo, in quo non fovet peccatum, nec adversatur bonae gubernationi Ecclesiae, aut aliis bonis spiritualibus, tollere vel abrogare non potest, nec dispensare in eo, *arg. can. Cum ad verum* 6. *dist*. 96. atqui dispensationes Juris Civilis quoad praefatos effectus non adversantur bonae gubernationi Ecclesiae, nec peccatum fovent, sed potius persequuntur, ut patet, argo.

50 Dicitur autem *Regulariter*; quia in casu extraordinario, et ubi communis necessitas, vel alia causa ardua urgeret, etiam ad temporalia quemvis suae jurisdictioni temporali non subditum illegitimum a Papa legitimari posse, profitentur DD. et omnes alii concedunt, patetque clare ex *cit. c. Per Venerabilem* 13. *h. t.* § *Rationibus igitur*, ubi causam subjungit Papa illis verbis: *Quod non solum in Ecclesiae patrimonio (super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem) verum etiam in aliis Regionibus, certis causis inspectis, temporalem jurisdictionem casualiter exercemus.*

51 Ulterius quemvis etiam quoad effectus politicos legitimare potest Papa dispensando in radice Matrimonii; dum nempe dispensando facit, ut Matrimonium ab aliquibus invalide contractum, tanquam *legitimum* habeatur etiam pro tempore, quo invalide contractum fuit: consequenter et proles ex illo progenitae *legitimae* reputentur Barb. *in cit. c. Per Venerabilem*. 13. *h. t. n* 4. et ibi Abbas *n*. 21. Joan. Andreas *n*. 30 Covarruvias *loc. cit. n*. 10 *et seqq.* Pontius *loc. cit. n*. 9. et latissime Sanchez *lib* 8. *Disp*. 7. cum communi aliorum, et Rota, quam repetitam allegat Barbosa contra Perez *de Matrim Disp*. 44. *sect*. 5. *n* 9. et paucos alios. Quoniam vero casus de hoc in praxi vix occurrunt, materiam et controversiam *hujus num.* ulterius non prosequimur; vide de illa apud DD. citatos.

52 Resp. V. Loquendo de Jure communi; Inter Saeculares, omnes et soli supremi Principes superiorem non agnoscentes (quales sunt Imperator Romanus, et Reges) in suis Territoriis legitimare quoad effectus politicos possunt suos subditos *illegitime* natos. Abbas *in c. Per Venerabilem*. 13. *h. t. n*. 23. Pontius *lib*. 11. *cap*. 5. Konig *h. t. n*. 3a cum communi. Ratio est, quia, cum supremi Principes leges omnino abrogare, et novas condere possint. *arg. l. Disputare*. 3. *C. de Crimin. Sacrileg.* et *L*. 5. *C. de Divers. Rescript.* utique etiam ordinare possunt, quod leges suae contra *illegitimos* latae hunc vel illum non ligent. Quod autem ii soli legitimare valeant,

ratio est; quia inferiores in lege superioris dispensare nequeunt, per vulgaria: unde praefati DD. cum Baldo *in L. 1. pr. ff. de Jure aure. annul.* observant legitimandi potestatem esse unam de reservatis supremo Principi, *arg. Novell.* 89. *cap.* 9. *et L.* 3. *ff. de Natural. restit.*

53 Dicitur autem notanter *loquendo de Jure communi*; quia ex consuetudine etiam Electores, et caeteri Status Romani Imperii subditos sui Territorii legitimare valent; etsi Principes supremi alium superiorem non agnoscentes dici nequeant, utpote qui Imperatorem pro superiore suo agnoscunt. Sam. Strichk *in Usu moder. Pandect. ad Tit. De His, qui sui, vel alieni*, §. 14. et alii, Konig *h. t. nu.* 38.

54 Pariter legitimare possunt illi, qui, etsi supremi Principes non sint, ab his tamen privilegium et facultatem legitimandi habent, quales sunt Comites Palatini, juxta unanimem. Quanta autem horum sit potestas, et ad quos *illegitimos* se extendat, desumendum est ex tenore Rescripti, aut Privilegii a supremo Principe iis concessi, ut cum aliis bene advertit Pontius *lib.* 11. *cap.* 5. §. 2. juxta solum enim tenorem Rescripti, et non ultra, eorum potestas se extendit, *arg. c. Delecta.* 22. *de Rescript. et l. Diligenter. ff. Mandati.*

55 Porro sicut Imperator Comitibus Palatinis, sic Papa suis Legatis concedere solet facultatem et privilegium legitimandi. Cujus efficacia ex tenore quoque Rescripti petenda est per dicta *num. praeced.* teste Azorio *Tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 30. *q.* 1. Pont. *loc. cit. n.* 16. Legatis Apostolicae Sedis ordinario conceditur Privilegium sequentis tenoris.

Concedimus, ut super natalium, etiamsi ex adulterio, incestu, vel nefario, aut quocunque illicito coitu procreati fuerint, defectibus dispensare, ut quaecunque, quodcunque, qualiacunque Beneficia Ecclesiastica cum Cura, et sine Cura, saecularia, et regularia invicem compatibilia, etiamsi saecularia, Canonicatus, et Praebendae, et si ex Nobili genere procreati fuerint, etiam majores, et principales personatus, et officia in Cathedralibus, Metropolitanis, Collegiatis Ecclesiis, et in illis in quibus dictorum. patientium defectum natalium patres Beneficium obtinuerint, dum tamen illis immediate non succedant, et quod de natalium defectibus hujusmodi nullam in quibuscunque litteris, et gratiis sibi concedendis mentionem facere teneantur, indulgere valeas.

56 Resp. VI. Quaevis de Jure, et nisi aliud exprimatur in *Legitimationis* Rescripto, per Rescriptum Principis soli legitimentur *illegitimi naturales*, non item ex *damnato coitu* nati, *arg. c. Per Venerabilem.* 13. *h. t. et Novell.* 74. *et Novell.* 89. Tamen potest supremus Princeps, si vult, quosvis, etiam ex *damnato coitu* natos legitimare. Omnes, per Jura citata. Imo defacto etiam quemvis *illegitimum* legitimare solent supremi Principes; ita ut Papa suis Legatis quoque, et Imperator nonnullis Comitibus Palatinis eandem facultatem tribuant, ut patet ex formula *num. praeced.*

57 Porro licet Comitibus Palatinis plena concedatur facultas legitimandi quoscunque, etiam natos *ex damnato coitu*, tamen per hanc non censetur concessa facultas legitimandi *illegitimos* Nobilium, nisi in Rescripto Caesareo exprimatur: Et si id exprimatur, non se extendit ad legitimandas *illegitimas* proles Baronum, Comitum, etc. Nolden *de Statu Nobil. cap.* 16. *Th.* 15. patetque ex *Capitul. Leopold. art.* 44.

58 Quaeritur VI. Quos effectus habeat *Legitimatio* per Rescriptum Principis? Resp. I. Si *Legitimatio* fit a Papa, efficit quemvis legitimatum habilem ad Ordines Dignitates, Officia et Beneficia Ecclesiastica per dicta *nu.* 47. simulque ad effectus politicos *nu. seq.* adducendos, si legitimatus est etiam sub jurisdictione temporali Papae, secus si non est, per dicta *nu.* 48. *et seq.* Abbas *in c. Per Venerabilem. h. t. n.* 20.

59 Resp. II. Si *Legitimatio* fit a Principe saeculari, aut Comite Palatino, efficiuntur *Legitimati* imprimis habiles ad legitimam et haereditates, non tamen ita perfecte, ut *legitimati* per subsequens Matrimonium; sed cum certis limitationibus juxta dicta *Lib. III. Tit. XXVI.* n. 412. et *Tit. XXVII. n.* 11. *et seqq.* Deinde evadunt habiles ad Dignitates et Officia saecularia quaecunque, nisi ex consuetudine, vel speciali statuto particulari locorum requiratur, ut quis sit *legitime* natus; ob quod Rescripto Principis legitimati nequeunt esse Assessores in Camera Imperiali, nec Consiliarii Principum, nec insigniri Titulo Doctoris, Mynsing. 4. *Observat.* 31. nec recipi ad certos Ordines, ut nostrum Seraphicum, cum juxta statuta nostra Generalia *cap.* 2. §. 1. *n.* 1. suscipiendus debeat esse *legitime natus.*

60 Ubi praeter alia speciale nota discrimen inter Legitimatos *per subsequens Matrimonium*, et Legitimatos *per Rescriptum Principis*: illi enim per omnia aequiparantur *legitime* natis, et etiam *legitime* nati vocari possunt, comprehenduntur que in Statutis hominum requirentibus, ut quis sit *legitime natus*, per dicta *nu.* 42. *et* 43. Non sic legitimati *per Rescriptum Principis.*

61 Resp. III. Ut Legitimatio *per Rescriptum Principis* memoratos effectus habeat, plures requiruntur conditiones. I. Est, ut *Illegitimi*, consentiant, *Novella* 89. *cap.* 11. Generaliter autem sufficit consensus tacitus, qui silentio etiam indicatur. Zoesius *h. t. nu.* 26. *arg. c. Qui tacet. de Reg. Jur. in* 6. II. Ut nulli extent liberi *legitimi*, ne his praejudicium causetur, *Novell.* 74. *cap.* 1. *et* 2. Et quamvis Princeps de plenitudine potestatis etiam *Legitimis* extantibus possit legitimare *Illegitimos*; tamen in dubio interpretandum est, eum non intendisse: nam beneficia Principum ita interpretari oportet, ut quam minimum praejudicent Juri publico, aut privato juri Tertii, Felinus *in c. Cum olim. de Sentent. et re judicat.* Zoesius *loc. cit.* et alii.

62 Ubi iterum aliquod discrimen notandum est inter Legitimationem per subsequens Matrimonium, et Rescriptum Principis. Per Matrimonium enim *illegitimi* legitimantur extantibus etiam, et contradicentibus liberis *legitimis*, ut communiter advertunt DD. non sic per *Rescriptum Principis.*

63 III. Requiritur, ut *Illegitimus* per subsequens parentum Matrimonium, aut omnino non, aut saltem non commode legitimari valeat. *Novell.* 74. *cap.* 1. Ratio est; quia *Legitimatio* censetur esse remedium extraordinarium, quod cessat, ubi haberi potest ordinarium. *L.* 16. *ff. de Min.*

64 IV. Requiritur alias de Jure, ut vel *Illegitimi* pater libello supplici *Legitimationem* exoret, vel patre jam mortuo id faciat ipse *Illegitimus*: probans prius ex patris Testamento, eum id desiderasse *Novell.* 74. *cap.* 2. §. 1. *et Novell.* 89. *cap.* 9. §. 1. *et cap.* 10. Verum hodie universalis consuetudinis vigore sufficit etiam sola simplex instantia *Illegitimi*, Samu. Strichk. *loc. cit.* §. 18.

65 Resp. IV. *Legitimatio* quantumvis ampla Rescripto Principis saecularis facta, penitus nihil valet quoad effectus Ecclesiasticos, Ordines v. g. Officia, et Beneficia Ecclesiastica. Covarruvias *de Matrim. part.* 2. *cap.* 8. §. 8. *n.* 15. Abbas in *c. Per Venerabilem h. t.* et alii. Ratio patet: quia Princeps saecularis nullam habet potestatem circa

spiritualia, nec potest in Lege Ecclesiastica dispensare, *per vulgarin.*

TITULUS XVIII.

Qui Matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
2 *Matrimonium contrahendum existente Impedimento accusare quivis potest, ac tenetur.*
3 *Soli conjuges Matrimonium accusare possunt, quod censetur nullum ex defectu impotentiae alterutrius.*
4 *Vel ob Impedimentum, quod ipsi tollere possunt.*
5 *Imo nec ipsi audiuntur, si cognitio tali Impedimento se invicem cognoscant.*
6 *Conjugium ex causa Affinitatis, vel Consanguinitatis suspectum accusant Consanguinei proximiores etc.*
7 *Ex alio impedimento, cui renuntiare conjuges nequeant, nullum aut suspectum, accusare possunt omnes.*
8 *Matrimonium quovis tempore etiam post multos annos accusare potest, etiamsi de valore ipsius jam sit pronuntiatum.*
9 *Ab accusando Matrimonio repelluntur, I. qui quaestus causa accusant.*
10 *II Qui tempore Denuntiationem non accusarunt. Limitatur. Ibid.*
11 *Hi tamen alias, et accusent, Impedimentum detegere possunt.*
12 *III. Aliquando conjuges. Et quando?*
13 *IV. Accusantes per litteras.*
14 *Qui possunt accusare Matrimonium, possunt etiam esse testes pro, et contra illud.*
15 *Quandonam quis simul esse queat accusator et testis?*
Nemo potest simul esse testis et accusator. Ibid.
16 *A ferendo testimonio in causa Matrimoniali qui repellantur?*
17 *Causarum Matrimonialium Judex solus Ecclesiasticus esse potest.*
18 *Et quidem Jure ordinario Episcopus.*
19 *Ejusque Vicarius Generalis.*
20 *Nec non Capitulum Sede vacante.*
21 *Item Praelati nullius Dioecesis.*
22 *Et ex commissione Episcopi, vel alterius Ordinarii etiam inferiores alii,*
23 *Vel consuetudine aut privilegio. Et num. praeced.*
24 *Judex saecularis nec incidenter agnoscere potest de causa Matrimoniali.*
25 *Bene tamen incidenter de causa Laicali judicare potest Judex Ecclesiasticus.*
26 *De Probatione et Testibus requisitis ad probandam nullitatem Matrimonii. Remissive*

1 Rectus ordo est, ut, postquam in praecedentibus actum est de Matrimonio, et Impedimentis ejus, agatur tunc de iis, qui Matrimonium accusare, aut impugnare possint, et debeant, casu quo forsan inter conjuges impedimentum foret. Et quoniam accusatio sine probatione non sufficit, agitur etiam de Testibus ad probandum habilibus et requisitis.

2 Notandum primo, accusari, et impugnari posse Matrimonium tam contrahendum, quam contractum. Et quidem si impugnatur contrahendum, certum est, quemvis non tantum posse, sed et teneri Matrimonium accusare denuntiando Impedimentum inter sponsos existens, juxta dicta supra *Tit. III n. 49. II. N.*

Quaeritur I. Quinam, et quando Matrimonium jam contractum accusare, aut impugnare possint, et debeant? Resp. I. Si accusator aut impugnator Matrimonium tanquam nulliter contractum ob impotentiam alterius conjugum v. g. ob frigiditatem viri, aut arctitudinem foeminae, maleficii etc. soli ad accusandum admittuntur conjuges. Abbas *ad Rubr. h. t.* Pirhing *eod. num.* 1. et alii. Ratio est; quia horum solummodo interest, et ipsi possunt, si velint, non obstante tali Impedimento suo juri, quod ad accusandum habent, cedere ac invicem cohabitare, non quidem ut conjuges, sed ut frater et soror, juxta dicta supra *Tit. XV. n.* 62. textu expresso *c. Consultationi.* 4. *et c. Laudabilem.* 5. *de Frigid. et Maleficiat.* juncto can. *Requisivisti.* 2. caus. 33. *q.* 1. 3

Resp. II. Pariter soli admittuntur conjuges ad accusandum, casu quo Matrimonium est nullum ex tali Impedimento, cui conjuges possunt renuntiare, ut puta, ex Impedimento gravis metus circa ipsam personam, aut conditionem, et statum ipsius, ut si quis contraxit cum serva, quam putavit esse liberam, aut contraxit cum Lucia quam putavit esse Rachelem. Abbas *loc. cit.* Pirhing *loc. cit.* Hoo *ad Rubr. h. t. n.* 8. Gonzalez *in c. fin. h. t. n.* 3. Ratio est; quia hoc ipso, quod ipsi juri suo renuntiare, et tale Impedimentum tollere, novoque consensu Matrimonium ratificare valeant, idque re ipsa facere praesumantur, si conscii Impedimenti praecedentis cohabitant, *arg. c. 2. et c. fin. de Conjug. servor. c. Insuper.* 4. *h. t.* frustranea foret aliorum accusatio. 4

Imo praefato casu, ubi Conjuges solo consensu suo mutuo Impedimentum tollere, et Matrimonium ratificare valent, ipsimet non amplius audiuntur, si post acquisitam Impedimenti notitiam, adhuc carnaliter invicem se cognoscunt, ut bene advertit Gonzalez *loc. cit.* per Jura allegata. Ratio est: quia Matrimonium novo consensu ratificasse, et consequenter inseparabile effecisse, de Jure praesumuntur. 5

Resp. III. Si impugnator Matrimonium ob Impedimentum Consanguinitatis, Affinitatis, aut publicae Honestatis, primo omnium accusare possunt et audiuntur parentes, et his deficientibus, fratres et sorores, ac alii Consanguinei propinquiores: quibus omnibus deficientibus etiam extranei antiquiores, et veraciores, praesertim e vicinia. Communis ac certa, textu expresso *can.* 1. *caus.* 35. *q.* 6. ibi: *Consanguineos extraneorum nullus accuset, vel consanguinitatem computet, sed propinqui, ad quorum notitiam pertinet, id est, pater, mater, frater, soror, patruus, avunculus, amita, matertera et eorum procreatio. Si autem progenies tota defecerit, ab antiquioribus, et veracioribus, quibus eadem propinquitas nota est, Episcopus Canonice requirat.* Concordat *can.* 2. *ead. caus. et q.* juncto *c. videtur.* 3. *h. t.* ubi etiam causa allegatur illis verbis. *Ideo enim maxime parentes, et si defuerunt parentes, proximiores admittantur, quoniam unusquisque suam genealogiam cum testibus, et chartis, tum etiam ex recitatione Majorum scire laborat.* 6

Solvitur quoque ibidem Objectio sequentibus verbis: *Quod vero legitur, pater non recipiatur in causa filii, nec filius in causa patris, in criminalibus causis et contradictionibus verum est: in Matrimonio vero conjungendo, vel disjungendo, ex ipsius conjugii praerogotiva, et quia favorabilis res est, congrue admittuntur.*

Resp. IV. Si Matrimonium ex alio Impedimento, cui conjuges renuntiare non possunt, v. g. ex defectu Parochi, et testium, ob professionem Religiosam est nullum, omnes tam extranei, quam consanguinei, etiam conjuges ad accusandum 7

admittatur; praesertim vero, quorum interest, Gonzalez *in c fin. h. t. n.* 3. cum communi *arg. c.* 1. *De iis, quae vi metusque causa*, ubi Matrimonium contractum impugnavit, et audita est Priorissa cum Monialibus ob praecedentem professionem Religiosam a conjuge emissam.

8 Resp. V. Ad Matrimonium accusandum qui sunt habiles, possunt illud quovis tempore etiam multis annis post Matrimonium jam elapsis accusare: dummodo paratas probationes habeant, suspicione careant, et Impedimentum tale sit, cui conjuges renuntiare non possunt. Rursus communis. Ratio patet, quia, cum Matrimonium invalide contractum, nullo temporis tractu validatur, actio contra illud nunquam praescribitur. Imo datur accusatio contra illud, etsi pro valore illius sententia jam jam esset lata: quia in Matrimonio sententia nunquam transit in rem judicatam, textu expresso *c. Lator.* 7. *de Sentent. et re judicat.*

9 Resp. VI. Ab accusando Matrimonio plures omnino repelluntur. Patet inductione. Nam I. Ab accusando repelluntur, qui ex turpi quaestu accusare intendunt, minantes v. g. conjugibus accusationem, nisi pecuniam tribuant. Omnes textu claro *c. Significasti.* 5. *h. t.* Ratio est: quia tales malitiose et falso accusare praesumuntur, *arg. can. Prohibentur. caus.* 1. *q.* 1. *et l. Qui accusare. ff. de Accusat.* Debent autem resistentes accusationi probare, quod quaestus causa accusatio intentetur; quia delicta non praesumuntur, sed probari debent *per vulgaria.*

10 II. Repelluntur, qui post factas Denuntiationes Matrimonii Impedimentum non manifestavit, sed tacuit; nisi probabile esset, tales Denuntiationes factas ignorasse, quia v. g. tunc absens, aut infirmus, aut insufficientis, et rem non satis intelligentis aetatis fuit, vel etiam, si juret, quod, etsi Denuntiationes factas sciverit, tamen post Matrimonium jam contractum in notitiam Impedimenti primum venerit. Ita tota Conclusio cum suis limitationibus habetur *cap. fin. h. t.* et sequuntur omnes DD. Ratio ibidem additur; quia alias, et nisi aliquod ex positis limitationibus adsit, tacens Impedimentum tempore Denuntiationum videtur *suspectus*, et ideo procul dubio *repellendus.*

11 Additur tamen *in cit. c. fin. h. t.* quod etiamsi talis, qui tempore Denuntiationum sibi notatum, omisit Impedimentum manifestare, ad accusandum non admittatur, is tamen alicui alteri dictum Impedimentum aperire, hic alter vero idem Judici etiam per modum accusationis proponere possit, et audiri debeat: ratio ibidem additur, *quod, etsi prior ob culpam silendo contractam, merito repellatur, iste tamen amoveri nequiret, cum culpabilis non existat.*

12 III. Ab accusatione repelluntur conjuges in casu, de quo supra num. 5.

13 IV. Repellitur ab accusatione, qui non personaliter, sed tantum per litteras accusat, textu expresso *c.* 4. *h. t.* et ibi DD. *Nisi alia adminicula suffragentur*, prout his verbis limitatur *cit. c.* 2. *h. t.*

14 Quaeritur II. Quinam possint esse testes contra Matrimonium? Resp. I. Omnes, qui habiles sunt ad accusandum Matrimonium, sunt etiam habiles ad testificandum contra illud, praesertim vero illi, qui majorem habent notitiam, et hinc minus suspectae esse dignoscuntur. Denuo communis. *arg. c. Licet.* 47. *de Testib. et Attest.* et proin, etsi alias *testis idoneus patri filius, et filio pater non sit, can. Testes cau.* 4. *q.* 1. *et l. Testes ff. de Testibus*, ii tamen, sicut et caeteri consanguinei pro et contra Matrimonium patris aut filii testes esse queant, per dicta *arg. c. Videtur.* 3. *h. t. et can.* 1. *caus.* 35. *q.* 6.

Imo quamvis alias de Jure nullus possit esse simul accusator et testis in eadem causa, *can. Nullus,* 4. *caus.* 4. *q.* 4. *l. Omnibus.* 10. *C. de Testib.* tamen in causa Matrimoniali id fieri posse, (saltem quando agitur de consanguinitate, vel affinitate) patet ex *can. Si duo.* 4. *can. De parentela* 5. *et c. Episcopus.* 7. *caus.* 35. *q.* 6. Non quidem in casu, quo quis proprie talis existit accusator, ut vult Innocentius *ad Rubr. h. t.* sed quando est denuntiator Impedimenti, seu quando absque formali accusatione illud praecise denuntiat. tunc enim, si Judex Ecclesiasticus inquirit, is ipse, qui denuntiavit, etiam testis esse poterit, ut bene advertit Abbas *ad Rubr. h. t. in fine*, quem sequitur Pirhing *h. t. n.* 3. et alii, *arg. c. In omni*, 4. *de Testib. et Attestat. et c. Cum in tua* 27. *de Sponsal. et Matrim.* 15

Resp. II. Sicut ab accusatione, sic a ferendo testimonio repellitur testis ob quaestum inductus, *arg. c. Sicut.* 13. *de Testib. et Attestat.* sicut etiam testis, qui non personaliter, sed per litteras deponit, *arg. l. Testium* 3. *ff.* §. 3. *de Testib. can. Testes.* 15. *caus.* 3. *q.* 9. *et c. A nobis.* 2. *h. t.* ubi Summarium sic habet: *Accusatio, et testimonium in causa Matrimoniali personaliter, et non per litteras fieri debent.* Observat tamen Gailus *lib.* 1. *Observat.* 101. *n.* 4. in pluribus Germaniae locis tam privilegio, tum consuetudine haberi, quod nobiles, ac Illustres testimonium scriptura per sigillum suum Nobile obsignata ferre queant. 16

Quaeritur III. Quis sit Judex in causa Matrimoniali? Resp. I. Causas Matrimoniales omnes ad solos Ecclesiasticos pertinere Judices Unanimis ac certa, utpote definita a Concilio Tridentino *Sess.* 24. *can.* 22. ibi: *Si quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, Anathema sit.* Ratio patet; quia Matrimonium est Sacramentum, consequenter res spiritualis, sicque ad Judicem Ecclesiasticum pertinet, *arg. c. Si Judex.* 12. *de Sentent. Excomm.* in 6. ibi: *Ad Judicem Ecclesiasticum (quia agitur de re Ecclesiastica) cognitio pertinebit.* 17

Resp. II. Non quivis Ecclesiasticus, sed ordinario Jure Episcopus est judex competens in causis Matrimonialibus, textu expresso *c. Accedentibus.* 12. *de Excess. Praelat.* et Concil. Trident. *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 20. *v. Ad haec:* ibi: *Causae Matrimoniales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum Judicio, sed Episcopi tantum examini, et Jurisdictioni relinquantur.* 18

Quoniam vero Vicarius Generalis Episcopi potest ea, quae Episcopus, per ea, quae diximus *Lib. I. Tit. XXVIII. de Officio Vicarii.* §. *IV.* Is quoque, etiam absque speciali mandato, juxta communem sententiam cognoscere, ac judicare potest de causis Matrimonialibus; et speciali insuper argumento desumpto ex *c. fin. de Cognat. spiritual.* et *c.* 1. *de Frigid. et Malef.* 19

Capitulum quoque Sede vacante (quia ad illud ordinaria Episcopi jurisdictio transit, *c. Hi qui.* 11. *et c. Cum olim. de Majoritat. et Obedient.*) sicut et Vicarius Capituli, Judex competens in causa Matrimoniali est, Barbosa *de Offic. et potest. Episc. Allegat* 84. *n.* 4. Quaranta *in Summa Bullaris. v. Capitulum Sede vacante.* Covarruvias *de Sponsal. par.* 2. *cap.* 8. §. 12. *n.* 1. 20

Insuper Jure ordinario Judices in his causis sunt Praelati Episcopo inferiores, nulli tamen Episcopo subjecti, et jurisdictionem quasi Episcopalem in certo Territorio exercentes. Barbosa *loc. cit. nu.* 5. Riccius *in Decis. Cur. Archiepisc. Neapolit. Decis.* 184. Rota apud Mant. *Decis.* 124. *n.* 7. Ratio est; quia, dum Concilium aliis inferioribus Episcopo hanc jurisdictionem denegat, intelligit illos inferiores, 21

qui certe Dioecesis Episcopo in certis saltem causis subjecti existunt.

22 Resp. II. Ex commissione, et Privilegio etiam alii Episcopo inferiores Praelati, in causis Matrimonialibus Judices esse possunt. Communis et certa. Patetque communi Ecclesiae praxi; quia videmus, quod alicubi Archidiaconis, alicubi aliis Praelatis, seu personis Ecclesiasticis ex delegatione seu commissione, vel etiam ex privilegio competat jurisdictio cognoscendi, et judicandi causas Matrimoniales.

23 Pariter potest eadem jurisdictio per Ecclesiasticos inferiores consuetudini acquiri. Barbosa *loc. cit. n.* 5. allegans Declarationem Cardinalium. Ratio patet; qui ea, quae non sunt Ordinis, sed tantum jurisdictionis Episcopalis, privilegio acquiri valent, juxta communem doctrinam alibi traditam.

24 Resp. III. Judex saecularis incapax est cognoscendi de causa Matrimoniali, non tantum si principaliter movetur de ea quaestione, puta de Matrimonii valore, divortio, dissolutione, ejus impedimentis etc. sed etiam quando incidenter de eadem est controversia: ut si principaliter movetur quaestio de dote, de haereditate, de donatione propter nuptias, de adulterio etc. (de quibus Judex saecularis cognoscere utique potest) et incidenter quaeritur de valore Matrimonii, v. g. uno ex litigantibus illum impugnante, Covarruvias *de Sponsal. p.* 2. *cap.* 8. §. 12. *n.* 1. Barbosa *Allegat.* 84. *n.* 16. *et seqq.* ubi hanc Conclusionem exacte discutit. Ratio patet; quia Judex laicus incapax est judicandi causas spirituales, quocunque tandem modo in quaestionem veniant, *c.* 2. *de Judiciis*, et amplius dictum est *Lib. II. Tit. I.* §. 2.

25 Econtra bene potest Judex Ecclesiasticos quaestione de causa Matrimoniali principaliter mota, incidentes quaestiones, alias ad Judicem saecularem pertinentes, v. g. de haereditate, de dote, de alimentis, etc. cognoscere. Barbosa *loc. cit. n.* 18. *et* 19. Gutierrez *Pract. q. lib.* 1. *q.* 44. *a n.* 6. cum communi, patetque clare ex c. 1. *Qui filii sint legitimi*, c. *De prudentia.* 3. *c. Nuper.* 6. et c. *Per vestras.* 7. *de Donat. inter virum et mulierem.* Ratio patet; quia Judex Ecclesiasticus ex se non est incapax cognoscendi causas temporales, uti Judex Laicus incapax est cognoscere spirituales.

26 Quaeritur quomodo probari debeat, et quot testes requirantur ad hoc, ut Matrimonium declaretur nullum, et dissolvatur quoad vinculum? Resp. Ad hanc quaestionem patere *Tit. seq.* §. 1. *q. IV.*

TITULUS XIX.

De Divortiis.

1 *Ratio continuationis.*

1 Quandoquidem Accusationem in causa Matrimoniali sequitur Divortium, recto ordine, praecedenti Titulo *Qui Matrimonium accusare possint*, sequitur praesens de *Divortiis*: quia vero fieri potest Divortium tam quoad *vinculum*, quam quoad solam cohabitationem et thorum, hinc de utroque hic agemus.

§. I.

De Divortio, seu dissolutione Matrimonii tamen consummati, quam rati quoad Vinculum.

SUMMARIUM.

2 *Fidelium Matrimonium ratum solvitur professione Religiosa.*
3 *Non item dispensatione Pontificia.*
4 *Probatur ex Jure.*
5 *Et ratione; quia est Jure Divino insolubile.*
6 *Solvitur Adversariorum prima objectio de potestate Papae concessa a Deo.*
7 *Solvitur secunda petita ex unione Christi cum Ecclesia, et anima.*
8 *Solvitur tertia petita ex facto Pontificum. Pontificum quoque opiniones privatae revocatae sunt. Ibid.*
9 *Fidelium Matrimonium consummatum, nulla ratione solvi potest quoad vinculum;*
10 *Quia est de Jure Divino.*
11 *Et significat unionem Christi cum Ecclesia, et Verbi cum carne.*
12 *Solvitur Objectio haereticorum.*
13 *De solutione Matrimonii infidelium, et haereticorum quoad vinculum;*
14 *Conjuges etiam certi de nullitate Matrimonii, non possunt propria auctoritate discedere ab invicem in Foro externo.*
15 *Si una pars discedit propria auctoritate, debet alteri petenti iterum restitui, nisi discedens in continenti probare possit, vel velit nullitatem.*
16 *Neque potest, aut debet Judex conjugibus facile credere, nisi sufficiens probatio adsit:*
17 *Et quidem plena,*
18 *Per testes juratos omni exceptione majores.*
19 *Si notorie constet de nullitate Matrimonii, debet Judex etiam nemine accusante illud dissolvere,*
20 *Vel de nullitate inquirere, quando non notorie de ea constat, sed fama est.*
21 *In dubio, an Matrimonium valeat, nec ne, Judex pronuntiare debet pro Matrimonio.*
22 *Certo sciens conjux Matrimonium esse nullum, ob latens Impedimentum, nec petere, nec reddere potest debitum, etsi Episcopus id jubeat.*
23 *Imo tenetur etiam contra mandatum Judicis discedere propria auctoritate, si absque periculo incontinentiae, et peccati alteri cohabitare nequeat.*
24 *Limitatur in casu, quando Papa, vel Episcopus dispensare potest, et solet.*
25 *De Infidelium et Haereticorum Matrimonii dissolutione, remissive.*

Quaeritur I. An, et quot modis quoad *Vinculum* fieri possit Divortium, et solutio Matrimonii Fidelium *Rati*, non *Consummati*? Resp. I. Vere, ac legitime contractum fidelium Matrimonium *ratum* solvitur quoad *vinculum* professione Religiosa. Est certa atque de Fide, textu claro, *c. Verum*, et c. *Ex publico. de Convers. Conjug.* et Concil. Trident. *Sess.* 24. *can.* 6. ibi: *Si quis dixerit, Matrimonium ratum non consummatum, per solemnem Religionis professionem, alterius conjugum, non dirimi, Anathema sit.* Hinc cuivis conjugum post contractum jam Matrimonium conceditur bimestre ad deliberandum, an consummare Matrimonium, vel Religionem ingredi velit, *cit.* c. *Ex publico.* 7. *de Convers. conjug.* De quo amplius vide *Lib. III. Tit. XXXII.* 2

Resp. II. Quamvis gravissima inter DD. sit controversia, an etiam dispensatione Pontificia solvi quoad *vinculum* possit Fidelium Matrimonium *ratum*, non *consummatum*, tamen sententia negans, spectando Jura et rationes, probabilior apparet, eamque tuentur gravissimi DD. ut D. Bonaventura *in* 4 *dist.* 27. *q.* 2. *et* 3. Scotus *in* 4. *dist.* 31. *q.* 1. Pontius *lib.* 9. *cap.* 3. *n.* 3. dicens, hanc sententiam tenere fere omnes Theologos. Soto *in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *a* 4. ubi ait, *contrariam sententiam nec probabilitatis umbram habere*, Gutierrez *Can. qq. lib.* 1. *cap.* 17. *a n.* 12. Alexand. *de Nevo in c. Duas de Sponsus* 3

duorum. num. 14. Petrus Ledesma *de Matrim. q.* 1. *dub.* 1. dicens contrariam sententiam esse improbabilem, Palao *de Sponsal. disp.* 3. *pun.* 2. §. 2. *n.* 3. et alii, contra Sanchez *lib.* 2. *Disp.* 14. *n.* 2. Anchoran in c. *Ex publico. de Convers. conjug. nu.* 9. et ibi Abbatem. *n.* 14. atque Canonistas communiter.

4 Probatur Conclusio tam ex Jure; quam ratione. Ex Jure quidem can. *Hi, qui.* 25. *caus.* 32. *q.* 7. etc. *Ex parte.* 14. *de Convers. conjug.* ubi habetur, *quod, ex quo Matrimonium inter legitimas personas per verba de praesenti contrahiter, illis viventibus in nullo casu possit dissolvi, nisi per professionem Religiosam:* ubi etiam clare innuitur, quod absque revelatione Divina dissolutionem Matrimonii rati concedente, nulla de causa quoad *Vinculum* solvi possit Matrimonium *ratum*, juncto c. *Licet.* 3. *de Sponsa duorum.*

5 Ratione autem; quia Matrimonium etiam *ratum* Jure Divino est indissolubile; in Jure Divino autem nequit Papa dispensare juxta dicta *Lib. I. Tit. II.* §. 18. *n.* 455. *Ant.* probatur ex illo *Matth.* 19. *cap.* 6. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, et c. un. *de Voto.* in 6. ubi Papa de Matrimonio *rato* loquens, expresse dicit: *Quod Matrimonii vinculum ab ipso Ecclesiae Capite, rerum omnium Conditore, ipsum in paradiso, et statu innocentiae instituere, unionem et indissolubilitatem acceperit.* Concordat Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *ubi de Matrimonio* indistincte loquens statim a principio sic ait: *Matrimonium perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens Divino spiritus instinctu pronuntiavit: cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, quam ob rem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae.*

Nec dicas, hos textus loqui de Matrimonio *consummato.* Resp. enim, hoc gratis dici; cum omnes textus generaliter ac indistincte loquantur, consequenter indistincte veniant intelligendi, *arg. c. Quia circa.* 22. *de Privileg.* et *l. de Pretio. ff. de Public. in Rem. act.* Accedit, quod Adversarii ipsi fateantur, et ex his textibus probent, Matrimonium *ratum* Jure Divino esse insolubile. Confirmatur ex ipsa Matrimonii definitione ita sonante: *Matrimonium est legitima conjunctio maris et foeminae individuam vitae consuetudinem retinens*, c. *Illud de Praesum.* Accedit adhuc quod etiam plerique DD. sententiae hujus negativae Adversarii ipsi fateantur, Matrimonium etiam *ratum* esse de Jure Divino indissolubile.

6 Objiciunt Adversarii I. Principale fundamentum: Ex eo, quod Deus dederit Papae tanquam suo in terris Vicario potestatem dispensandi etiam in iis, quae sunt Juris Divini, quando id exigit bonum publicum, aut commune Ecclesiae, vel animarum, videtur quoque concessisse potestatem dispensandi in Matrimonio *rato*, nondum *consummato*, casu quo id exigat bonum Ecclesiae, aut animarum salus, juxta illud *Matth.* 16. ℣. 18. *et* 19. ubi Christus Petro, et Successoribus amplissimam facultatem tribuens dixit: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam etc. Quodcunque solveris super terram, erit solutum, et in coelis.* Ex quo fundamento Papa etiam in votis Jure Divino ligantibus dispensat. Resp. Hoc argumentum probare nimium, videlicet, quod Papa etiam ad Matrimonio *consummato* dispensare valeret: cum aeque, imo magis et saepius pro bono communi Ecclesiae, et animarum salute servire, si dispensaretur in Matrimonio *consummato*, quam *rato*; ut consideranti patet: Ergo si ob bonum Ecclesiae, et animarum salutem non potest dispensare in Matrimonio *consummato*, neque potest in *rato*, cum hoc non minus ac illud sit de Jure Divino indissolubile, fatentibus ipsis Adversariis.

Nec dicas, Matrimonium *consummatum* ideo dissolvi non posse dispensatione Papali, quia significat indissolubilem Christi unionem cum Ecclesia, *ratum* vero solummodo unionem Christi cum anima *per gratiam* c. *Debitum. de Bigam.* quae, quia saepe in anima solvitur, etiam Matrimonium *ratum* solvi poterit. Nam contra est primo, quod multi teneant, non solum Matrimonium *consummatum*, sed etiam *ratum* significare unionem Christi cum Ecclesia, praesertim, cum Paulus 5. *ad Ephes.* illam unionem indicans in Matrimonio indistincte fuerit locutus illis verbis: *Hoc Sacramentum magnum est. Ego autem dico vobis, in Christo, et in Ecclesia etc.* 7

Contra est *secundo*, quod, etsi dato non concesso solum Matrimonium *consummatum* significaret illam unionem Christi cum Ecclesia, tamen exinde non probaretur, illud ita esse indissolubile, quin dispensatione Papali a Deo ob bonum commune Ecclesiae concessa, dissolvi posset; cum etiam juxta plures Adversarios Matrimonium *consummatum* Infidelium, et Fidelium antiquae Legis jam praenotatam dictam unionem, et tamen fuerit solubile. Contra est tertio, quod dissolubilitas Matrimonii non habeat suam efficaciam ex illa unione, sed ex ipsa natura sua ac institutione Christi, prout late probat Pontius *lib.* 1. *cap.* 13. paterque ex textibus supra *n.* 5. allegatis.

Objicies II. Plures Pontifices dispensatione sua dissolverunt Matrimonium *ratum*, ut constat de Martino V. Eugenio IV. Paulo III. Pio IV. et Gregorio XIII. qui ultimus teste Sanchez *lib.* 2. *Disp.* 4. una die quatuordecim Matrimonia *rata* dispensando dissolvit quoad *vinculum*; atqui temerarium est, dicere, tot et tantos Pontifices in puncto tam gravi errasse, et nulliter egisse; ergo Resp. I. iis Summis Pontificibus opponi posse Pontifices alios, contrarium sententiam, et practicantes, atque absolute dicentes, neque in Matrimonio *rato* Papam dispensare posse absque revelatione Divina juxta dicta supra *n.* 4. Resp. II. Praefatos Pontifices secutos fuisse sententiam probabilem Adversariorum per, quod nondum probatur, nostram sententiam non esse probabiliorem, praesertim cum etiam opiniones et praxes ipsorum Pontificum a Successoribus nonnunquam revocatae fuerint, tanquam minus rectae, ut constat ex c. *Licet.* 3. *de Sponsa duorum*, ubi Innocentius III. statuit, Matrimonium *ratum* non solvi per subsequens Matrimonium etiam *consummatum quanquam*, (ut inquit) *aliter a quibusdam Antecessoribus nostris sit aliquando judicatum.* 8

Quaeritur II. An etiam Fidelium Matrimonii *consummati* fieri quandoque possit Divortium seu dissolutio quoad *vinculum*? Resp. nulla ratione, nec etiam dispensatione Pontificia quoad *vinculum* dissolvi potest Matrimonium *consummatum* Fidelium. Et unanimis Catholicorum contra haereticos volentes, etiam hoc Matrimonium quoad *vinculum* solvi posse propter unius adulterium, aut discessum a vera Religione. Ratio Conclusionis est, quia *consummatum* Matrimonium Jure Divino est indissolubile; consequenter illud nullus praeter Deum quoad *vinculum* dissolvere potest; praesertim quia nec ex traditione, nec ex revelatione aliqua nec ex usu Ecclesiae constat, Deum Pontifice dedisse potestatem dispensandi in hoc Jure Divino. 9

Quod autem Jure Divino sit indissolubile, probatur. Tum ex textibus *num.* 5. allegatis, qui si non etiam de *rato*, saltem de *consummato* Matrimonio intelligi debent. Quibus accedit illud Pauli *ad Rom.* 7. *Mulier vivente viro alligata est legi.* Et 1. *Corinth.* 7. *His, qui Matrimonio juncti sunt, praecipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non* 10

discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Concordat Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *can.* 5. ibi : *Si quis dixerit, propter haeresin, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi posse Matrimonii vinculum, anathema sit.* Et *can.* 7. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, et docet, juxta Evangelicam, et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi etc. Anathema sit.* Qui textus saltem de Matrimonio *consummato* intelligi debent ; quamvis etiam de Matrimonio *rato* merito applicari valeant, per dicta *a num.* 3.

11 Aliam rationem Conclusionis communiter etiam allegant illam, quod Matrimonium *consummatum* significet mirabilem, ac indissolubilem illam unionem Christi cum Ecclesia, c. *Debitum.* 5. *de Bigam.* so etiam unionem hypostaticam Verbi D. cum natura humana. Verum exinde suam indissolubilitatem Matrimonium consummatum non desumere, cum Pontio jam dictum est supra *numero* 7.

12 Objicies cum haereticis illud Matth. 19. *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur* ; ergo ; quia exceptio firmat regulam in contrarium, *arg. l. In iis, quae ff. de Legib.* licitum est ob fornicationem dimittere uxorem, et aliam ducere. Resp. negando consequentiam; quia ibi ly *nisi ob fornicationem* refertur solummodo ad prius, non ad posterius, ut duplex sensus sit : *primus* : Quicunque uxorem dimiserit (quoad Thorum nempe, seu cohabitationem juxta dicenda infra) quae non est rea fornicationis, moechatur, seu facit eam moechari, ut dicitur Matth. 5. *v.* 31. *et* 32. id est, injuste praebet eidem occasionem moechandi, si vero ob fornicationem seu adulterium eam dimittit quoad Thorum, non moechatur, seu non facit eam moechari, cum non injuste, sed juste eam dimittat. *Alter* sensus est, et quidem absolutus ; Quicunque uxorem dimiserit, et aliam duxerit rupto priori vinculo, ipsemet adulteratur, nulla causa ab hoc excusante. Concordat textus *Matth.* 5. *v.* 31. *et* 32 ibi: *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari: Et qui dimissam duxerit, adulterat*: ubi rursum, ut vides, *excepta fornicationis causa* refertur ad prius ad dimissionem nempe ; non item ad posterius videlicet, *Qui dimissam duxerit.* Accedit perpetua traditio Ecclesiae, hos textus in allegato sensu intelligentis. Et merito ; secus enim certe lata porta aperiretur adulteriis, utpote quibus mediantibus conjuges alias male cohabitantes, et separationem anhelantes, facile separari, aliisque pro libitu nubere possent. Plura de hoc Controversistae.

13 Quaeritur III. *An ?* et quando quoad *vinculum* solvi queat Matrimonium Infidelium et Haereticorum? Resp. Ad hoc quaesitum jam patere supra de Matrimonio Infidelium quidem *Lib. III. Tit. XXXIII.* De Matrimonio Haereticorum vero, hoc Libro *Tit. I. a n.* 357. *et Tit. III. de Matrimon. Clandest* §. 3.

14 Quaeritur IV. Quid requiratur, et qualis adesse debeat probatio ad hoc, ut dissolvatur quoad *vinculum* Matrimonium sive ratum, sive *consummatum*, cum Impedimento *dirimente* contractum ? Resp. I. Ad dissolutionem, seu divortium Matrimonii quoad *vinculum* requiritur inprimis auctoritas legitimi Judicis, ita ut privata conjugum auctoritate dissolvi, aut unus alterum dimittere nequeat ; etiamsi certi sint de Impedimento *dirimente*, idque notorium existat. Communis ac certa textu claro c. *Porro.* 3. *h. t.* ubi Papa sub Excommunicatione Comitem Pontium adigit, ut uxorem, quam ob notoriam consanguinitatem dimisit, iterum recipiat, ex eo, *quod si etiam parentela publica esset et notoria, absque judicio Ecclesiae ab eo separari non potuit: quare ipsum ad eam recipiendam districte compellat ; quam si recipere noluerit, eum et supra dictam* (aliam nempe uxorem) *vinculo Excommunicationis adstringas.*

Resp. II. Si una pars conjugum ob praetensam nullitatem Matrimonii propria auctoritate discedit, tenetur Judex ante omnia illam per Juris media, etiam censuras compellere, ut redeat ad conjugem ; nisi de impedimento *dirimente*, consequenter etiam de nullitate Matrimonii notorie constet, aut pars discedens habeat probationes in continenti paratas. Ita expresse statuitur *c. Per litteras.* 13. *de Restit. spoliat.* ubi etiam additur, quod, si pars discedens probationes quidem pro se in continenti non habeat, sed ad eas faciendas indigeat dilatione longiori aut mora, ante omnia restituenda sit conjugi, a quo propria auctoritate discessit. Ratio subjungitur ; *quia praesumitur contra eam, quae sine judicio Ecclesiae sua tantum temeritate recessit*: quae pro Foro externo intellige: quid enim in Foro interno facere possit conjux conscius Impedimenti ? dicetur infra *a n.* 22. 15

Resp. III. Non debet, nec potest Judex Matrimonium in facie Ecclesiae contractum dissolvere quoad *vinculum* ; ex hoc solo, quod unus vel ambo conjuges ipsimet, accedente etiam rumore viciniae fateantur, se cum Impedimento *criminis* v. g. vel affinitatis, aut consanguinitatis contraxisse, nisi sufficientes probationes accedant. Rursus communis ac certa, textu expresso c. *Super eo.* 5. *de eo, qui cognovit*, ubi etiam ratio subjungitur illis verbis : *Cum et quandoque nonnulli inter se contra Matrimonium velint colludere, et ad confessionem incestus* (aut alterius impedimenti) *facile prosilirent si suo judicio crederent, per judicium Ecclesiae concurrendum. Rumor autem viciniae non adeo est judicandus validus, quod, nisi rationabiles, et fide dignae probationes accedant, possit bene contractum Matrimonium irritari.* 16

Resp. IV. Ad hoc, ut Judex Ecclesiasticus vinculum Matrimonii dissolvat, debet eidem de Impedimento *dirimente* constare per probationem plenam et perfectam ; qualis est, quae fit per duos testes omni exceptione majores. Iterum communis ac certa, *arg.* c. 1. *de Consang. et Affinitat.* et c. *Super eo* 22. *de Testibus cum Concordant.* Ratio est ; quia causa dissolvendi Matrimonium quoad *vinculum* est una ex gravioribus, et in praejudicium magnum tum tertii, tum Sacramenti redundantibus, consequenter exigit plenam probationem, per ea, quae diximus *Lib. II. Tit. XIX de Probat.* ubi etiam habes, quaenam sint, et dicantur probationes plenae. 17

Quod, si probatio fiat per testes, debet fieri per testes saltem duos omni exceptione majores, *arg. cit.* c. 1. *de Consang. et Affinitat.* ibi: *Per testes omni exceptione majores.* Ratio est; quia unus testis quantumvis habilis non facit plenam probationem, *arg. c. Licet universis, de Testib.* qui etiam debent esse jurati, *arg. can. Illud* 6 *et can. de Parentela* 8 *caus.* 35 *q.* 6. quia testis non juratus nihil probat, per Vulgaria. 18

Porro quinam sint testes habiles contra Matrimonium jam contractum, constat tum generaliter ex *Lib. II. Tit. XX. de Testib.* Tum specialiter ex *Tit. praeced.* ubi etiam habes, quisnam sit Judex in causa Matrimoniali.

Resp. V. Etsi nemo Matrimonium accuset, potest nihilo minus, et debet illud Judex Ecclesiasticus etiam quoad *vinculum* dissolvere, quando de ejus nullitate, seu impedimento *dirimente* notorie et 19

certe constat. Abbas *in c. Porro.* 3. *h. t. n.* 4. et ibi DD. communiter: Textus est *in cit. c.* 3. *h. t.* ubi Papa ita respondet Episcopo Ambianensi, *quod non apparentibus accusatoribus, et parentela manifesta et publica existente* (idem die de alio Impedimento) *tui Officii interest, Matrimonia illa, adhibita gravitate dissolvere.*

20 Imo etsi notorie de Impedimento non constet, existat tamen fama de illo, potest Judex Ecclesiasticus ex Officio inquirere, et quemcunque compellere, ut testimonium de illo deponat. Abbas *loc. cit. n.* 4. et ibidem Glossa communiter recepta ℣. *Seu publica, arg. c.* 1. *de Offic. Ordinar.* juncto can. *Episcopes, in Synodo.* 7. *caus.* 35. *q.* 6.

21 Resp. VI. Quandocunque sive praecedente accusatione, sive facta inquisitione, sive ex alio capite, de Matrimonio jam contracto apud Judicem fit quaestio aut controversia, debet Judex in Foro externo pro valore Matrimonii pronuntiare, si causa rite examinata, non habetur plena probatio, sed dubium manet, an re vera subsit aliquod Impedimentum, consequenter an Matrimonium valeat, nec ne. Rursus communis, *arg. c. Super eo.* 22. *de Testib. et Attestat.* cum Concordantiis, et sequitur necessario ex Conclusione *num.* 17. data, ubi dictum est, ad dissolvendam vinculum Matrimonii requiri plenam probationem; per Jura et rationes ibidem allegatas. Quibus accedit; Quia Matrimonium jam contractum est res favorabilis, *c. Directe.* 3. *Qui Matrim. accusare possint.* Hinc licet ad impediendum Matrimonium sufficiat unus testis, fama, aut dubium de Impedimento, juxta unanimem, non tamen sufficit pro vinculo dissolvendo, ut bene advertit Glossa communiter recepta *in cit. c. Super eo. de Testib. et Attestat.* ℣. *Firmatum.*

22 Quaeritur V. Quid faciendum conjugibus, si contracto jam Matrimonio cognoscunt, illud esse nulliter contractum ob versans inter illos Impedimentum *dirimens*? Resp. I. Conjux, qui certo scit, Matrimonium esse nullum, nec reddere, nec petere potest debitum conjugale: etiamsi impedimentum probare nequeat, et propterea forsan a Judice Ecclesiastico per Censuras compellatur ad reddendum debitum. Unanimis et certa, textu expresso c. *Inquisitioni tuae.* 44. *de Sentent. Excommun.* ibi: *Debet potius sententiam Excommunicationis humiliter sustinere, quam per carnalem copulam, peccatum operari mortale.* Concordat *c. Litteras.* 13. *de Restit. Spoliat.* ubi etiam ratio habetur: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, et quidquid fit contra conscientiam, aedificat ad gehennam.*

23 Resp. II. Quamvis unus vel ambo conjuges certam notitiam Impedimenti habentes, Matrimonio jam contracto ab invicem propria auctoritate discedere nequeant, sed pro Foro externo indigeant auctoritate Judicis juxta dicta *num.* 14. Nihilo minus si Impedimentum ita est constitutum, ut illud plene probare non possint, vel ob diffamationem sui non audeant: possunt, imo tenentur in foro conscientiae ab invicem discedere, si absque periculo incontinentiae ut frater et soror simul cohabitare nequeant. Neque tenentur in Foro interno obedire Episcopo, contrarium etiam sub Censura recipienti. Rursus communis per Jura citata, praesertim *c. Litteras de Restit. Spoliat* ubi dicitur, quod, si in tali casu Episcopus discedenti a conjuge sub Censura imperat, ut redeat, ita discedens *debeat negando Thori consortium Censuram humiliter tolerare.* Ratio est, quae in priori Conclusioni; quia nempe contra propriam conscientiam agere nemo potest, *arg. cit. c. Litteras.*

24 Limitatur tamen Conclusio casu, quo tale inter conjuges versatur Impedimentum, in quo Papa, vel Episcopus potest, et solet dispensare; tunc enim quamvis Matrimonium utpote nullum dissolvere valerent, si vellent, tamen non tenerentur, sed possent procurare dispensationem. Imo hanc procurare nonnunquam tenerentur; et si bonum prolium ex simili Matrimonio progenitorum, aut alia gravis causa id exigerat. Quibusnam autem in Impedimentis Papa, vel Episcopus dispensare possint, et soleant: Item quo modo dispensationes hujusmodi obtineri valeant, ac quo modo interea conjuges se habere, atque obtenta dispensatione Matrimonium revalidare debeant, practice dicemus infra post Titulum ultimum in Appendice hujus *IV. Libri Decretalium.*

De solutione Matrimonii Infidelium, et Haereticorum? *vide supra n.* 13. 25

§. II.

De Divortio, seu dissolutione Matrimonii, quoad Thorum et cohabitationem, et causis ejusdem.

SUMMARIUM.

26 *Divortium quoad Thorum, et cohabitationem quid?*
27 *Potest fieri vel mutuo consensu conjugum,*
28 *Vel etiam altero invito.*
29 *Assignantur plures causae faciendi Divortium quoad Thorum.*
30 *Solvitur instantia ex Scriptura.*
31 *Uno veram Religionem deserente, potest alter propria auctoritate facere Divortium, nec tenetur ad eum postea conversum redire,*
32 *Si Religionem ingredi velit, alius secus.*
33 *Qui ab altero conjuge ad peccatum grave, quodcunque tandem, incitatur, potest discedere ab illo. Et num. seqq.*
35 *Etiam propria auctoritate quoad Forum internum;*
36 *Secus quoad Forum externum: nisi probare possit incitationem ad peccatum*
37 *Ob viri saevitiam, ex qua imminet uxori periculum vitae, aut gravis damni corporalis, potest uxor facere Divortium.*
38 *Non item ob levem verberationem: haec enim viro licita est, saltem ex justa causa.*
39 *Imo nec propter gravem praeteritam, si non sit periculum in futurum. Et num. seq.*
Vir etiam ex justa causa non potest graviter verberare uxorem, bene vero leviter. Ibid.
41 *Probabilis timor, aut periculum gravis, etsi non lethalis verberationis, aut atrocioris tractationis in futurum, praebet sufficientem causam Divortii. Et num. seq.*
43 *Minae quando ad hoc sufficiant? et universaliter quando metum gravem incutiant?*
44 *Gravis verberatio, aut crudelis tractatio quae?*
45 *Ob periculum gravis verberationis potest uxor discedere, etsi ex culpa illam promerita esset.*
46 *Etiam propria auctoritate: et quo modo? Et num. seq.*
48 *Non tenetur redire, nisi vir prius cautionem sufficientem praestet de non offendendo.*
49 *Quae sit cautio sufficiens?*
50 *Si saevitia viri, aut aversio animorum est nimia, tunc etiam sub cautione non tenetur redire.*
51 *Idem dic, si saevitia est plene probata.*
52 *Praxis procedendi in causa saevitiae.*
53 *Etiam ob saevitiam uxoris datur Divortium. Defensio est Juris naturalis. Ibid.*

54 *Solvitur Objectio.*
55 *De Divortio ob morbum unius.*
56 *Ob necessitas causas non fit perpetuum Divortium.*

26 Quaeritur I. Quid sit Divortium quoad cohabitationem, et *Thorum*? Quomodo item? et ob quas causas fieri valeat? Resp. I. *Divortium quoad* cohabitationem et *Thorum* est legitime viri et uxoris separatio, manente vinculo Matrimonii valide contracti. Ita in re communis, *arg. tota hac Rubrica.* et *l.* 101. §. 1. *ff. de V. S.* Dicitur *legitima*, id est juxta Leges, et Canones: secus enim *Divortium* nec licitum, nec validum foret; cum Matrimonium individuam vitae societatem secum trahat. Dicitur *manente vinculo Matrimonii*, ad differentiam Divortii quoad *vinculum*, de quo §. *praeced.*

Hoc *Divortium* fieri potest, vel quoad solum *Thorum*, id est, quoad debitum conjugale alteri licite denegandum, vel quoad *Thorum*, et *cohabitationem* simul, ita ut conjuges non tantum ab obligatione reddendi debitum, sed etiam habitandi in eadem domo, mensa, et lecto immunes fiant.

27 Utrumque hoc *Divortium* alterius fieri potest vel *mutuo consensu* conjugum, vel etiam altero invito. *Mutuo* consensu fit, quando ambo intrant Religionem, aut vir assumit statum Clericalem, juxta dicta *Lib. III. Tit. XXXII. de Convers. Conjug.* Item quando amore castitatis, aut ex alia ratione se obligant, aut voluntaria mutuo consensu a cohabitatione *Thori* ad tempus, aut in perpetuum se separant: quod fieri posse, constat tum ex c. *Christianus de Convers. Conjug.* Tum ex monito Apostoli 1. *Cor.* 7. ibi: *Ad tempus sese separent conjuges, ut vacent orationi.* Tum ex eo, quod nullo Jure sit prohibitum, consequenter censeatur concessum, juxta illud Glossae *in c. Inter corporalia.* ♃. *Non invenitur de Translat. Episcop. Concessum intelligitur, quod expresso non prohibetur.* Verum de hoc *Divortio* per *mutuum consensum* facto, hic principaliter non agitur, sed de illo, quod etiam alio invito fieri potest, de quo

28 Resp. II. Certum ac indubitatum est, quod etiam invito altero, certis ex causis fieri possit separatio seu *Divortium* quoad *Thorum* et cohabitationem. Patet Conclusio ex tota *praesenti Rubrica*, estque definita in Concilio Tridentino *Sess.* 24. *can.* 8. ibi: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationes inter conjuges, quoad Thorum seu cohabitationem ad certum, incertumque tempus fieri posse, decernit, Anathema sit.*

29 Resp. III. Causae, ob quas *Divortium* altero invito fieri potest, sunt quinque. Videlicet I. Alterius fornicatio spiritualis, seu lapsus in haeresin, vel gentilismum. II. Periculum salutis spiritualis, seu incitatio ad peccatum. III. Saevitia. IV. Morbus contagiosus, aut aliud grave periculum corporis. V. Adulterium, ut patebit ex dicendis: dum de singulis singulas quaestiones proponemus.

30 Interea Objicies illud *Matth.* 19. ubi Christus dixit: *Quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem etc. moechatur*: ergo non plures, sed unica est causa faciendi *Divortium* quoad *Thorum* et cohabitationem. Resp. negando consequentiam. Ad textum Christi respondetur per illum textum solummodo probari, quod Adulterium sit unica causa *Divortii perpetui*, seu ob quam in perpetuum dimitti potest adulterans; nam ob reliquas causas non in perpetuum, sed ad tempus solummodo, quamdiu nempe durat talis causa, periculum v. g. corporis et animae, fieri potest *Divortium*.

31 Quaeritur itaque specialiter II. An, et quo modo ob Fornicationem spiritualem, seu lapsum in haeresin, aut gentilismum fieri possit Divortium? Resp. I. Ob hanc causam conjux innocens etiam propria auctoritate facere potest *Divortium* quoad *Thorum* et *cohabitationem*, ita tamen, ut, si Reus haeresis iterum convertatur, eum recipere, seu ad eum redire denuo teneatur innocens, nisi judicio, et auctoritate Ecclesiae factum esset *Divortium*; tunc enim redire ad conversum non amplius tenetur, sed Religionem intrare potest, si vult. Communis ac certa, textu expresso c. *De illa.* 6. *h. t.* ibi: *De illa, quae viro suo labente in haeresin, sine judicio Ecclesiae declinavit, videtur nobis, quod mulier ei, cum conversus fuerit, est reddenda, quae etiamsi reverti noluerit, compellatur. Si vero judicio Ecclesiae ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam.* Concordat c. *Quanto* 7. *eod.* et c. *fin. de Convers. Conjug.* ibi: *Mulier, quae in fide remansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, per quam ab eo fuerat judicio Ecclesiae separata, ad Religionem libere convolare.*

Resp. II. Quamvis uno conjugum in haeresin, aut infidelitatem lapso, alter judicio Ecclesiae propterea separatus, ad Religionem transire, et ad conjugem postea conversum redire non amplius teneatur, per dicta *num. praeced.* tamen si Religionem aliquam ingredi non vult, conversum iterum recipere, et ei matrimonialiter cohabitare tenetur. Joan. Andreas *in c. Quanto. h. t. in fine*, Ancharanus *in c. De illo. eod. n.* 5. et ibi Barbosa *in fine*, Pirhing *h. t. n.* 31. cum Glossa communiter recepta in c. *fin. de Convers. conjug.* contra Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 15. *num.* 15. *et* 19. *arg. c. Quanto. h. t.* a sensu contrario. Ratio est; quia causa *perpetui Divortii* assignata est solum Adulterium a Christo Domino *Matth.* 19. Tum quia separatio, *seu perpetuum Divortium* Matrimonii ob periculum incontinentiae, et alia scandala ac damna pro viribus vitandum ac restringendum videtur: Nec sine textu expresso adimendum est conjugi revertenti jus cohabitandi, quod Jure Divino ei competit. Nec obstat c. *De illa.* 6. *h. t.* ubi expresse et absolute disponitur, non esse cogendam, ut ad conversum redeat, qui ab ipso ob haeresin judicio Ecclesiae separatus est. Resp. enim, illud *Capitulum* debet concordari *cum c. fin. de Convers. conjug.* et intelligendum, si Religionem ingredi velit. Quod si alium sensum evincere quis contendat, respondetur cum Glossa in dictum c. *De illa. h. t.* istud *Capitulum* esse quoad hoc correctum per sequens c. *Quanto eod.* 32

Quaeritur III. An? et quomodo ob periculum animae, ac incitationem ad peccatum fieri possit *Divortium* quoad *Thorum et cohabitationem*? Resp. Quando unus conjugum alterum ad unum, vel plura graviora crimina, v. g. ad sodomiam, ad furtum, ad maleficium, ad deserendam fidem etc. ita incitat, ac inducit, ut sine periculo salutis spiritualis habitare cum eo non valeat, potest ab eo discedere etiam propria auctoritate. Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 17. *n.* 5. Abbas *in c.* 2. *h. t. n.* 3. et ibi Barbosa *n.* 4. et alii DD. communiter, Engel *h. t. n.* 22. *arg. cit. c.* 2. *h. t. et can. Idolatria.* 5. *caus.* 28. *q.* 1. ibi: *Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias non tantum, quae in stupris cum alienis viris, aut foeminis committuntur, sed omnino quaslibet, quae animam corpore male utentem a Lege Dei aberrare faciunt, et perniciose, turpiterque corrumpunt, possit sine crimine et vir uxorem dimittere, et uxor virum.* Ratio est; quia Jure Divino cuivis licitum est, animae vitare periculum, juxta illud Salvatoris *Matth.* 5. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te.* 33

Nec obstat, quod *cit. c.* 2. *h. t.* propter solam incitationem ad deserendam veram Religionem 34

concedatur *Divortium*, et ob alia crimina negari videatur: ibi: *Mulier pro furto, aut alio crimine viri sui, nisi fidei suae Religionem corrumpere velit, ab eo separari non debet. Verum si conjugem suum ad infidelitatis maleficium traxerit, a viro poterit separari*. Resp. enim, hic solum allegari incitationem ad deserendam fidem, quia uno conjuge in haeresin aut gentilismum prolapso, regulare ac ordinarium est, quod etiam alterum ad eandem incitet, et inducat; a conjuge autem fure, latrone, aut alias criminibus, inquinato, inquinatio et perversio alterius ad idem vitium raro contingit. Hinc merito disponit Papa ex eo solo, quod unus conjux furto, aut aliis criminibus sit subjectus, alter non possit discedere, intellige, nisi eundem ad simile vitium incitet, consequenter in illud prolabendi periculum patiatur.

35 Porro, sicut ob haeresin, sic etiam ob periculum in alia labendi crimina, ex incitatione unius conjugis proveniens, potest alter propria auctoritate discedere. Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 17. *num.* 10. *arg. cit. can. Idololatria.* 5. *caus.* 28. *q.* 1. ubi dicitur *omnino* posse, dictio enim *Omnino* est praecisa, et importat, quod quid absque alia dispositione fieri queat; ut bene advertit Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 32. *num.* 6. Accedit ratio: quia, si conjux ex cohabitatione cum alio periculum animae patiatur, Jure Divino potest discedere, consequenter non indiget auctoritate Judicis, intellige pro *Foro interno*.

36 Nam pro *Foro externo* utique compelletur ad conjugem iterum redire, quantumvis gravibus criminibus hic inquinatus existat, *arg.* c. 2. *h. t. et can. Omnes accusationes* 7. *can.* 32. *q.* 7. nisi probet, se ab illo ad similia crimina incitari; quia haec incitatio, cum etiam sit crimen, probari debet, *per vulgaria*; cum crimina non praesumantur, sed probari debeant. Verum etsi *in foro externo* etiam per Censuras compellatur, *in foro interno* tamen obedire non tenetur; si revera periculum patiatur salutis a cohabitatione viri; prout in simili dictum est supra de casu, quo conjux ob occultum impedimentum discedens, per Censuras cogitur redire ad conjugem, *arg.* c. *Inquisitioni tom. de Sent. excom. et c. Litteras. de Restit. Spoliat.* quae Confessariis bene sunt notanda.

37 Quaeritur IV. An? quando? et quomodo fieri possit *Divortium* ob saevitiam unius? Resp. I. Potest fieri *Divortium* ob viri saevitiam, si tanta est, ut uxor absque periculo vitae, vel gravis damni corporalis viro cohabitare non valeat. Unanimis ac certa, claris Juribus. c. *Ex transmissa*. 8. *et c. Literas.* 13. *de Restitut. Spoliat.* Ratio est; quia Jus naturale, ac Divinum cuivis concedit facultatem adversus vim injustam, ex qua imminet periculum vitae aut gravis damni corporalis, *arg. l. Ut vim. 3. ff. de Just. et Jur.* ergo.

38 Resp. II. Verbera seu verberatio levis non praebent justam causam *Divortii*. Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 18. *n.* 16. Tholosan. *lib* 9. *Syntagmat. cap.* 15. cum Glossa communiter recepta *in can. Sicut.* 39. *caus.* 7. *q.* 1. §. *Judicari*. Ratio est: quia levis verberatio, qua ob justam causam vir uxorem correctionis causa accipit, licita est, Joan. Andreas *in c. Quemadmodum.* 25. *de Jurejur.* nu. 16. et ibi Abbas *n. et* §. *fin.* Hostiensis *ad finem*, Ancharanus *n.* 12. Alexander de Nevo. *n.* 15. Sanchez *loc. cit. n.* 16. cum Glossa citata communiter recepta, *arg. l. Praeceptoris. ff. ad Legem Aquil.* Accedit, quod levis verberatio non importet saevitiam: unde, etiamsi absque justa causa fiat, non praebet causam *Divortii*, ut bene advertit Sanchez *loc. cit.* et confirmatur Dioecesium usu et consuetudine, *quae est optima Legum interpres. L.* 37. *ff. de Legib.*

Resp. III. Verberatio etiam gravis et atrox jam praeterita, quae ex insolita ira, vel perturbatione processit, ac justum timorem, aut probabile periculum ejusdem etiam in futurum exercendae non inducit, non est sufficiens causa faciendi *Divortium*, Sanchez *loc. cit.* Guttierez *lib.* 1. *Can. qq. cap.* 24. *num.* 9. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *cap.* 7. *nu.* 17. §. *Secundo dixi*. Castro Palao *de Sponsal. Disp.* 3. *pun.* 6. §. 9. *n.* 7. Barbosa *Rub. ff. Soluto Matrim. pag.* 31. et alii communiter docentes, non esse attendendam malam, et atrocem tractationem praeteritam, sed justum timorem, et probabile periculum hujusmodi in futurum secuturae, quae plane timeri prudenter non potest ex eo, quod vir alias satis pacifice cum uxore vivens una aut altera vice, ob insolitam iram, aut extraordinariam perturbationem, vel circumstantiam verberibus graviter tractet uxorem: quamvis caeteroquin per hoc culpabilis sit, utpote qui uxorem etiam graviter delinquentem graviter puniendi ac verberandi non habet potestatem; nam graviter vel atrociter puniendi delinquentem etiam servum, nedum mulierem, Judici competit, ut bene advertunt Abbas *loc. cit.* et alii, *arg.* §. *Sed hoc tempore Instit. quae sunt sui, vel alieni*. Unde hodie punitur vir, qui sine causa leviter, vel cum causa graviter verberat uxorem. 39

Caeterum ratio, quare ob solam praeteritam gravem, vel atrocem verberationem non possit fieri Matrimonii *Divortium*, est: Tum quia ex una vel altera praecedenti gravi verberatione facta, ex subitanea ac inconsulta ira etc. non praesumitur saevitia viri: Tum quia solum ad evitandam injuriam imminentem, non ad ulciscendam illatam permittitur conjugi *Divortium* ob saevitiam alterius. Tum quia uxor ob saevitiam viri separata, iterum redire debet, si saevitia cesset, et eidem sufficienter cautum est: ergo multo magis, si simile tractamentum in futurum timendum non est. Hinc bene monet Guttierez *loc. cit.* cautos esse debere Advocatos, ut non solum praeteritae saevitiae, sed et timoris ac periculi probabilis de futuro, nisi separentur conjuges, deductionem faciant. 40

Resp. IV. propter probabilem timorem et periculum gravis verberationis, aut crudelis, vel atrocis tractationis futurae, etiam secluso vitae periculo, valide ac licite potest fieri *Divortium* quoad *Thorum*, et cohabitationem. Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 18. *n.* 16. Bosco *de Matrim. Disp.* 2. *sect.* 16. *Concl.* 13. *a n.* 446. Pontius *lib.* 9. *cap.* 23. *n.* 5. Engel *h. t. n.* 23. Layman *loc. cit. n.* 16. §. *Oportet autem*. cum communi aliorum, *arg. l. Consensu.* 8. §. 2. *C. de Repud.* et *Novell.* 22. *cap.* 15. ibi: *aut si flagellis super ea utatur*. Ratio est: Tum quia gravis aut atrox verberatio, vel crudelis tractatio causent metum cadentem in virum constantem. Tum quia conjuges cum tanto periculo non censentur se obligasse ad cohabitandum. 41

Infertur. Adesse sufficientem *Divortii* causam non tantum si vir insidietur vitae uxoris, aut haec alias sine vitae periculo ob illius saevitiam eidem cohabitare non possit (de quo nemo dubitat, *arg. l. Consensu de Repud.*) sed etiam, si ex viri genio, passione, cholera, nimia ira, praecedentibus actibus, aut aliis circumstantiis probabile periculum gravis verberationis, aut crudelis, vel atrocis tractationis apparet. Et quamvis periculum ex praecedenti una gravi verberatione regulariter non praesumatur, praesertim si facta est ex insolita ira, aut extraordinaria circumstantia: tamen ea possunt concurrere circumstantiae, ut etiam ex uno praecedenti tali actu probabiliter, et merito timeantur etiam similes in futurum. 42

Solae tamen minae gravis verberationis aut 43

erudelis tractationis non praebant sufficicutem causam Divortii; nisi minaus alias solitus sit minas suas exequi, aut ex minautis genio, natura, vel minandi modo executio minarum probabiliter timeatoe. Secus enim minae justum timorem in virum constantem non incutiunt. Sanchez *loc. cit. num.* 13. Mascardus *de Probat. Concl.* 1376. *num.* 2. *et* 3. Menochius *de Arbitr. Judic. cent.* 2. *casu* 140. *nu.* 2. *arg. l. unica, C. Si quis Imperatori.* ibi: *Ex personis hominum dicta pensemus. Et l. Famosi. ff. ad Leg. Jul. Majest.* ibi: *Nam et persona spectanda est, an potuerit facere, et an ante quid fecerit: l. Metum C. de His, quae vi*: ibi: *Metu non jactantibus tantum, vel constantibus, sed atrocitate probari convenit.* et *l. Haec autem ff. Si cui plus*: ibi: *Cum possint elusoriae fieri minae.*

44 Caeterum quaenam gravis verberatio, aut crudelis, vel atrox tractatio sit, quando item attendendae censeantur minae, multum pendet ex arbitrio prudentis Judicis, pro diversitate personarum, et circumstantiarum judicantis. Pontius *lib.* 9. *cap.* 23. *num.* 5. Sanchez *lib* 10. *disp.* 18. *num.* 10. et alii regulam universalem tradunt, dicentes, eam esse verberationem gravem, seu atrocem, aut crudelem tractationem, quae consideratis personis gravem metum, cadentem in virum constantem incutit: veluti (ut Pontius exemplificat) percussio, ex qua abortus sequitur: item quae sanguinolenta est (non ex naribus) et vulnus facit, praesertim in capite, facie: item, quae ad tempus infirmitatem uxoris causat, ita ut per aliquot dies in lecto se continere debeat. Item quae sit in pectore: ita ut per aliquot dies sanguinem spumat uxor: item si fit baculo in percussione fracto etc. item, et vel maxime, quae cum vitae periculo fit, ut si vir apponit uxoris collo aut pectori gladium, scopletum, cum animo, aut minis occidendi: secus est, si faciat ad eruendum aliquod secretum. Advertit insuper Pontius *loc. cit.* et cum Bosco, Minores molestias sufficere ad probandam saevitiam viri, si uxor nobilis est, pudica, honesta, ac morigera, quam si plebeia, rixosa, immorigera etc.

45 Resp. V. Saevitia viri, aut gravis, vel atrocis verberationis, vel crudelis tractationis probabilis timor et periculum praebet sufficientem *Divortii* causam; etiamsi uxor culpam committat tam certe castigatione dignam Sanchez *lib* 10. *Disp.* 18. n. 16. *ad finem*, Bosco *Disp.* 12. *sect.* 16. *Concl.* 13. *a num.* 441. Pirbing *h. t. n.* 61. Pontius *lib.* 9. *cap.* 23. n. 5. *in fine, arg can de Benedicto.* 5. *caus.* 32. *q.* 1. et *l. Nec timorem.* 7. *ff. de Re, quod metus causa.* Ratio est; quia quamvis uxor ob qualitatem delicti possit puniri et castigari tali gravi, vel atroci poena, tamen hacc non competit viro, sed Judici per dicta n. 39. juncta *l. Praeceptoris* 6. *ff. ad Leg. Aquil.* ibi: *Praeceptoris enim nimia saevitia, culpae assignatur* Abbas *in c. Quemadmodum. de Jurejur. n.* 14. *ad finem.*

46 Resp. VI. Quando uxor ex saevitia viri patitur probabilem timorem, aut periculum vitae, membri, gravis, aut atrocis verberationis, aut crudelis tractationis juxta dicta, potest propria auctoritate discedere a viro, non quidem ad faciendum verum et constans *Divortium*, sed ad vitandum tale periculum, donec causa coram Judice proposita, sententia feratur, vel eidem sufficiens cautio de securitate praestetur. Guttierez *lib.* 1. *Can. qq. cap.* 28. *n.* 8. Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 18. *n.* 3. Bosco *loc. cit. num.* 441. Engel *h. t. n.* 23. Pirbing *h. t. num.* 62. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *cap.* 7. *num.* 18. *arg. c. Ex transmissa* 8. et *c. Litteras* 13. *de Restit Spoliat.* Ratio est; quia existente, et urgente tali periculo, Jus naturae defensionem quovis modo etiam ex fuga capiendam concedit, *arg. l. Ut vim.* 3. *ff. de J. et J.* et *l. Itaque.* 4. *ff. de Leg. Aquil.* ibi: *Nam adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere.*

47 Quod, si tamen periculum in mora non esset, sed uxor usque ad sententiam Judicis secura foret, propria auctoritate discedere non posset; prout Conclusionem bene limitant DD. citati, *arg. c. Transmissa*, et *c. Litteras de Restit. Spoliat.* Advertit nihilo minus Engel *loc. cit.* in casu saevitiae ordinarie etiam subesse periculum in mora, consequenter posse uxorem non exspectata Judicis sententia, imo nondum facta accusatione, propria auctoritate discedere juxta dicta *num. praeced.*

48 Resp. VII. Si uxor ob probabilem metum et periculum mortis, mutilationis, vel gravis, atrocisve verberationis, crudelis tractationis etc. ex saevitia viri provenientes, propria auctoritate discedit, non tenetur redire a virum, nec ad redeundum a Judice compelli potest, nisi eidem prius sufficiens cautio de non offendendo praestetur, etiamsi vir ante omnia petat restitutionem uxoris, donec illius saevitia probetur. Abbas *in c. Ex transmissa.* 8. *de Restit. Spoliat. n.* 1. et ibi DD. Pontius *lib.* 9. *cap.* 23. *n.* 7. Guttierez *loc. cit.* Engel *loc. cit.* cum communi, *arg. can. De benedicto cau* 32. *q.* 1. et *c. Ex transmissa.* 8. *de Restit. spoliat.* ubi dum mandat Papa, ut mulier discedens vero restituatur, additur: *recepta tamen sufficienti cautione, quod illi non debeat aliquod malum inferre* et *c. Litteras.* 13. *eod.*

49 Censetur autem cautio sufficiens, quae fit per pignora, vel fidejussores, Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 18. *n.* 40. cum communi *arg. l. Mandato.* 59. §. *fin. ff. Mandati.* quam si ob inopiam praestare nequit maritus, sufficit cautio mariti juratoria. Sanchez *loc. cit n.* 38. *et* 42. Engel *h. t. n.* 23. Pirbing *eod. num.* 62. Layman *loc cit. n* 17. cum communi, *arg. Auth. Generaliter. C. de Episcop et Cleric.* Ratio est, quia *nemo potest ad impossibile obligari, c. Nemo de Reg. Jur. in* 6.

50 Si tamen tanta est saevitia, odium, aversio, passio, aut vindicta viri, ut per cautionem uxori sufficienter non esset provisum, ipsaque cautione non obstante, periculo exposita probabiliter censeretur, non tantum non restitui, sed viro adhuc cohabitans amoveri, et in loco probo ac honesto usque ad causae decisionem tuto collocari debet, textu expresso *c. Ex transmissa.* 8. *de Restitut. Spoliat.* ibi: *Si autem capitali odio ita mulierem vir persequitur, quod merito de ipsa diffidat, alicui probae, et honestae mulieri usque ad causae decisionem custodienda studiosius committatur in loco, ubi vir, et parentes ejus mulieri nullam possint inferre violentiam. Et c. Litteras. eod. in fine*, ibi: *Si vero tanta sit viri saevitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solum non debet restitui, sed ab eo potius amoveri.*

51 Imo Pontius *lib.* 9. *cap.* 23. *n* 6. allegans plures alios, et Rotae Decisionem, docet, quod, si uxor plene probet viri saevitiam, cautionem de non offendendo accipere non teneatur, sed *Divortium* absolute petere possit, eo quod tunc tantum cautioni huic locus sit, quando saevitia plene probata non apparet, sed indicia solum, et signa adsunt: non autem si saevitia concludenter probata habetur; tunc enim fragilitati cautionis fidendum non est.

52 Ex dictis deducitur cum Guttierez *lib.* 1. *Can. qq. cap.* 24 *n.* 5. *et* 6. Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 18. *num.* 30. Laymann *loc. cit. num.* 17. praxis servanda a Judice Ecclesiastico. Videlicet, quod, quando uxor ex causa saevitiae petit *Divortium*, Judex interroget causam timoris de futura viri saevitia, petatque ut designet testes saevitiam probantes: quo

Praestita, si Judici causa timoris, et testes sufficientes videntur, statim interlucutorie pronuntiet, ut uxor interea ponatur in tuto loco apud honestam et probam matronam, viroque et consanguineis ejus prohibeat, ne malum aliquod uxori inferant, ipseque vir eidem alimenta, et litis expensas subministret, donec causa decidatur. Dein examinet testes, totamque causam, et videat, quod per sufficientem cautionem de non offendendo, uxori sufficienter provisum sit, jubeat eam ad virum sub cautione per eum praestanda redire: Si vero saevitia plene probata, vel tanta esset, ut per cautionem uxor secura non foret, *Divortium* absolute instituere debet.

53 Resp. VIII. Non tantum ob saevitiam viri, sed etiam ob saevitiam uxoris, praesertim insidiantis vitae mariti, aut machinantis mortem illius, fieri potest *Divortium*. Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 18. *n.* 8. Abbas *in c.* 1. *h. t. n.* 4. et ibi Hostiensis *n.* 2. Joan. Andreas *n.* 3. Aucharanus *in fine*, Palao *de Sponsalibus Disp.* 3. *p.* 6. § 9. *n.* 6. cum communi contra Glossam *in c. Quaesivit.* ℣. *vel alio*, *de Jurejur.* et nonnullos DD. Ratio manifesta est; quia Jus naturale cuivis concedit facultatem adversus vim injustam se tuendi, et periculum illius quovis modo declinandi, *arg. l. Vim.* 3. *ff. de J. et J. et l. Itaque* 4. *p. ff. ad Leg. Aquil.* ergo.

54 Nec obstat, quod *c. Ex transmissa.* 8. *et c. Litteras.* 13. *de Restitut. Spoliat.* aliaque Jura ob saevitiam viri Divortium concedentia, de sola saevitia viri mentionem faciant. Nam contra est; quod hoc ideo fiat, quia viri saevitia frequentior est; verba autem Legis ratione frequentioris casus non restringunt dispositionem Legis.

Nec obstat *can. Quidquid* 22. *caus.* 32. *q.* 5. ibi: *Quidquid mulier tua contra te cogitaverit aut fecerit, vel si accusaverit, non est, excepta causa fornicationis, rejicienda.* Resp. *enim* illum Canonem *non* excludere causas in Jure expressas: alias enim nec ob haeresin vir dimittere posset uxorem.

55 Quaeritur V. *An?* et quando ob morbum unius fieri possit *Divortium*? Resp. Ad hoc quaesitum patere supra *Tit. VIII. De Conjugio Leprosorum.* ubi vide.

56 Quaeritur VI. *An* ob recensitas causas fieri possit *Divortium perpetuum*; consequenter eo facto liceat innocenti ingredi Religionem? Resp. *Negative*, communis, Ratio est; quia facta emendatione tenetur innocens iterum redire ad nocentem, et eum recipere.

Limitatur tamen quoad ingressum in Religionem in *Divortio* facto ex causa *haeresis*, juxta dicta *n.* 31. *et* 32.

De Educatione prolium, et alimentatione eisdem praestanda in casu *Divortii* dicetur infra, et *Tit. seq. de Restitut. Dotis, aut omissione ejusdem, et aliorum.*

§. III.

De Divortio quoad Thorum perpetuo ex causa adulterii.

SUMMARIUM.

57 *Ob adulterium unius licet alteri instituere Divortium Jure Divino, et humano.*
58 *Sive vir, sive mulier adulteretur.*
59 *Idem est, si alterutra pars sodomiam committat, aut bestialitatem.*
60 *Non item ob tactus, amplexus, et oscula etiam cum pollutione, sine copula facta.*
61 *Solvitur objectio ex Jure Civili.*
62 *Ob Adulterium materiale commissum absque culpa non datur Divortium.*
63 *Ut, si uxor ab alieno vi opprimatur.*
64 *Secus est, si metu mortis, aut ulterius gravis mali tandem consentiat.*
65 *Mulier aut vir ex ignorantia congrediens cum aliena, non dat causam Divortii.*
66 *Neque fieri Divortium potest, si unus alterum prostituat, aut in Adulterium consentiat.*
67 *Etiam tacite.*
68 *Mulier etiam tacens ad Adulterium, ordinarie non censetur tacite consentire.*
69 *Nec vir ideo tacens, ut uxorem alia vice cum testibus deprehendat.*
70 *Ob adulterium ab uxore occasione hujus commissum, quia vir eam expulit, aut alimenta negavit etc. datur Divortium.*
Peccatum contra naturam ob grave malum evitandum non fit licitum. Ibid.
71 *Si innocens nocenti injuriam remittit, non amplius instituere potest Divortium.*
Juri suo renuntiare quivis potest. Ibid.
72 *Innocens non tenetur ob Adulterium dimittere nocentem, nisi aliud exigat scandalum.*
73 *Potest injuria Adulterii condonari expresse,*
74 *Vel tacite, ut si vir post cognitum Adulterium cum adultera copulam habet.*
75 *Vel eidem familiaritatis conjugalis signa exhibet.*
76 *Aut adulteram voluntarie domi retinet adulterio jam existente publico.*
77 *Conditiones requisitae ad hoc, ut quis censeatur tacite remittere injuriam Adulterii, usque ad num. 80.*
80 *Si uterque adulteratur, Divortium fieri non potest.*
81 *Nec refert, quod unus prius, alter posterius sit adulteratus,*
82 *Aut unus gravius, vel saepius altero.*
83 *Vel unius adulterium sit occultum, alterius publicum:*
84 *Quid facere debeat occultus adulter, casu quo est uxoris adulterium publicum?*
85 *In foro externo Adulterium publicum per occultum non compensatur.*
86 *Conjux ob adulterium per sententiam dimissus, juxta aliquos non restituitur, etsi post latam sententiam, et factum jam Divortium etiam alter fornicetur.*
87 *Probabilius tamen est contrarium.*
88 *Paria delicta compensatione delentur.*
89 *Quando Adulterium est notorium, potest pars innocens propria auctoritate discedere.*
90 *Solvitur instantia.*
91 *Qui certo scit, conjugem suum Adulterium commisisse, probare tamen non potest, in foro interno licite eum repellere, vel ab eo divertere potest.*
92 *Secus est in foro externo. Et num. seq.*
94 *Ob suspicionem aut dubium Adulterii nec in foro interno, nec in foro externo licet dimittere uxorem.*
95 *Solvitur instantia.*
96 *Innocens potest conjugem adulterum semper iterum recipere.*
97 *Non tamen tenetur, etsi multis annis poeniteat. Et num. seqq.*
99 *Limitatur hoc in aliquibus casibus, ita ut innocens teneatur denuo recipere nocentem.*
100 *Innocens pro libitu revocare potest nocentem etiam post sententiam Divortii, tenetur que nocens redire.*
101 *Solvitur instantia.*
102 *Facto Divortio an possint conjuges Religionem intrare? Remissive.*

103 *Facto ex culpa unius Divortio liberi educantur apud innocentem. Et num. seq.*
105 *Limitatur in aliquibus casibus.*
106 *De Amissione Dotis. Remissive.*

57 Quaeritur I. An? quando? et quomodo propter nostra Adulterium fieri possit Divortium quoad Thorum, et cohabitationem? Resp. I. Jure Divino licitum est conjugi innocenti facere Divortium quoad Thorum, et cohabitationem ob consummatum, et culpabile Adulterium alterius. Ita fere unanimis. Et quidem de Jure Divino patet ex Christi verbis Matth. 19. *Quicunque dimiserit uxorem, nisi propter fornicationem, moechatur*: ergo propter fornicationem, quae in conjugibus semper adulterium est, licet dimittere. De Jure humano constat ex *c. Significasti.* 4. *c. Ex litteris.* 5. et *c. Gaudemus.* 8. *h. t.* cum concordant.

58 Nec refert, an vir, adulteretur, an mulier; enim vero huic ob Adulterium mariti licitum esse solvere Matrimonium quoad Thorum et cohabitationem, docet Bosco *Disp.* 12. *sect.* 16. *Concles.* 2. Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 3. *n.* 6. D. Bonaventura *in* 4. *dist.* 35. *q.* 3. Abbas *in c. Intelleximus.* 5 *de Adulter. n.* 3. et ibi Hostiensis *n.* 3. et alii tam Theologi, quam Canonistae fere omnes, contra Cajetanum in hoc singularem, cujus sententiam falsam, et temerariam vocat Sanchez *loc. cit.* valde claro *arg. can. fin. caus.* 32. *q.* 5. *can. Si quis uxorem.* 4. *caus.* 32. *q.* 1. *can. Apostolus.* 3. *can. Placuit, caus.* 32. *q.* 7. Confirmatur ex illo Apostoli 1. *ad Corinth.* 7. *v.* 12. ibi: *Qui Matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit* (ob justam videlicet causam, quam ipse Deus allegat, fornicationem nempe, ut notatur *can. Apostolus. caus.* 32. *q.* 7.) *manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Ratio est; quia non minus vir, quam mulier adulterando fidem violat conjugalem, ob quam violationem Divortium licitum est.

59 Resp. II. Licitum est parti innocenti instituere praefatum Divortium, non tantum propter alterius carnalem copulam adulterinam naturalem, sed etiam propter sodomiticam, aut bestialem, et bestialitatem sive activam sive passivam, Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 4. *n.* 3. Covarruvias *de Sponsal. p.* 2. *cap.* 7. §. 5. *n.* 8. Ponties *lib.* 9. *cap.* 16. *n.* 5. Pirhing *h. t. n.* 5. cum communi aliorum, *arg. can. Meretrices. can.* 32. *q.* 4. *et can. Dixit Dominus. ead. cau. q.* 1. Ratio est: quia etiam per talem copulam carnem suam in aliam carnem dividit contra Matrimonii fidem exigentem, et sint *duo in carne una*, *Genes.* 2. hinc dicitur *cit. can. Dixit Dominus. cau.* 32. *q.* 1 *Cum illa unam carnem in alium diviserit, et se fornicatione a marito separaverit*, non *debet teneri.*

60 Resp. III. Nomine *Adulterii* justam Divortii causam praebentis non veniunt amplexus, oscula, tactus impudici, etiam cum pollutione proprii, vel alieni corporis sine copula facti. Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 4. n. 9. 10. *et* 11. Pirhing *h. t. n.* 5. Covarruvias *de Sponsal. p.* 2. *cap.* 7. §. 6. *n.* 3. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 3. *cap.* 7. *n.* 7. Bosco *Disp.* 12. *sect.* 16. *Concl.* 2. rem more suo egregie deducens contra non paucos alios a Sanchez citatos. Ratio est; quia licet etiam haec peccata sint contra fidem Matrimonii, tamen quia per illa carnis in aliam carnem non fit divisio (quae est radix Divortii ex causa Adulterii) indeque fides Matrimonii integre et consummata non violatur, sufficientem Divortii causam non praebent: praesertim quod in odiosis, qualis est materia Divortii, non late sed stricte interpretari oporteat Leges, *c. Odia. de Reg. Jur. in* 6.

61 Nec Obstant *l. Consensu.* 8. §. 3. *C. de Repud.* et alias Leges Civiles, ex quibus habetur, non tantum ob actuale Adulterium, sed etiam ob tales actus, ex quibus suspicio Adulterii generatur, rejici posse uxorem. Resp. enim, quod causa Matrimonialis secundum Canones, et Evangelium, non secundum Leges Civiles judicari debeat: unde licet de Jure Civili plures sint causae Divortii, quam de Jure Canonico, ut patet ex *Tit. ff. et C. de Divortiis. et de Repudiis*, tamen non hoc, sed illud Jus attenditur.

62 Resp. IV. Dantur insuper plures casus, in quibus ipsum etiam Adulterium non praebet sufficientem causam Divortii. Patet inductione. Nam I. quando Adulterium tantum est materiale, et non formale; id est, si absque culpa committitur, D. Bonaventura 4. *dist.* 35. *q.* 1. ibi: *Non ex quacunque fornicatione fit Divortium, sed ex ea, quae est culpabilis*, Bosco *loc. cit. Concl.* 4. *per totum.* Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 5. Pirhing *h. t. n.* 9. cum communi aliorum.

63 Tale est Adulterium, quod cum muliere per vim oppressa committitur. Sanchez *loc. cit. n.* 13. Bosco *loc. cit. n.* 164. Pirhing *h. t. n.* 10. cum Glossa communiter recepta *in can. Ita ne.* 3. *cau.* 32. *q.* 5. *arg. eod.* ibi: *Quis sanae mentis putaverit, se perdere pudicitiam, si forte in apprehensa, et oppressa carne sua exerceatur, vel expleatur libido non sua?* Concordat *can. Proposito.* 4. *ead. cau.* et *q.* Ratio est: quia (ut ait Glossa citata) *Non debet quis dici perpetrasse, quod nolens fecit, vel passus fuit, nec debent imputari, quae per coactionem absolutam fiunt.*

Nec refert, quod uxor viro suadenti, ut ad declinandam imminentem violentiam fugeret, non fuerit obsecuta, sicque voluntaria quasi periculo se exposuerit, Sanchez *loc. cit. n.* 14. Bosco *loc. cit.* et alii per Jura *num. praeced.* citata, et *l. Vim passam. ff. ad l. Jul. de Adult.* ubi absolute, ac indistincte deciditur, non esse imputandum Adulterium vim passae. Neque obstat, quod non credendo, aut obsequendo fugam suadenti viro culpam forsan commiserit. Nam contra est, quod non semper imputatur effectus ex culpa praecedente secutus, *arg. c. Quia diversitatem, de Concess. Praebend.* et ibi Glossa ℣. *Suspensas.*

64 Secus est, si mulier sine violentia, ex metu gravi cadente etiam in virum constantem v. g. metu mortis Adulterium admisit, Sanchez *loc. cit. n.* 16. Bosco *loc. cit. Concles.* 5. Pirhing *h. t. n.* 11. Sylvester ℣. *Divortium. q.* 9. *casu* 4. et teste Sanchez communissima aliorum. Ratio est; quia, cum talis metus non excuset a culpa mortali, nec a vero et formali adulterio, etiam non excusabit a poena. Putant tamen aliqui, exigere charitatem, ut vir in tali casu injuriam remittat uxori, nisi aliae graves causae contrarium suadeant.

65 Porro ex eo capite, quod Adulterium vacet culpa, et poena, Divortium institui nequit, si quis fraudulenter sub specie mariti alienam uxorem cognoscit, textu expresso *can. In lectum.* 6. *cau* 34. *q.* 1. *et* 2. Item si mulier credens, maritum suum, jam esse defunctum, alteri nubit, Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 5. *n.* 11. cum communi, et certa aliorum; textu claro *can.* 1. *cau.* 34. *q.* 2. dummodo, postquam fuerit certificata de vita prioris conjugis, secundo non amplius adhaereat, nec debitum ei reddat; alias enim jam formale committeret Adulterium, ejusque incurreret poenas, ut *loc. cit.* bene advertit Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 5. *n.* 11. Sylvester ℣. *Divortium. q.* 9. *casu* 2. Hostiensis in Summa *h. t. n.* 8. et alii apud Sanchez.

66 II. Casus, in quo ob Adulterium non fit Di-

vortium, est, quando vir fuit exori causa Adulterii; veluti, si eam prostituat, vel Adulterium consulat, aet in illud consentiat, Bosco *Disp*, 12. *sect.* 16. *Conclus.* 6. Sanches *loc. cit. n.* 4. *et* 5. Pontius *lib.* 9. *cap.* 17. *n.* 7. cum Glossa communiter recepta *in c. Discretionem.* 6. *de Eo, qui cognovit Consang. uxor. arg. cit. c. Discretionem*, ibi: *Cum adulterium ei non possit objicere, qui eam adulterandam tradidit.* Ratio est; quia *scienti, et consentienti non fit injuria*, *c.* 27. *de Reg. Jur. in* 6. Quae tamen injuria est causa Divortii.

67 Ampliatur, etiamsi tantum tacite consentiat, si nempe Adulterium uxoris scit, et non contradicit, sed tacet, dum tamen contradicere et prohibere posset ac deberet, Sanchez *loc. cit. n.* 5. Bosco *loc. cit. n.* 203. Pirhing *h. t. n.* 11. cum communi, *arg. l.* 2. *ff.* et *C. ad l. Jul. de Adult.* Ratio est; quia etiam *tacens consentire videtur*, *c. Qui tacet.* 43. *de Reg. Jur.* in 6. ac *Taciti et expressi idem est judicium*, *l. Cum quid*, *ff. si certum petatur*, cum Concordant, quod intellige, nisi ex metu gravi cadente in virum constantem a contradicendo, aut prohibendo impediatur; tunc enim tacens consentire minime censetur, nec privatur jure repellendi uxorem, prout *loc. cit.* bene observat Bosco *a n.* 197. Sanchez *loc. cit. n.* 5. et alii.

68 Imo ob hanc causam uxor tacens ad adulterium viri, quod ab eo committi scit, vel advertit, non censetur consentire, hoc ipso, quod ordinarie loquendo, foeminae non audeant reprehendere viros. Accedit, quod, cum uxor sit inferior, et propterea ejus officii non sit, reprehendere viri tanquam superioris delicta, ejus taciturnitas non habetur pro consensu. Sanchez *lib.* 10 *Disp.* 5. *n.* 5. Pirhing *h. t. n.* 11. Bosco *Disp.* 12. *sect.* 16. *Conclus.* 5. *nu.* 201. Qui tamen ibidem *num. seq.* addit cum Aversa, quod, si uxor in iis rerum circumstantiis existeret, ut commode et absque damni periculo contradicere, ac impedire posset adulterium, non impediendo, vel contradicendo tacite consentire censeretur; quia quoad corporis usum etiam vir subjectus est uxori, juxta illud Apostoli 1. Corinth. 7. *Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

69 Illud tamen cum Bosco *loc. cit* Pirhing *h. t. n.* 12. et aliis notandum, tacitum non praeberi consensum, si quis conjugum sive vir, sive mulier certo sciens alterius adulterium, simulat se ignorare, et interea testes idoneos constituit, ad eundem observandum, ut dein de adulterio illum convincere valeat; quia juxta D. Thomam 4. *dist.* 35. *q. un. a.* 3. *ad quartam*, et Asseclas, hoc licitum est; atqui non esset licitum, si id faciens tacite consentiret.

70 Porro non censetur vir causam praebere adulterii, nec uxorem prostituere, ita ut propterea privetur jure instituendi Divortium, si eam domo expellit, et necessaria alimenta negat, indeque indirecte causat, quod uxor adulteretur, Sanchez *loc. cit. n.* 6. eoque teste universi Doctores, textu expresso *c. Significasti.* 4. *h. t.* et ibi Glossa ℣. *Materiam*, rationem addens: quia mulier nulla conditione ad adulterium induci debet, *arg. can* 1. *cau.* 32. *q* 5. unde etiam *non est ignoscendum ei, quae praetextu paupertatis turpissimam vitam egit*, ut dicitur *l. Palam.* 43. §. *Non est.* 5. *ff. de Ritu nupt.* deberet namque mulier potius omnia mala sustinere, quam adulterium committere: *cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere*, *c. Sacris.* 5. *De his quae vi, met.*

71 III. Casus, in quo ob adulterium non licet facere Divortium est, quando conjux innocens nocenti injuriam remittit, Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 5. *n.* 19. Engel *h. t. n.* 18. Pirhing *h. t. n.* 14. Barbosa *l.* 2. *ff. de Solut. Matrim.* et alii *arg l. Si Maritus.* 15. §. *Si negaverint. ff. ad l. Jul. de Adult.* et *l. Crimen* 11. *C. eod.* ibi: *Crimen adulterii maritum retenta in Matrimonio uxore inferre non posse, nemini dubium est.* Ratio est; quia, cum Divortium ex causa adulterii in favorem innocentis conjugis introductum sit, eidem is renuntiare potest, cum Regula Juris sit, *omnes licentiam habere, his, quae pro se introducta sunt, renuntiare*, ut dicit Imperator *l. penult. C. de Pactis.* Accedit et alia Regula, videlicet, *quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*, *c. quod* 61. *de Reg. Jur. in* 6. et *l.* 6. *C. de Legib.* ibi: *Quod favore quorundam constitutum est, quibusdam casibus ad laesionem eorum nolumus inventum videri.* Certe autem saepe in detrimentum et praejudicium grave conjugis innocentis redundaret, si nocenti adulterium condonare non posset, sed eum repellere teneretur: facile enim contingere potest, quod conjux innocens nocente ejecto vivat magno in periculo incontinentiae, vel damnum patiatur in re domestica, in educatione liberorum etc. ergo.

Non obstant textus, ex quibus aperte constare 72
videtur teneri virum expellere uxorem adulteram, consequenter non posse eidem condonare injuriam, ut *c.* 3. *de Adult* ibi: *Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quae non egerit poenitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illo, reus erit, et particeps ejus peccati*: et *can.* 1. *cau.* 32. *q* 1. ibi: *Sicut crudelis est, et iniquus, qui castam dimittit, sic fatuus est, et injustus, qui retinet meretricem; Nam patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris.* Concordat *can. Si quis* 4 *ead. cau. et q.* ubi tam viro, quam uxori innocenti injungitur, ut delinquentem adulteram partem dimittat, saltem ut poenitentiam agat. Accedit verbum Divinum *Proverb.* 18. ℣. 24. ibi, *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum, qui autem tenet adulteram, stultus est, et insipiens.* Resp. enim, hos textus procedere in casu, quo ex retentione oritur scandalum in populo, uti contingere potest, si adulterium est publicum: vel si retentio scandalum foret ipsius conjugis, utpote ex hoc liberius peccantis: tunc enim ad eam dimittendam saltem ad tempus, et ad correctionem peccantis, obligatio esse potest: secus si scandalum ex omni parte abest, et nocens jam poenitet, et se emendat, prout cum D. Bonaventura *in* 4. *dist.* 35 *a.* 1. *q.* 2. et D. Thoma *ead. dist. a.* 2. observat Pontius *lib.* 9. *cap.* 17. *n.* 3. Bosco *loc. cit. Concl.* 8. et alii.

Caeterum potest conjux innocens nocenti adul- 73
terium, et injuriam expresse, vel tacite remittere, condonare, et per consequens suo juri faciendi Divortium renuntiare. Prout Doctores *num. praeced.* citati bene observant. *Expresse* condonat, quando verbis, aut litteris manifestis id indicat, *arg. l. Si maritus. ff. ad l. Jul. de Adult.*

Tacite vero condonat injuriam, eoque renun- 74
tiat juri variis modis. *Primo*, si innocens conjux conscius adulterii ab altero commissi nihilo minus sponte ac libere cum conjuge adultero copulam habeat, Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 14. *n.* 6. Bosco *Disp.* 12. *sect.* 16. *Conclus.* 9 D. Bonaventura *in* 4. *dist.* 35. *a. un q* 1. Hostiensis in *Summa. Tit de Adult. n.* 5. Pirhing *h. t n.* 14. cum communi tam Theologorum, quam Juristarum, et Glossa *in c. fin.* ℣. *Fornicationis. de Adult.* per Jura *n.* 71. citata, juncta *l. Quaesitum.* 40. §. *Item quaeritur. ff ad l. Juliam de Adult.* Ratio est: quia per talem copulam carnalem, caro nocentis conjugis adulterio prius divisa, iterum una efficitur caro cum carne conjugis innocentis.

Secundo condonare censetur *Tacite*, quando post 75

adulterium cognitum innocens nocenti familiaritatis conjugalis signa exhibet, v. g. eum amplexando, osculando, impudice tangendo, aut cum eodem ridendo, ludendo, jocando, comedendo etc. Sanchez *loc. cit. n.* 18. Bosco *loc. cit.* Engel *h. t. n.* 18. Pirhing *loc. cit.* Ratio est; quia per tales actus censetur aboleri injuria, prout docent Jason *l.* 1. *ff. de Pactis. n.* 15. item Glossa, et Doctores communiter, §. *fin. Instit. de Injuriis.*

76 *Tertio*, si etiam absque his signis innocens nocentem domi retinet, adulterio existente publico, Sanch. *loc. cit. n.* 17. Pirh. *loc. cit. n.* 15. Hostiens *in Summa. Tit. de Adult. n.* 5. et alii plures a Sanchez relati: textus expressus habetur *l. Crimen.* 10. *C. ad l. Jul. de Adult.* quem vide *n.* 71. Ratio est: quia talis retentio est manifestum amicitiae signum, si adulterium jam est publicum; nam si est occultum, non libere, sed ex praecepto, saltem in foro externo eum retinet juxta dicenda infra.

77 Ut autem ex dictis *tacita* praesumatur condonatio injuriae, duo requiruntur. *Primo* ut innocens prius bene sciat adulterium ab altero commissum, et tamen aliquem ex recensitis actibus exerceat, Sanchez *loc. cit. n.* 9. Bosco *loc. cit. Concl.* 9. Hostiens. *loc. cit. n.* 5. D. Bonaventura *loc. cit. num.* 7. Surd. *de Aliment. Tit.* 7. *q.* 16. *n.* 101. Pirhing *loc. cit.* et alii communiter. Ratio est; quia nulla est remissio, ubi est ignorantia injuriae, jurisque competentis, *l. Manifestissimi.* 21. *C. de Furt. Et actus agentium non operantur ultra eorum intentionem, l. Non omnis. ff. Si certum petatur*: ac intentio remittendi injuriam esse nequit, quando injuria ignoratur. Nec sufficit, quod jam habeat rationes dubitandi, aut suspicandi, cum in dubio non possit privare conjugem jure suo, sicque ex praecepto faciat, quod facit.

78 Altera conditio est, ut hujusmodi actus *tacitam* condonationem indicans ab innocente sponte ac libere exerceatur; *si* enim ex metu et timore damni, aut praejudicii alias sibi imminentis, aut ex praecepto Judicis id facit, *tacite* condonare non censetur, nec amittit jus Divortii, Sanchez *loc. cit. n.* 13. *et seq.* Bosco *loc. cit. n.* 338. *et seqq.* D. Bonaventura *loc. cit. q.* 3. Abbas *in c. fin. de Adult. n.* 7. et ibi Hostiensis *n.* 3. Pirhing *loc. cit. n.* 14. cum communi aliorum. Ratio est quia talis condonatio debet procedere ex liberali voluntate condonantis; at *nemo in necessitatibus liberalis existit, l. Rem legatam. ff. de Adimend. Legat.*

Pariter non censetur libera, si quis ex ignorantia juris sui, putans, se ad hos actus teneri forsan ab aliis ita male edoctus, hujusmodi actus exercet; ut cum aliis hoc observat Sanchez *cit. lib.* 10. *Disp.* 14. *n.* 16 *per jura praeced. num. allegata.*

79 Caeterum nihil refert, utrum ante vel post Divortium, aut sententiam Judicis, vel lite pendente injuriam *tacite*, aut *expresse* condonet; semper enim censetur renuntiare juri Divortii, ita, ut si ante Divortium *tacite*, aut *expresse* condonet, non amplius audietur, si post factum jam Divortium tenéatur nocentem iterum recipere, ut bene advertit Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 14. *n.* 7. Barbosa *l.* 2. *ff. Solut. Matrim. n.* 100 Pirhing *h. t. n.* 14. quia non est major ratio de uno quam altero; potestque innocens semper condonare injuriam per dicta *n.* 71. consequenter, si *expresse*, aut *tacite* id facit, semper suum effectum habebit.

80 IV. Casus est, quo ob adulterium unius fieri non potest Divortium, si alter quoque adulterium commisit, et dividendo carnem suam in alteram carnem, conjugii fregit fidem, Bosco *Disp.* 12. *sect.* 16. *Concl.* 6. Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 5. *et Disp.* 6. eoque teste omnes, claris Juribus *c. Significasti.* 4. *h. t.* ibi: *Nisi constaret, ipsum cum altera adulterium commisisse, c. Intelleximus.* 6. *et c. fin. de Adult.* ubi etiam ratio habetur, videlicet, quod *paria crimina, mutua compensatione tollantur, et deleantur* Quae ratio etiam adducitur *l. Viro atque uxore. ff. Solut. Matrim.*

Nec refert, quod unus prius altero commiserit adulterium, Bosco *loc. cit.* Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 6. *n.* 6. eoque teste omnes cum Glossa *in c. Veniens.* ℣. *Sponte, de Convers. conjugat.* Ratio est; quia Jura *praeced. num.* citata, cum Concordant solum attendunt laesam ab utroque fidem conjugalem, nulla habita ratione posterioritatis, aut prioritatis. 81

Pariter non refert, quod unus saepius quam alter, aut gravius quam alter, v. g. unus semel cum soluta, alter decies cum persona conjugata deliquerit. Bosco *loc. cit.* Sanchez *loc. cit. nu.* 4. *et* 8. Pirhing *h. t. n.* 8. Avers. et alii. Ratio est; quia licet in tali casu non sit paritas delictorum quoad numerum vel malitiam; est tamen paritas in hoc, quod pro quovis horum fiat injuria, et contra fidem Matrimonii principaliter tendens divisio carnis in alteram carnem, quae est radix Divortii, ac causa adulterii instituendi. 82

Item non refert, etsi unius adulterium sit publicum, alterius occultum; quia etiam occulte adulterans, in foro interno privatur jure faciendi Divortium ob adulterium ab altero publice commissum, adeo ut peccet mortaliter, qui ipse coram Deo adulterii reus alteram ob simile delictum publicum repellere, aut debitum conjugale negare vellet, D. Thomas *in* 4. *dist.* 35. *q.* 1. *a.* 6. *ad* 5. Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 6. *n.* 9. Bosco *loc. cit.* Joan. Andreas *in c. fin. de Adult. n.* 7. et ibi Ancharanus *n.* 5. Abbas *in c. Significasti. h. t. in fine.* cum communi, *arg.* can. can. 32. *q.* 6. ubi in principio sic. *Non videtur, quod pari crimine infectus alium de eodem punire possit. Unde cum Judaei adulteram accusarent, aequitatis sententiam acceperunt, quicunque vestrum sine peccato est, primus lapidem in illam mittat* (ecce, publicam adulteram accusantes reprehenduntur ob eadem peccata sua occulta) Hoc etiam in Evangelio praecipitur: *Hypocrita primum ejice trabem de oculo tuo, et postea educes festucam de oculo fratris tui,* unde can. 1 eau. *end. et q.* dicitur: *Nihil iniquius, quam fornicationis causa dimittere uxorem, si ipse convincitur fornicari: occurrit enim illud: in quo alterum judicas, te ipsum condemnas: eadem enim agis, quae judicas. Quapropter quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem, prius debet esse a fornicatione purgatus, quod similiter etiam de foemina dixerim.* Ratio est: quia in foro interno non requiritur probatio, sed sola sufficit veritas quantumvis occulta; utpote Deo tamen nota. 83

Non tenetur tamen occulte reus se ipsum diffamare, sed potest simulare, quasi injuriam publice nocenti velit condonare, vel, si ob publicum scandalum oportet dimittere publice nocentem, juxta dicta *n.* 72. debet eum brevi iterum recipere simulans injuriae condonationem. 84

Dicitur autem notanter in foro interno; quia in foro externo adulterium publicum per occultum non tollitur, nisi probetur, aut notorium fiat, Glossa *in c. Significasti.* 4. *h. t.* ℣. *Constaret.* Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 6. *n.* 4 et 9. Bosco *cit. Disp.* 12. *sect.* 16. *Concl.* 6. *num.* 340. cum communi et certa aliorum. Ratio est; quia in foro externo non nisi secundum allegata, et probata, vel notoria proceditur; nec praesumuntur delicta, sed probari debent, *per vulgaria*; Neque refert, etsi adulterii commissi aliqua signa adsint, ita ut conjugem saltem suspectum reddant. Sanchez *loc. cit. n.* 2. Joan. 85

Andreas *in c. fin. de Adult.* et ibi Ancharanus *n.* 3. quia *liquidum cum illiquido* non compensatur, *l. fin. C. de Compensat.* Et haec satis sunt certa.

86 Major difficultas est, an compensetur adulterium, si, postquam nocens fuit facto etiam per sententiam Divortio dimissus, postea etiam ipse antea innocens adulterium committat. Id enim negant D. Thomas *in 4. dist.* 35. *q. un. a.* 6. Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 10. *n.* 30. Abbas *in c. fin. de Adult. n.* 5. *et in c. Ex litteris. h. t. n.* 11. ac plures alii a Sanchez citati: quorum fundamentum potissimum est. *Tum*; quia quod semel bene judicatum, non amplius revocandum, *can. Quod bene. cau.* 6. *q.* 4. Tum quia sententia jam abiit in rem judicatam, et supponitur.

87 Verum probabilior, et verior videtur sententia affirmativa, quam docet, et fuse probat Glossa *in c. fin. de Adult.* ℣. *Fornicationis.* Doctor Seraphicus *in* 4. *dist.* 35. *ar.* 1. *q.* 5. *in corpore*, ibi: *Aut nocens nocentem petit, ut mulier, quae prius est fornicata, repetit virum, qui est post Divortium fornicatus, et sic restituendus est maritus uxori invitus.* Pontius *lib.* 9. *cap.* 20. *num.* 6. Covarruvias *p.* 2. *de Sponsal. cap.* 7. §. 6. *n.* 5. Barbosa *in c. fin. de Adult. n.* 4. Fagnanus *in c. Ex litteris. h. t. n.* 9. Navarrus *h. t. n.* 2. *et* 3. Engel *h. t. n.* 15. et plures alii, docentes, per adulterium post sententiam Divortii, etiam in *rem* judicatam progressam, in utroque foro compensari, prius adulterium ita, ut etiamsi occultum sit, talis postea delinquens in foro conscientiae teneatur conjugem prius dimissum iterum recipere: Dimissio autem in foro externo competat actio, et iterum recipiatur, si adulterium notorium est, aut probari potest, *arg. c. Ex litteris. h. t.* ubi Divortio per sententiam ex causa adulterii latam facto, jubetur innocens iterum redire ad conjugem, ex eo, quia post factum Divortium cum alia nuptias, et rem carnalem habuit, consequenter adulteratus est. Concordat Summarium dicti, *c. Ex litteris. h. t.* ibi: *Matrimonium separatur propter adulterium mulieris, et, si quis postea fornicatur, reintegratur.*

88 Ratio est; quia licet innocens per sententiam Divortii solvatur ab obligatione reddendi debitum nocenti, aut eidem cohabitandi, tamen non liberatur ab obligatione servandi adhuc fidem conjugalem, et abstinendi a carnis unione habenda cum alia carne; consequenter si adulteratur, et carnem in aliam dividit, fidem frangit, et injuriam dimisso conjugi facit, delictumque consimile committit; sicque illud Juris procedit, quod *paria delicta compensatione delentur*, *c. fin. de Adult.*

Nec obstant fundamenta contraria *n.* 86. allata; quia per hanc compensationem minime retractetur, nec laeditur prior sententia, sed potius ex nova causa, delicto nempe, datur nova actio, et competens poena delinquentis.

89 Quaeritur II. An innocens adulterum repellere, vel ab eo recedere possit propria auctoritate? Resp. I. Si adulterium notorium est, v. g. quia maritus aliam impraegnavit idque in Judicio probatum, vel ab eodem confessum sit, aut si uxor absente, vel impotente viro ab alio impraegnata est, in utroque foro est licitum propria auctoritate Divortium facere. Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 12. *n.* 12. *et* 25. Barbosa *in c. Ex parte. de Sponsal. de Matrim. n.* 6. *et* ibi Abbas *in fine*, item *in c. Gaudemus. n.* 5. *et in c. De illa. n.* 2. *h. t.* Covarruvias *de Sponsal. p.* 2. *cap.* 7. §. 5. *n.* 11. Joan. Andreas *in c. fin. de Adult. n.* 5. et ibi Ancharanus *n.* 6. cum Glossa communiter recepta *ibid.* ℣. *Fornicationis*, *arg. c. Significasti.* 4. *h. t.* ibi: *Si notorium est, mulierem ipsam commisisse adulterium, ad eam recipiendam vir* (qui propria auctoritate eam prius repulerat) *cogi non debet.* et *c. Ex parte de Spons. et Matrim.* ibi: *Nemini licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere*, ergo a sensu contrario existente fornicatione manifesta, aut notoria licet. Concordant *c. penult. de Adult.* et textus *n.* 72. allegati, in quibus etiam praecipi videtur, uxorem notorie adulteram dimittere: ergo multo magis licebit.

Dices, *c. Porro* 3. *h. t.* ubi statuitur, quod ob consanguinitatem etiam notoriam, propria auctoritate non liceat dimittere conjugem; ergo neque ob notorium adulterium. Resp. negando consequentiam, et paritatem: disparitas est; quia, si conjux ob parentelam dimittitur, totaliter dimittitur etiam quoad vinculum: ob adulterium vero tantum dimittitur quoad Thorum et cohabitationem, vinculo manente; consequenter mirum non est, quod Jura in illo majorem requirant cautelam, quam in isto. 90

Resp. II. Si adulterium unius alteri physice vel saltem moraliter certo constat, puta, quia adulterantem deprehendit, aut quia habet praesumptiones violentas, v. g. quia nudum cum nuda in eodem reperit lecto, *c.* 12. *de Praesumpt.* id tamen probare non potest, tunc in foro conscientiae non tantum debitum negare, sed etiam divertere, ac Religionem ingredi potest; si scandalum abest; secus in foro externo, Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 12. *n.* 31. Abbas *in c. fin. de Adult. n.* 6. Bosco *Disp.* 12. *sect.* 16. *Concl.* 3. Navarrus *in Summa, cap.* 22. *nu.* 23. et alii communiter. Probatur ex illo *Matth.* 5. ubi Christus absolute non distinguens inter publicum, vel occultum, dicit, licere propter fornicationem dimittere uxorem, et *can. Dixit Dominus.* 2. *can.* 32. *q.* 1. ibi: *Ubicunque est igitur fornicatio, vel fornicationis, suspicio, libere uxor dimittitur*: ubi dictio *libera* indicat, nullam requiri sententiam. Ratio est; quia in foro conscientiae *frangenti fidem, fidem reciproce frangere licet.* Nec requiritur in hoc foro probatio, sed sola sufficit veritas Deo, et agenti nota. 91

In foro externo tamen taliter discedens, vel repellens conjugem, redire, et suscipere eundem omnino compelleretur, et merito, ne detur ansa sub praetextu occulti sibi noti adulterii conjugem pro libito dimittendi: unde dictum est, *secus in foro externo.* 92

Et quamvis taliter propria auctoritate discedens per se non teneretur obedire Ecclesiae praecepto ad redeundum compellenti, utpote fundato in falsa praesumptione, quae cedit veritati, *maxime* in foro conscientiae, *arg. L. Imperatores. ff. de probat.* tenetur nihilo minus obedire eidem per accidens ad evitandum scandalum, quod alias ex publica inobedientia sequeretur, ut bene advertit Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 12. *n.* 34. ubi etiam addit, quod, etsi in tali casu discedens obedire teneretur Ecclesiae praecipienti, ut conjugem iterum recipiat, eique cohabitet, eumque alat, obedire tamen non teneretur praecipienti, ut reddat debitum, cum ex negatione debiti, utpote in occulto fieri soliti non sequeretur scandalum, prout sequeretur ex inobedientia prioris; hinc dictum est in conclusione, *si scandalum abest.* 93

Resp. III. Si adulterium unius nec notorium, nec alteri physice vel moraliter certo notum est, sed tantum probabilis suspicio, aut dubium de illo existit, innocens nec in foro externo, nec interno divertere, aut debitum negare potest, Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 12. *n.* 39. *et seqq.* atque teste omnes, *arg. can. Multi. can.* 2. *q.* 1. *et can. Oves. cau.* 6. *q.* 1. ibi: *Omnis suspicio potius repellenda est, quam approbanda vel recipienda.* Ratio patet; quia, cum conjux, de quo est suspicio, sit in possessione juris 94

Matrimonialis, non potest illo privari ob dubium, aut suspicionem; nam *in dubio melior est conditio possidentis*, *arg. c. In pari. de Reg. Jur. in* 6.

95 Nec obstat *can. dixit Dominus* 2. *cau.* 32. *q.* 1. ubi absolute dicitur, *ob suspicionem fornicationis libere posse dimitti uxorem.* Resp. enim cum Glossa *ibid.* ℣. *suspicio*, et communi Interpretum, ibi per *suspicionem* intelligi violentam, quae in foro externo sufficeret ad condemnandum, *arg. c. litteris.* 12. *de praesumpt.*

Datur enim triplex suspicio seu praesumptio, *temeraria* nempe, *probabilis*, et *violenta*, juxta dicta *lib.* 11. *Tit. XXIII. de praesumpt. n.* 28. ex quibus cum sola *violenta* sufficiat ad condemnandum in foro externo, *arg. cit. c.* 12. *de Praesumpt.* sola quo sufficit in foro conscientiae ad discedendum propria auctoritate.

Ex quibus autem desumatur suspicio, vel praesumptio *violenta* de adulterio conjugis, late, et practice tradit Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 12. *a. n.* 41. et Doctores communiter *in c.* 12. *de Praesumptionib.*

96 Quaeritur III. An? et quando innocens possit, vel teneatur iterum recipere conjugem ob adulterium dimissum? Item, an iterum? et quando possit revocare nocentem? Resp. I. Innocenti semper licet iterum recipere conjugem adulterii causa dimissum, Omnes, textu claro *can. Quod autem.* 7. *cau.* 32. *q.* 1. *cum Concordant.*

97 Resp. II. Divortium Matrimonii ex causa adulterii factum pro favore innocentis est perpetuum, ita, ut per se loquendo etiam poenitentem ac resipiscentem adulterum non amplius teneatur recipere. S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 35. *n.* 1. *q.* 5. et ibi D. Thomas *q. un. a.* 6. *ad* 2. Pontius *lib.* 9. *cap.* 19. *n.* 6. dicens, esse uno sensu receptam sententiam, Bosco *Disp.* 12. *sect.* 16. *Conclus.* 7. dicens, Conclusionem esse certam, cum communissima aliorum, *arg. c. Dixit Dominus.* 2. *cau.* 32. *q.* 1. *et can. Admonere*, 8. *cau.* 33. *q.* 2. ibi: *Nam si verum (quod absit) fuisset, sicut ille adulter mentitus est, post septem annos poenitentia peracta, dimittere eam per approbatam causam potuisset, si voluisset*, cum Concordat. Ratio est; quia etsi per poenitentiam tollatur culpa apud Deum, non tamen tollitur injuria facta homini, nec reatus poenae. *Nam per poenitentiam non desinit quis esse nocens* ut bene advertit Glossa *in cit. can. Admonere.* ℣. *Poenitentia*, *arg. l. Quis sit fugitivus. ff. de Ædilit. edict.*

98 Confirmatur, Potest innocens conjugem adulterum accusare in ordine ad Divortium, postquam multis jam annis egit poenitentiam de commisso crimine, textu claro *cit. can. Admonere*; ergo multo magis potest ipsum etiam poenitentem non recipere, nam *turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.*

99 Resp. III. Quamvis per se loquendo, Matrimonii Divortium ex causa adulterii sit perpetuum, juxta dicta *num.* 97. dantur nihilo minus casus, in quibus innocens nocentem ex adulterio rejectum iterum recipere tenetur. Patet inductione. Sic enim I. tenetur, quando ipsemet post factum Divortium, committit adulterium etiam occultum, juxta dicta *num.* 86. II. Si facto Divortio injuriam expresse, vel tacite condonavit, juxta dicta *a n.* 71. III. Si facto Divortio cognoscit ex falsa praesumptione latam esse sententiam, et injuriam factam parti dimissae, Pontius *lib.* 9. *cap.* 20. *n.* 2. IV. Si patitur periculum incontinentiae, Pontius *loc. cit. n.* 1. cum communi et certa. Ratio patet; quia, cum vinculum Matrimonii non solvatur, consequenter innocens pro remedio incontinentiae alium conjugem vivente dimisso accipere nequeat, hunc recipere iterum tenetur, si aliter incontinentiae periculum vitare nequit.

Resp. IV. Innocens facto etiam ob adulterium per sententiam Divortio, semper et pro libitu potest iterum revocare conjugem dimissum, teneturque hic eidem parere, ac redire, si status utriusque adhuc est integer, et nullus eorum Religionem intravit, Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 10. *n.* 3. Bosco *Disp.* 10. *sect.* 16. *Concl.* 10. Pontius *lib.* 9. *cap.* 19. *n.* 1. Abbas *in c. Ex litteris.* 4. *h. t. in fine*, et ibi Joan. Andreas *n.* 10. Aucharanus *n.* 10. D. Bonaventura *in* 4. *dist.* 35. *a. un. q.* 5. et ibi D. Thomas *q. un. a.* 3. *ad* 6. Sylvester ℣. *Consortium q.* 10. cum Glossa communiter recepta *in cit. c. Ex litteris. h. t.* ℣. *Redire*, contra Navarrum *h. t. Consil.* 4. *n.* 1. Ratio est: Tum quia, ut bene observat Abbas *loc. cit.* Divortium in favorem innocentis institutum est, consequenter non debet in ejus odium, aut praejudicium retorqueri, *arg. c. Quod ob gratiam. De Reg. Jur. in* 6. ibi: *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Retorqueretur autem, si etiam innocens privaretur Jure in corpus nocentis. Tum quia nemo debet ex suo delicto commodum reportare, *c. Itaque ff. de Furtis.* Nec debet poena, qualis est Divortium, immunitatem praestare delinquenti, *l. Relegatorum.* 7. *§. fin. ff. de Interd. et. et Releg.* ibi: *Neque enim immunitatem poena tribuere debet.* Accedit, quod alias praeberetur conjugibus ansa delinquendi, et separentur, prout bene advertit Glossa *cit. arg. c. Ex parte. de Consuetud.* 100

Dicens, Sententiae semel latae standum est, donec a Superiore retractetur, *arg. can. Quod bene. cau.* 6. *q.* 4. ergo. Confirmatur, innocens acquiescens sententiae videtur cedere juri suo; ergo. Resp. ad primum *Ant.* non violari sententiam ex hoc, quod innocens revocet nocentem; quia per sententiam tantum nocens privatus est jure Matrimoniali in innocentem, non autem innocens jure suo in nocentem. Ad secundum Resp. negando, *Ant.* quod innocens cesserit juri suo, cum acquiescat sententiae tantum in sui favorem. 101

Quaeritur IV. An facto ex causa adulterii Divortio, conjuges possint intrare Religionem? Resp. Ad hoc quaesitum patere ex dictis *Lib. III. Tit. XXXII. de Convers. Conjugat.* 102

Quaeritur V. Apud quem conjugum, et cujus expensis facto Divortio educari debeant liberi? Resp. Facto Divortio ex quacunque culpa, sive adulterii, sive saevitiae etc. proles tam masculae quam faemellae educandae sunt apud conjugem innocentem, et quidem expensis patris, si causam Divortii dedit: si vero mater causam Divortio dedit, et locuples sit, ejusdem expensis apud patrem: nisi forsan hic ad educandum minus idoneus sit, Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 20. *n.* 2. Gutierez *Can. qq. lib.* 1. *cap.* 24. *n.* 19. Sylvester ℣. *Filii. n.* 24. Pichlug *h. t. n.* 91. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 3. *cap.* 5. *a.* 19. Castro Palao *de Sponsal. Disp.* 3. *pun.* 6. §. 10. *n.* 4. et alii apud Sanchez, textu expresso *Auth. Si pater. C. Divortio facto*, ibi: *Si pater causam Divortii praestiterit, apud matrem ad secundas nuptias non venientem liberi nutriantur patris expensis: nisi pater minus idoneus sit: tunc enim apud matrem locupletem nutriantur.* Concordat *Novella* 117. *cap* 7. ex qua praefata Authentica, *Si pater*, desumpta est. 103

Non desunt, qui in citata Authentica, *Si pater*, impugnant verba *matris locupletis expensis*, eo quod haec verba non reperiantur in citata Novella 117. *cap.* 7. (ex qua desumpta est.) sed tantum per Irnerium Doctorem privatum addita sit; adeoque volunt, controversum adhuc esse, an matris locupletis expensis educari debeant proles, si illa causam Divortii dedit. Verum hanc impugnationem 104

non attendont DD. *num. praeced.* citati, eo quod, ntsi Iroerius illa verba addiderit, merito, et Jori conformiter id fecerit; cum vir et osor, pater et mater sint correlative; consequenter, qoie in *Novell.* 117. *cap.* 7. constitutum est, ot patre daote causam Divortii, proles educentur expensis ejusdem: correlatio requirit, ut causam Divortii dante matre, bojus saltem locopletis expensis edocentur.

105 Limitatur tamen per Doctores *n.* 103. citatos Conclusio I. Si innocens sit iofidelis; tooc enim apud matrem dantem Divortii causam educandae erunt proles, c. *fin. de Convers. Infidel.* II. Si patre dante causam Divortii mater postea transit ad secundas nuptias, proles educandae eidem non relinquuotur *cit. Auth. Si pater. C. Divortio facto,* et *Novell.* 117. *cap.* 7. ibi: *Apud matrem ad secundas nuptias non venientem.* III. Si nocente existente matre, pater ad educandum minus idoneus sit, teste claro *in cit. Authent.* et *Novell.*

106 De amissione Dotis, et aliorum taoquam affecto Divortii, dicetur *Tit. seq.*

TITULUS XX.

De Donationibus inter virum, et uxorem: et de Dote post Divortium restituenda.

1 *Ratio continuationis: Judex Ecclesiasticus incidenter cognoscit de causa Dotis.*

1 Causam, sententiamque Divortii, plerumqoe comitatur lis, et qoaestio de restituenda Dote, vel donatis propter nuptias. Hioc praecedentem Titulum ordinate sequitur praesens. Et quamvis haec materia principaliter pertineat ad Civilistas, qui de ea ex professo tractaot *ff. h. t.* Nihilo minus, quia de eadem materia per modum causae incidentis, et quaestionis accessoriae judicare potest, et debet Judex Ecclesiasticus teste claro *c. De prudentia.* 3. *h. t.* ibi *Vos, qui de Matrimonio principaliter cognovistis, et de Dote (quae est causa incidens) accessorie cognoscere valuistis, et sententialiter, definire,* De eadem etiam Canonistis notitia necessaria est.

§. I.

De Donationibus inter virum, et uxorem.

SUMMARIUM

2 *Donatio inter virum, et uxorem quid?*
3 *Gratis facta est invalida.*
4 *Non item remuneratoria,*
5 *Nec illa, ex qua donans non fit pauperior*
6 *Ex qua Donatione censeatur donans fieri pauperior?*
7 *Et ex qua non?*
8 *Valet etiam Donatio, ex qua donatarius conjux non fit locupletior.*
9 *Donatio inter virum. et uxorem invalida habet aliquos saltem effectus et quot?*
10 *Donatio inter conjuges in pluribus casibus valet.*
11 *Praesertim inter Principes personas.*
12 *Enumerantur alii casus in quibus valet Donatio inter virum, et uxorem usque ad n.* 19.
19 *Donatio inter conjuges invalida confirmatur morte donantis,*
20 *Moriente autem donatario ante donantem evanescit.*
21 *Non confirmatur Donatio morte donantis, si hic eam in vivis expresse vel tacite revocavit.*
Quomodo censentur tacite revocare? Ibid. et duobus num. seqq.
24 *In dubio non censetur revocata donatio.*
25 *Potest etiam ipsa revocatio iterum revocari.*
26 *Donatio a marito uxori invalide facta, confirmatur etiam morte civili mariti.*
27 *Non item facta ab uxore marito.*
28 *Si maritus fit servus hominis, non confirmatur Donatio: bene autem si fit servus poenae.*
29 *Stante morte civili potest maritus revocare Donationem.*
30 *Excepta morte civili per professionem Regulae S. Francisci.*
31 *Secus est de Professione alterius Religionis.*
32 *Donatio 500. solidos excedens, morte non confirmatur, nisi prius fuerit Judici insinuata.*
33 *Donatio confirmata juramento de non revocando valet.*

Quaeritur I. Qoid ad praesens sit donatio inter virum, et uxorem? quid juris de ea, praesertim an valeat, vel saltem aliqoem effectum habeat? Resp. I. Est illa, qua vir uxori, aut haec illi gratis, et ex mera liberalitate aliquid durante Matrimonio donat. Ita io re communis, *arg. tot. h. t. et C. ff. eod.* 2

Resp. II. Regolariter, ac de Jore commuoi loquendo, omnis donatio inter virum et uxorem gratis, meraque ex liberalitate facta, invalida est, et ad nutum donantis revocari potest, si ex illa donans sit pauperior, et donatarius locupletior. Unanimis et certa, ob clara jura c. *fin. h. t.* ibi: *Donatio, quae constante Matrimonio inter conjuges dicitur esse facta, ex qua alter locupletior, et alter pauperior efficitur, firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur: quae tamen penitus evanescit, si revocetur ab eo tacite vel expresse, vel qui donatum accepit, prius debitum naturae absolvat,* et *l.* 1. *ff. h. t.* ibi: *Moribus apud nos receptum est, ne inter virum et uxorem donationes valerent.* Ratio subjungitur illis verbis: *hoc autem receptum est, ne mutuo amore invicem spoliarentur, donationibus non temperantes, sed profusa erga se facilitate etc.* 3

Dicitur autem notanter primo, *gratis et ex mera liberalitate facta,* quia si fit remunerationis causa, ob praestita obsequia alias ordinarie indebita, et quae ab aliis ejusdem conditionis conjugibus, in similibus circumstantiis communiter fieri non solent, omnino valida est, et subsistit, prout cum communi bene docet Sanchez *lib.* 6. *disp* 6 *n.* 11. Menoch. *de arbitrar. judic. casu* 132. *n.* 4. Abb. *in c. fin. h. t. n.* 7. et alii. Ratio est; qoia *donatio remuneratoria* proprie donatio *non* est juxta dicta *lib. III. Tit. XXIV. n* 3. *arg. l.* 1. *et* 27. *ff. de donat.* Accedit, qood per tales donationes remuneratorias excitentur, et stimulentur conjuges ad obsequia etiam extraordinaria mutuo sibi invicem praestanda; ob quae sane expediens omnino videtur, et tales donationes remuneratoriae valeaot. 4

Dicitur *secundo,* et qoa *donans sit pauperior, et donatarius locupletior:* unum enim horum si deficit, donatio subsistit, *arg cit. c. fin h. t.* et *l. sed et si ff. h. t.* ibi: *Nam jus constitutum ad eas donationes pertinet, ex quibus et locupletior mulier, et pauperior maritus in suis rebus fit.* Concordat *l. cum his.* 34 § 9. *l. si cum* 50. §. 1. *ff. eod.* Censetur autem pauperior fieri donans, si ejus substantia sola habita diminuitur, non item, si conjux in gratiam alterius non acceptat, quod acquirere potest, repudiando v. g. haereditatem, aut legatum, et alter conjux substitutus succedat. 5

textu expresso *l. si sponsus.* 5. §. 13. *et* 14. *ff. h. t.*

6 Censetur insuper donans fieri pauperior, si alteri remittat debitum, vel etiam donando remittat pretium pro re, quam donans conjux alteri vendidit, cit. *l. Sponsus* §. 5. *ff. h. t.* Item, si donatio fiat ante Matrimonium sub conditione, ut contracto Matrimonio primum habeat effectum, *l. cum hic.* 32. §. 22. *ff. h. t.* quia idem est, aliquid fieri tempore inhabili, et in tempus inhabile conferri, *l. in tempus. ff. de haered. instit.* Censetur item pauperior fieri, et consequenter donatio invalida esse, etsi fiat per tertium, dum maritus v. g. dat Titio, ut donet uxori, textu expresso *cit. l. si sponsus.* 5. §. 1. *ff. h. t.*

7 Econtra pauperior non fit maritus, si uxori quid donet, ut comptior, et ornatior incedat; eo quod sua potius, quam uxoris causa dedisse censetur, *l. si ut certo.* 5. §. *interdum. ff. commodati.* Item pauperior fieri non censetur uxor, si donationem faciat viro ad consequendam dignitatem *l. Nuper.* 42 *ff. h. t.* talis enim donatio in commodum ipsius uxoris redundat; hoc ipso, quod ea dignitate viri, eidem etiam honor accedat; *foeminis enim dignitatem clarissimam mariti tribuunt*, *l. Foemina* 8. *ff. de Senator.* Pariter pauperior donando fieri non censetur, si conjux altari rem alienam donet *arg. l. sed et si.* 25. *ff. h. t.* quod fieri posse constat ex dictis *Lib. III. Tit. XXIV.* *n.* 20.

8 Porro, etiamsi donans conjux pauperior fiat donando, si tamen exinde locupletior non fiat donatarius, valet donatio juxta communem et certam, textu expresso cit. c. *fin. h. t. l. sed et si* 25. *ff. h. t. et l. si sponsus.* 5. §. 16. *ff. eod.* ibi: *Ubicunque igitur non diminuit de facultatibus suis, qui donavit, valet: vel etiamsi diminuat, locupletior tamen non fit, qui accepit, donatio valet.* Hinc valet, si maritus uxori servum donet, ut manumittatur, textu expresso *l. quod autem.* 7. §. *fin. ff. h. t.* Item valet, quod sepulturae causa aut ad faciendam eleemosynam, aut emendam rem familiarem donatur, cit. *l. si sponsus.* 5. §. 8. *ff. h. t.* et *l.* 7. §. *si maritus. ff. eod.* et *l. sed si vir.* 31. §. 9. *et* 10. *ff. eod.* plures hujusmodi casus, in quibus ex donatione neuter locupletior non fit alter conjux, et consequenter donatio subsistit, vide in toto Tit. *ff. hac Rubr.*

9 Resp. III. quamvis donatio *simplex*, seu gratis et ex mera liberalitate, facta inter virum et uxorem sit invalida juxta dicta; tamen non caret omni effectu. Communis, et patet: tum quia morte donantis confirmatur, juxta dicenda, *arg. c. fin. h. t.* Tum quia transit in donatarium saltem possessio, utpote quae facti est, *arg. l.* 1. §. 4. *de Acquirend. et de admittend. possess.* Tum etiam, quia donatarius saltem acquirit fructus, quos sua industria ex re donata accepit, *l. de fructibus* 17. *ff. h. t.*

10 Quaeritur II. In quibus casibus valeat? vel saltem confirmetur donatio inter virum, et uxorem? Resp. Dari plures casus, in quibus talis donatio valida est. Patet inductione. Sic enim I. valet inter eos donatio remuneratoria juxta dicta *num.* 4. II. Si ex donatione donans non est factus pauperior, juxta dicta *n.* 5. III. Si donatarius non est factus locupletior, *n.* 8.

11 IV. Valet Donatio inter conjuges Principes supremos, et Comites Imperii, Tiraquel. *tr. de Nobilit. cap.* 37. *num.* 45. Sanchez *lib.* 6. *disp.* 3. *num.* 2. *arg. l. penult.*

12 V. Valet gratuita concessio in aedibus suis, sicut usus servorum, animalium, vestimentorum et similium, textu expresso *l. si vir uxori.* 18. *ff. h. t.*

13 VI. Valet donatio facta ad reficiendas aedes dotales, *l. quod si vir.* 14. *ff. h. t.*

14 VII. Valet donatio facta, causa exilii, vel alterius poenae, bonorum confiscationem secum trahente *l. Si mors.* 13. §. 1. *ff. h. t.* et *l.* 43. *ff. eod.* ibi: *Inter virum et uxorem exilii causa donatio fieri potest.*

VIII. Valet donatio, qua vir remittit uxori usures dotis, conventione debitas *l. vir usuras.* 54. *ff. h. t.* 15

IX. Valet inter virum et uxorem donatio exigui pretii, Barbosa *in c. fin. h. t. num.* 17. *arg. l. ex annuo.* 15. *l. Sed si vir.* §. *Si vir. ff. h. t.* a sensu contrario. Accedit consuetudo optima legum interpres *l.* 37. *ff. de legib.* 16

X. Valent donationes mutuae, saltem quando una alteram notabiliter non excedit. *l. quod autem.* 7. §. 2. *ff. h. t.* ibi: *si vir et uxor, qui invicem sibi donaverint etc. recte placuit, compensationem fieri donationis.* Accedit, quod in casu mutuae donationis nullus conjugum locupletior fiat aut pauperior; et quod modicus excessus unius non attendatur juxta dicta *n. praeced.* 17

XI. Valet inter virum et mulierem Donatio mortis causa textu expresso, *l. si eum.* 9. §. *fin. h. t.* ibi: *Inter virum et uxorem mortis causa donationes receptae sunt.* Ratio subjungitur *l.* 10. *ff. eod. quia in hoc tempus currit donationis effectus, quo vir, et uxor esse desinunt.* Interim tamen res non statim fiunt ejus, cui donatae sunt, sed tunc demum, cum mors insecuta est. Medio igitur tempore dominium remanet apud eum, qui donavit, prout his terminis statuitur illico *seq. l. sed interim.* 11. *prin. ff. eod.* *Porro* quid sit donatio mortis causa, vide *Lib. III. Tit. XXVI.* *n.* 668. 18

Quaeritur III. An? et quando donatio inter virum ac uxorem ab initio invalida confirmetur, et valida evadat? Resp. I. Talis donatio invalida confirmatur inprimis, et valida evadit morte donantis, si eam in vivis tacite, vel expresse non revocavit. Unanimis et certa, sleris Jeribus *c. fin. h. t.* ibi: *Firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur.* Concordat *l. cum hic.* 32. §. 2. et *l. si stipulata.* 31. *ff. h. t. l.* 1. et 3. *C. eod.* Ratio est; quia si donans usque ad mortem donationem alteri conjugi factam non revocet, censetur velle, ut donatarius rem donatam capiat quasi ex donatione, aut alia dispositione mortis causa. Accedit, quod moriente donante cesset finis legis, periculum nempe mutuae depaupertatis ex mutuo affectu etc. 19

Dicitur autem notanter, *morte donantis*; quia morte donatarii neutiquam confirmatur, sed penitus evanescit, textu expresso *cit. cap. fin. h. t.* ibi: *quae tamen penitus evanescit, si etc. qui donatum accepit, prius debitum naturae persolvat*, et *l. Cum hic status.* 32. §. 12. *ff. eod.* 20

Dicitur notanter, *si eam in vivis tacite, vel expresse non revocavit*; hoc enim si fiat, donatio morte donantis non confirmatur, sed evanescit, textu claro *cit. c. fin. h. t.* ibi: *quae tamen penitus evanescit, si revocetur ab eo tacite, vel expresse*, et *l. cum hic status* 32. §. 2. *ff. eod.* Potest autem revocatio *Tacite* fieri variis modis, veluti, *Primo*, si donans rem prius conjugi donatam postea alii donet, leget, aut vendat, pignori aut hypothecae subjiciat, *arg. l. cum hic status.* 32. §. 5. et §. 15. *ff. h. t.* ibi: *Si maritus ea, quae donaverat, pignori dedit, utique eum poenituisse dicemus*, et *l. si maritus* 12. *C. eod.* ibi: *Cum sit manifestum, etiam donatione, vel venditione, vel alio quolibet modo rebus alienatis revocatam esse a viro in mulierem factam donationem*, per generalem hypothecam vero omnium bonorum *tacite* revocata non censetur donatio. Sanchez *lib.* 6. *disp.* 15. *n.* 5. *arg. l. si maritus* 12. *C. h. t.* ibi: *si specialiter obligavit.* 21

Secundo Donatio *tacite* revocatur per divor- 22

tiom; nisi Matrimonium denuo inter eos reintegretur, et divortium tollatur; aut nisi expresse donans velit, ut divortium factum non obstet donationi factae, *l. cum hic status*, 32. §. 10. *et* 11. *ff. h. t.*

23 *Tertio* Donatio *tacite* revocari censetur, *si conjux* mores male mutasset in praejudicium donantis, adulterando, v. g. aut insignem ingratitudinem exhibendo Sanchez *loc. cit. num.* 11. *arg. l. fin. C. de donat.* et *c fin. de donat.* Item *Tacite* revocatur per graves inimicitias inter virum et uxorem, Sanchez *loc. cit. n.* 25. *arg. l. Cum hic status* 32. §. 10. *ff. h. t.*

24 Porro in dubio, an donans *tacite* vel *expresse* revocaverit Donationem conjugi factam, praesumendum est, non esse revocatam, *cit. l. cum hic status.* 32. § 4. *ff. h. t.* ibi *Si apparent, defunctum evidenter revocasse voluntatem: quod, si in obscura sit, proclivior esse debet Judex ad comprobandam donationem.*

25 Valet insuper non obstante revocatione expressa donatio post mortem donantis, si factam revocationem denuo revocavit aut donationem innovavit, *cit. l. cum sit status* §. 3. *ff. h. t.*

26 Resp. II. Non tantum naturali, sed etiam civili morte donantis mariti donatio, uxori prius invalide facta, confirmatur; veluti si maritus in exilium mittitur, aut deportatur etc. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 17. *num.* 3. Sylvester ℣. *donatio* 2. *q.* 4. cum communi aliorum contra Glossam c. *licet undique, in fine. de Offic. Delegat. arg. l. sed si mors.* 13. §. 1. *ff. h. t. et l. Res uxoris.* 24. *C. h. t.* ubi in simili etiam donatio mortis causa confirmatur. Ratio conclusionis est; quia mors naturalis et civilis aequiparantur, quando utraque eundem effectum quoad bona habet, ut bene advertit Glossa *in Clement.* 2. ℣. *moriente. de elect.* Abbas *in c. Nisi essent. de praebend. n.* 11.

27 Dicitur autem notanter in Conclusione, *donatio facta uxori*; quia si fit ab uxore marito, morte civili donantis non confirmatur, *uti l. c. n.* 6. bene advertit Sanchez. quia Jura speciale privilegium et favorem conferre voluere uxoris pudicitiae, *arg. cit. l. Res uxoris. C. h. t.*

28 Limitatur etiam Conclusio in casu mortis civilis, quo maritus evadit servus hominis; *tunc* enim non confirmatur Donatio; sed evanescit, textu expresso *l. cum hic status* 32. §. 6. *ff. h. t.* Secus est, si fit servus poenae, ut si condemnatur ad metalla *v. g. arg. l. Res uxoris. C. h. t.* juncta Glossa ibidem ℣. *deducto.*

29 Illud etiam notandum, quod non obstante sua morte civili possit adhuc revocare donationem maritus (excepta professione in Ordine Fratrum Min. S. Francisci) *arg. l. sed si mors.* 13. *ff. h. t. et l. res uxoris.* 24. *C.* quod Et, si revocat, pertinet res donata ad eundem, non ad Fiscum, eo quod in publicatione bonorum res ita donatae non comprehendantur, Jason, *in l. si stipulatus fuerim.* §. *cum stipulamur ff. de V. O.* Sanchez *lib.* 6. *Disp.* 17. *n.* 5. *arg. l. si deputatis servo. ff. de legat.* 3.

30 Dicitur autem *excepta professione in Ordine Fratrum Minorum*, per hanc enim, si quis civiliter moritur, donatio conjugi facta, statim aeque confirmatur ac morte naturali, ita, ut amplius revocari nequeat, consequenter mortem illius naturalem exspectare non sit necesse; ex eo, quia tam talis professus, quam Religio est bonorum incapax, ut cum aliis bene advertit Sanchez *loc. cit. n.* 9. Palao *Tract.* 3. *Disp.* 2. *punc.* 25. §. 3. *n.* 3.

31 Secus est in casu, quo quis profitetur Religionem bonorum capacem; tunc enim professus cum consensu Superiorum revocare potest Donationem prius factam, ut proin irrevocabiliter non firmetur, usquedum morte naturali decedat professus, Doctores citati cum Pirhing *h. t. n.* 20.

Resp. III. Donatio 500. solidos excedens nec naturali, nec civili morte donantis confirmatur; nisi fuerit insinuata apud Judicem *l. donationes. C. h. t.* de hac donatione vide amplius *Lib. III. Tit. XXIV. a n.* 14. 32

Resp. IV. Donatio inter virum et mulierem prius invalide facta, etiam per juramentum de non revocando confirmatur per ea, quae diximus *Lib. III. Tit. XXIV. a n.* 33. ubi vide. 33

§. II.

De Dote, et Bonis Paraphernalibus: Item de Donatione propter nuptias seu Contradote et de Morgengeba, seu Morgenatica, ubi etiam de Sponsalitia Largitate, et Arrha.

SUMMARIUM.

34 *Dos quid?*
35 *Alia est profectitia, alia adventitia.*
36 *Dotem quivis major 25. annis dare potest.*
37 *Pater tenetur filiae dare dotem.*
38 *Etiam si eam Matrimonio collocarit nulla facta mentione dotis.*
39 *Vel filia, inscio, et invito patre digno tamen nupserit.*
40 *Secus, si indigno nubat.*
41 *Quinam censentur indigni?*
42 *Quid de hoc statuta Bavariae?*
43 *Causae exhaereditandi sunt etiam causae dotem negandi.*
44 *Quantitas Dotis quae?*
45 *Si pater nequit dotare filiam; tenetur avus paternus.*
46 *Et horum defectu mater.*
47 *Quibus omnibus defunctis frater ex eodem patre,*
48 *Deflorator quando teneatur? Remissive.*
49 *Fructus Dotis ad maritum pertinent.*
50 *Sicut etiam plenum dominium, ac libera dispositio, si Dos in re mobili consistit,*
51 *Vel in re immobili quidem, sed aestimata aestimatione faciente venditionem.*
52 *Secus, si inaestimata tradatur.*
53 *Nisi mulier juratum det consensum, aut eam post biennium repetat.*
54 *Ordinarie loquendo, durante Matrimonio dos repeti, aut cautio pro eo exigi non potest,*
55 *Nisi maritus sua culpa ad inopiam vergat, et evidens adsit periculum perdendi Dotem.*
56 *In quo casu in arbitrio Judicis est, an cautionem uxori assignare, vel restitutionem Dotis adjudicare velit.*
57 *Si absque culpa sua vir ad inopiam vergit, Dotem reddere non tenetur.*
58 *Si bona mariti confiscantur, uxor potest repetere suam Dotem.*
59 *Enarrantur aliae causae repetendi Dotem durante Matrimonio.*
60 *Bona Paraphernalia, seu Parapherna quae?*
61 *Horum nec dominium, nec fructus, nec dispositionem habet maritus; nisi in quantum uxor concedit.*
62 *Bona uxoris Receptitia quae? et quid Juris de illis?*
63 *Donatio propter nuptias, seu Contrados quid?*
64 *Hujus administratio, et fructus durante Matrimonio ad maritum pertinent.*
65 *Eam filia dare tenetur pater, ubi adhuc est in usu.*
66 *Morgengeba quid? Et quid Juris de ea?*

67 *De Jure non debetur viduae.*
68 *Ejus administratio ad maritum, propriatas autem ad uxorem pleno jure pertiaet, ita ut de ea etiam testari valeat.*
69 *De Arrha Remissive.*
70 *Sponsalitia Largitas quid?*
71 *Si culpa donatarii non sequitur Matrimonium, restitui debet donanti: si vero hujus culpa non sequitur, remanet illi.*
72 *Si nullius culpa cuivis restituitur suum, nisi osculum, aut copula fuerit secuta.*
73 *Plura de praefatis Remissive.*

34 Quaeritur I. Quid? et quotuplex sit Dos? Item quis eam dare possit, aut teneatur? Resp. I. *Dos* ad propositum est certa pecuniae quantitas, seu alia res mobilis vel immobilis, quae ab uxore, seu sponsa, vel alio ejus nomine, causa nuptiarum datur marito ad onera Matrimonii sustinenda, ut videlicet ex ejus fructibus uxorem, et familiam facilius alere possit; vocatur nostra vernacula *Heurath-Gut*. Ita in re communis, *arg. toto Tit. ff.* at *C. de Jure Dotium*. Nec indiget definitio declaratione.

35 Dividitur autem in profectitiam, et adventitiam. *Profectitia* est, quae a patre, vel ab alio ascendente paterno filiam in potestate habente, vel ab alio intuitu tamen patris datur, *l. Profectitia. 5. ff. de Jure Dotium. et l. un. C. de Rei uxoriae act. Adventitia* est, quae non a patre, nec ab ascendente paterno, sed ab alio, absque intuitu parentis datur, *l. un. §. Accedit. C. de rei uxoriae act.*

36 Resp. II. Dotem dare potest non tantum uxor seu sponsa de suis bonis, sed etiam quivis alius pro illa. Caret controversia, *arg. l. promittendo 14. ff. de jure Dotium.* ibi: *Promittendo dotem omnes obligantur, cujuscunque sexus aut conditionis sint:* Dummodo sit major 25. annis, *l. fin. C. Ad S. C. Velleian.* ibi: *generaliter sancimus, ut si quis major 25. annis, sive masculus sive foemina dotem pollicitus est, vel spoponderit pro qualibet muliere, cum qua Matrimonium licitum est, omnino compellatur suam confessionem adimplere.*

37 Resp. III. Pater tenetur Dotem dare filiae, communis et certa, textu claro *l. fin. C. de Dotis promissione*, ibi: *Neque enim leges incognitae, sunt, quibus cautum est, omnino paternum esse officium dotem vel ante nuptias donationem pro sua dare progenie.* Concordat *l. 19. ff. de Ritu nupt.* Et quidem de propriis, non de ipsius filiae bonis, nisi gravi inopia laboret, ut ibidem decidit Imperator.

38 Procedit Conclusio, etiamsi pater filiam Matrimonio collocaverit nulla facta mentione Dotis. Sanchez *lib. 4. disp. 26. num. 3.* Abbas *in c. 1. de Sponsalib. impub. num. 6.* Glossa *in l. obligamur. §. lege. ff. de Act. et oblig.* Layman *lib. 3. tr. 4. cap. 13. n. 4.* cum communi aliorum. Ratio est; quia dos debetur ad sustinenda onera Matrimonii, juxta dicta *n. 34.* Unde pater respectu filiae nobilis tenetur ad duo, nempe ad providendum ei de marito, et ad dandam Dotem, *l. qui liberos. 19. ff. de Ritu nuptiarum*: nam sine Dote facile despiceretur a viro.

39 Ampliatur Conclusio; etiamsi filia inscio et invito patre, viro tamen digno nupsisset. Sanchez *loc. cit. num. 16.* Layman *loc. cit.* Ripa *in l. 1. ff. Soluto Matrim. n. 57.* Menochius *de praesumpt. lib. 4. praesumpt. 189.* Gutierrez *2. Pract. qq. q. 1. n. 4.* cum communi. Ratio est; quia ex hoc, quod teneatur providere filiae de viro digno, et eam dotare juxta dicta, videtur filia civiliter egisse rem patris, ut proin hic quoad substantiam non possit esse contrarius; licet aegre ferre possit modum.

40 Limitatur autem conclusio *primo*, si filia ante annum 25. inscio patre, et invito nupsit indigno moribus aut genere. Sanchez *lib. 4. Disp. 26. num. 19.* Layman *loc. cit. nu. 4.* Engel *h. t. num. 6.* Haunoldus *Tr. 4. cap. 5. Controv. 5. num. 382. arg. l. Non tantum. 3. §. 5. ff. de Bonorum posses. contra tabul.* Ratio est; quia non videtur aequum compellere patrem ad dotandam filiam, quae indecenti Matrimonio ipsius, et familiae decus denigravit. Vult tamen teste Haunoldo Constitutio Carolina in Comitiis Augustanis promulgata, ut filias ita nubentes exhaeredandi, aut Dotem earum diminuendi non sit statim libera potestas parentibus, sed id Magistratus arbitrio relinquatur.

41 Censetur autem conjux indignus, cui alter Matrimonio copulari absque dedecore juxta mores Civitatis non potest. Sanchez *lib. 4. Disp. 26. num. 23.* Menochius *de praesumpt. lib. 4. Praesumpt. 189. num. 25. in fine, arg. l. si adulterium cum incestu, § Stuprum. ff. ad Leg. Jul. de Adulterio*; ibi: *Contumacia Juris, et sanguinis contumelia.* Item, indignus censetur, qui est malorum morum. Sanchez *loc. cit. num. 24.* Menochius *loc. cit. arg. l. sed ea. ff. de Sponsal. et l. nuptiae. C. de nupt.* ibi: *Si pares sint genere et moribus.* Item indignus est, notabiliter pauperior, vel habens impedimentum, Sanchez *loc. cit.*

42 Quid Statuta Bavariae habeant circa proles inscio, vel invito parente nubentes dignis, aut indignis, vide supra *Lib. III. Tit. XXVI. §. 15. n. 502.*

43 Limitatur Conclusio *secundo* in omnibus casibus, in quibus pater filiam potest exhaereditare; cum enim Dos substituatur Legitimae, et in eam imputetur, *l. quoniam. 29. C. de Inoff. Testam.* propter quascunque causas filia exhaeredari, etiam Dote privari possit, Sanchez *l. 4. Disp. 26. n. 1.* cum communi aliorum. Quaenam autem sint causae exhaereditandi liberos, vide supra *Lib. III. Tit. XXVI. § 15.*

44 Caeterum quantitas Dotis constituenda est juxta consuetudinem loci, dignitatem filiae, et facultates donantis, ut bene observat Layman *loc. cit.*

45 Resp. IV. Si pater dotare nequit filiam, tenetur id praestare Avus paternus; *arg. l. Dotem. 6. ff. de Jure Dotium.* Et quidem ante Matrem, prout cum pleriisque Juristis docet Haunoldus *Tr. 4. cap. 5. Controv. 5. n. 386. arg. l. Neque mater C. de jure dot.*

46 Resp. V. In defectu patris, Avique paterni, et accedente causa urgente, v. g. incontinentia filiae tenetur Dotem assignare Mater, nisi filia habeat propria bona, *arg. cit. l. Neque mater. 14. C. de Jure Dotium*, ibi: *Neque mater pro filia dotem dare cogitur, nisi ex magna et probabili causa, vel lege specialiter expressa: Neque pater de bonis uxoris suae invitae ullam dandi habet facultatem.*

47 Resp. VI. In defectu omnium praefatorum sororem ex patre dotare tenetur frater, Haunoldus *loc. cit. num. 389.* Layman *lib. 3. tr. 4. cap. 13. num. 5.* Palao cum communi aliorum, *arg. l. Cum plures. 12. §. 3. ff. de Administrat. et pericul. Tut.* hoc ipso enim, quod ibi statuitur, fratrem non teneri dotare sororem ex alio patre natam, seu tantum uterinam, a sensu contrario bene infertur, eum teneri ad dotandam sororem eodem patre natam in defectu praefatorum. Unde refert Layman *loc. cit.* cum aliis, quod sicut Clericus etiam de redditibus Ecclesiasticis inopem sororem alere, ita etiam dotare possit; cum causa dotis non minus sit favorabilis, quam causa alimentorum.

48 Resp. VII. Deflorator tenetur etiam dotare defloratam, juxta dicta supra *Tit. I. §. IV.*

49 Quaeritur II. Ad quem pertineat dominium fructus, et dispositio Dotis jam collatae? Resp. I. Fructus Dotis ad maritum spectare, indubitatum est: textus expressus habetur *l. dotis fructum. 7. ff. de jure Dotium*, ibi: *Dotis fructum ad maritum perti-*

nere debere, aequitas suggerit. Ratio subjungitur; *cum enim ipse onera Matrimonii subeat*, aequum est, eum etiam fructus percipere. Hinc si Dos penitus nullos fructus pariat, et *nisi Matrimonii oneribus serviat, Dos nulla est*, ut dicitur *l. si pater. 76. ff. de Jure Dotium.*

50 Resp. II. Dotis jam traditae in re mobili v. g. pecunia, pecoribus, dominium ad maritum absolute pertinet, ita ut de ea pro libitu disponere possit, *l. Res in dotem. 42. ff de Jure dotium.* ibi: *Res in dotem datae si numero, pondere, et mensura constant, mariti periculo sunt, quia in hoc dantur, ut eas maritus ad arbitrium suum distrahat, et quandoque soluto Matrimonio ejusdem generis et qualitatis alias restituat vel ipse, vel haeres ejus.*

51 Resp. III. Etiam dotis in re immobili, praedio v. g. domo etc. consistentis, aestimatae tamen aestimatione faciente venditionem, plenum dominium, et dispositio libera ad maritum pertinet, texto expresso, *l. quoties 5. C. de Jure Dotium.* ibi: *quoties res aestimatae in dotem dantur, maritus dominium consecutus summae velut pretii debitor efficitur, si itaque non convenit, ut soluto Matrimonio restituantur, retinebit eas, si pecunias tibi offerat.* Concordat *l. cum dotem. 10. C. eod.*

52 Resp. IV. Si datur in Dotem res immobilis inaestimata, vel aestimata quidem, sed praecise taxationis causa, non aestimatione faciente venditionem, dominium saltem civile habet quidem etiam maritus, eam tamen alienare, hypothecare, aut alias obligare, etiam cum consensu uxoris non potest, *princ. Instit. quibus alienare licet, vel non*: ibi: *Accidit aliquando, ut, qui dominus sit, alienare non possit etc. Nam dotale praedium maritus invita muliere per Legem Juliam prohibetur alienare*: et infra *Interdicta alienatio et obligatio* (de Hypotheca in specie erat prius etiam sermo) *ut neutrum eorum, neque consentientibus mulieribus procedat.* Ratio additur illis verbis: *Ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiae ejus convertatur.* Concordat *Novell. 61. cap. 1. §. 1.*

53 Limitatur tamen Conclusio in casu, quo mulier absque dolo aut metu inducta, non tantum consentiat, sed etiam juret, se non revocaturam alienationem, aut non contraventuram; tunc enim vigore juramenti appositi valet alienatio, prout expresse statuitur, et in hoc puncto Jus Civile corrigitur *c. Cum contingat. 28. de Jurejurando.* Item valet alienatio seu obligatio talis immobilis et inaestimatae Dotis, si biennio post primum datum consensum, de novo consentiat: quia repetitus consensus post lapsum tanti temporis excludit praesumptionem, quod a marito fraude, aut metu inducta sit, *cit. Novell. 61. cap. 1. §. 1.*

54 Quaeritur III. An? et quando durante Matrimonio Dos iterum repeti, aut saltem Fidejussio, vel alia cautio pro ejusdem conservatione exigi possit? Resp. I. Ordinarie loquendo, durante Matrimonio Dos nec repeti, nec etiam fidejussores pro ejus conservatione exigi possunt. Ita clare statuitur. *L. 1. c. Ne fidejussor. 1.* ibi *Sive ex Jure, sive ex consuetudine lex proficiscitur, ut vir uxori fidejussorem servandae dotis exhibeat, tamen eam jubemus aboleri.* Concordat *L. 2. C. eod* ubi etiam ratio subjungitur illis verbis: *Si enim credendam mulier sese, suamque dotem Patri Mariti existimavit: quare fidejussor, vel alius intercessor exigitur, ut causa perfidiae in eorum connubio generetur.*

55 Resp. II. Dantur nihilo minus casus, in quibus uxor etiam durante Matrimonio Dotem suam vel omnino repetere, aut pro ejusdem conservatione fidejussores, aut aliam sufficientem cautionem exigere potest. Probatur inductione. Nam I. Si maritus sua culpa ad inopiam vergat, ita ut evidenter constet, facultates ejus non esse sufficientes assecurationi Dotis, vel certe esse periculum illius, potest mulier exigere Dotem suam, texto expresso *l. Si constante. 24. princ. ff. Soluto Matrim.* ita tamen, ut non maneat penes uxorem, sed vel detur ad sequestrum, vel cuidam Mercatori, aut alii securae ac licitae negotiationi, ut inde honestum lucrum haberi, et onera Matrimonii sustineri valeant, *arg. c. Per vestras. 7. h. t.* et ibi Barbosa *n. 7.* Surdus *de Aliment. Tit. 9. q. 40. n. 37.* Engel *h. t. n. 9.* et alii.

Quod si in tali casu Dos uxoria fidejussione, aut alia cautione sufficienter assecurari potest, tenetur mulier arbitrante Judice acceptare; prout contra communem Legistarum docet communior Theologorum, et Canonistarum, teste Hhunoldo *Tr. 4. cap. 2. Controv. 6. n. 399. arg. cit. c. Per vestras. 7. h. t.* ubi Judici mandat Pontifex, ut in casu praefati periculi, marito sub cautione sufficienti relinquat, vel ad honestum lucrum committat mercatori, ib.: *Mandamus, dotem faciatis assignari eidem, sub ea, quam potest, cautione praestare, vel saltem alicui Mercatori committi; ut de parte honesti lucri dictus vir onera Matrimonii possit sustinere.* Unde Judicis, non mulieris erit eligere, an Dos fidejussione, aliave cautione, an vero committendo illam alicui alteri ad lucrum assecurari debeat. 56

Quando vir non ex sua culpa, dilapidatione v. g. ad inopiam vergit, ad restituendam Dotem cogi nequit, ut bene observat Glossa *in c. Per vestras. 7. h. t. §. ad inopiam, arg. Novell. 97. cap. 6. princ.* ubi tunc tantum reddere Dotem cogitur maritus, *si res male gubernat*: praesertim cum uxor etiam teneatur de sua Dote virum inopem sustentare; *l. Mutus. 73. ad finem, ff. de Jure Dot.* 57

II. Repetere potest uxor durante Matrimonio suam Dotem, si bona mariti Fisco inferantur, *arg. l. Si marito. ff. Soluto Matrim.* ibi: *Si marito, publico Judicio damnato, pars aliqua bonorum ejus publicetur, Fiscus creditoribus ejus satisfacere necesse habet, inter quos uxor quoque est.* 58

III. Plures enumerantur causae petendi Dotem durante Matrimonio, *l. Mutus. 73. §. 1. ff. de Jure Dot.* ibi: *Manente Matrimonio non perditurae uxori ob has causas Dos reddi potest, ut sese, suosque alat, ut fundum idoneum emat, ut in Exilium, aut in Insulam relegato parenti praestet alimonia aut ut egentem virum, fratrem, sororemve sustineat.* 59

Quaeritur IV. Quid sint bona Paraphernalia, ac Receptitia? et quid Juris de illis? Ante Responsionem notandum, bona uxoris esse triplicis generis. 1. *Dotalia*, seu *Dos*, de quibus jam dictum. 2. *Paropherna*, seu *Paraphernalia.* et 3. *Receptitia.* Resp. I. *Bona Paraphernalia* sunt, quae uxor praeter Dotem affert marito, *arg. l. Hac lege. 8. C. de Pactis convent.* cum enim ex conventione et pactis conjugum dependeat, quantum uxor pro Dote dare, et maritus acceptare velit, *l. Si ego. §. 3. ff. de Jure Dot.* saepe contingit, quod maritus totam substantiam, quam uxor seu sponsa habet, pro Dote non accipiat, ne in simili quantitate donationem propter nuptias facere, aut Contradotem assignare debeat, juxta dicenda infra *num. 63.* et tamen talia uxor secum afferat, vocantur haec bona *Paraphernalia, einzugebrachtes Gut.* Talia bona *Paraphernalia* sunt etiam ea omnia, quae uxor post Matrimonium jam contractum acquirit, et marito affert donatione, haereditate etc. hoc ipso, quod in Dotem non computentur. 60

Resp. II. Etiamsi uxor marito bona Paraphernalia afferat, et tradat, nullum tamen eorum dominium, sed nudam custodiam et administrationem ab uxoris voluntate totaliter dependentem, et ad 61

autum revocabilem habet: nec eorum fructus facit suos; licet eos concedente uxore in suam et uxoris, familiaeque utilitatem ac necessitatem expendere valeat. Est communis, et caret controversia, *arg. cit. l. Hac lege.* 8. *et l. fin. C. de Pact. convent.*

62 Resp. III. Bona *Receptitia* sunt eadem cum *Paraphernis*, solo hoc cum discrimine, quod, quando uxor bona, quae praeter Dotem habet, vel acquirit, sibi soli, et suae dispositioni plene reservat, eaque administrationi, aut custodiae viri non committit, vocentur bona uxoris *Receptitia*: si vero illa viri administrationi et custodiae committit, vocentur *Parapherna*. De reliquo circa dominium eadem est ratio de Receptitiis ac Paraphernis, potestque uxor de utrisque pro libitu disponere tam in vivis, quam mortis causa. Nec est in hoc ulla controversia.

63 Quaeritur V. Quid sit *Donatio propter nuptias*, seu *Contrados*? Et quid Juris de ea durante Matrimonio? Resp. I. Est res mobilis, vel immobilis, quam maritus ante vel post nuptias uxori confert in assecurationem Dotis allatae; nam sicut uxor marito affert Dotem, ita maritus affert uxori Donationem propter nuptias, seu Contradotem, nostra vernacula *die Widerleg.* soletque ordinario, et debet in valore aequalis esse ipsi Doti, prout habetur *Novell.* 97. *cap.* 1. *princ.*

64 Resp. II. Constante Matrimonio tam administratio, quam fructus Donationis propter nuptias pertinent ad maritum. Layman *lib.* 5. *tr.* 4. *cap.* 13. n. 10. Hannoldus *Tr.* 4. *cap.* 5. *Controv.* 2. *n.* 446. Abbas *in c. fin. h. t.* n. 14. Sylvester *v. Donatio.* 3. *q.* 3. cum communi, *arg. l. Ubi adhuc.* juncta Glossa *v. Sustentationem C. de Jure Dot.* ut proin praecipua hujus Donationis utilitas durante Matrimonio sit securitas Dotis, pro qua obligantur uxori bona quaedam viri.

65 Resp. III. *Donationem propter nuptias, seu Contradotem* filio dare Jure tenetur pater, textu expresso *l. fin. C. de Dotis promiss.* vide supra *num.* 37. Et quidem juxta quantitatem Dotis a sponsa filii allatae, ut bene docet Fachin. *lib.* 8. *Controv. cap.* 67. textus clarus habetur *in Novell.* 91. *cap.* 1. *princ.* Intellige, ubi adhuc haec Jura de Donatione propter nuptias vigent; nam in pluribus locis sunt abrogata; in pluribus autem viget consuetudo, ut Donatio propter nuptias vel omnino non, vel non aequalis Doti detur, vel juxta pacta Nuptialia, teste Sanchez *lib.* 6. *Disp.* 1. *num.* 1. Layman *lib.* 3. *Tract.* 4. *cap.* 13. *num.* 10.

66 Quaeritur IV. Quid sit *Morgengaba*, seu *Morgenatica*? Et quid Juris de ea? Resp. *Morgengeba* est Donatio quaedam, quam maritus facit uxori altera Nuptiarum die in remunerationem delibatae virginitatis. Ita in re communis. Ejus quantitas, quia in Jure determinata non est, desumenda venit vel ex consuetudine, aut particularibus loci statutis, aut ex pactis Nuptialibus. Communiter in pactis constitui solet tertia pars Dotis, quam mulier attulit; ita, ut si dos ejusdem efficit 300. florenos, morgengeba efficiat 100. florenos, ut bene advertit Schmidt *in Statuta Bavar. Tit.* 1. *a.* 5. *n.* 16. ubi addit, debere uxori Morgangebam, etsi in pactis Dotalibus nulla de ea facta fuerit mentio. Imo debetur etiam uxori, quae nullam Dotem attulit, cum, ut bene ibi advertit, pauperis puellae virginitas aeque ac divitis aestimanda sit.

67 Viduae, si cum qua contrahitur Matrimonium, Morgengeba de Jure nulla debetur, nisi specialiter de ea fiat conventio, prout fieri posse, bene advertit Schmidt *loc. cit.*

68 Resp. II. Quamvis *Morgengebae* administratio et fructus durante Matrimonio ad virum pertineant, dominium tamen illius ad uxorem pertinet, ita, ut post mortem mariti eidem una cum Dote restitui, vel si ante maritum moritur, de illa mortis causa disponere, vel haeredibus ab intestato relinquere valeat. Layman *loc. cit. num.* 11. cum communi. De hac Morgengeba agit Sanchez *lib.* 6. *Disp.* 27. ubi tamen eam more Hispanorum *Arrham* vocat, Molina *Disp.* 431. Schmidt ad *statuta Bavar. cit. Tit.* 1. *a.* 1.

Quaeritur VII. Quid sit *Arrha*? Et quid Juris de ea? Resp. Ad hanc Quaestionem late patere supra *Tit. I. a n.* 176. 69

Quaeritur VIII. Quid sit *Sponsalitia Largitas*? Et quid Juris de ea? Resp. I. *Sponsalitiam Largitatem* esse eam, quam sponsi mutuo faciunt, causa, et tacita conditione Matrimonii, ita, ut si Matrimonium sequatur, plene confirmetur talis Donatio, et Donatum fiat Donatarii, adeo ut etiam soluto dein per mortem Matrimonio, restitui non amplius debeat. Sanchez *lib.* 6. *Disp.* 18. *n.* 2. Molina *Tom.* 2. *Disp.* 490. cum communi, *arg. l. Si mater.* 12. *et l. Si a Sponso, C. de Donat. ante Nupt.* 70

Resp. II. Si Matrimonium inter Sponsos non sequatur, idque ob culpam Donatarii, aut illius in cujus potestate est, tenetur iterum restituere Sponsalitiam Largitatem: si vero ob culpam Donantis non sequatur Matrimonium, repetere non amplius potest Sponsalitiam Largitatem alteri collatam. Sanchez *loc. cit. n.* 4. textu expresso *l. Cum veterum.* 15. *C. de Donation. ante Nupt.* 71

Quod si vero neutrius sponsorum culpa, sed morte v. g. Professione Religiosa etc. Matrimonium secutum non est, sponsus omnem Sponsalitiam Largitatem restituere debet: et e contra sponsa eandem a Sponso acceptam reddere obligatur, nisi osculum, aut copula post Sponsalia intervenerit: tunc enim sponsae medietas Sponsalitiae Largitatis remanet: sponsus autem nihilo minus cuncta restituit, textu expresso *l. Si a Sponso.* 16. *et l. Cum veterum.* 15. *C. de Donation. ante nupt.* vide de hoc amplius Sanchez *loc. cit.* 72

Plura de Dote, Donationibus propter Nuptias, Morgengeba, Paraphernalibus, juribus, et proprietatibus eorundem vide apud Legistas, utpote ad quos haec materia propria spectat. Nos pergimus ad alteram hujus Rubricae partem Canonistas magis concernentem, videlicet de Dote post Divortium restituenda. 73

§. III.

De Restitutione Dotis, et aliorum soluto Matrimonio facienda: ubi etiam de lucro tempore Matrimonii acquisito.

SUMMARIUM.

74 *Si Matrimonium solvitur per Mortem naturalem mariti, Dos adventitia restituitur uxori.*
75 *Aliud est de profectitia.*
76 *Si solvitur Matrimonium per mortem uxoris, Dos adventitia restituitur proximis haeredibus uxoris.*
77 *Quid Juris tunc de profectitia? Et n. praeced.*
78 *Si solvitur Matrimonium ob latens impedimentum prius ignoratum, Dos restituitur uxori.*
79 *Quid si scienter cum tali impedimento contraxerunt?*
80 *Si solvitur Matrimonium quoad Thorum ex culpa mariti, Dos restituitur uxori.*
81 *Secus, si fit Divortium ex culpa uxoris.*
82 *Praeter Dotem etiam Parapherna, et Morgengeba uxori restitui debent.*

83 *Lucra seu Acquaestus ; quae durante Matrimonio uni in specie, et intuita illius solius obvenerunt Legato v. g. Donatione et c. ei soli remanent. Et aum. seqq.*
85 *Si vero utriusque intuitu ambobus simul quid fuit collatum, inter utrumque dividendum venit.*
86 *Quod etiam fieri debet, si utriusque pecunia negotiatio, aut contractus factus est.*
87 *Lucra, quae durante Matrimonio sola industria et labore viri acquisita sunt, ei, ejusque haeredibus soln maneat.*
88 *Solvitor Objectio. Et aum. seqq.*
89 *Inter socios lucra sunt dividenda.*
90 *Lucra durante Matrimonio aequali utriusque industria acquisita, aequaliter dividenda sunt.*
91 *Solvitur instantia.*
91 *Quid circa hoc habeant statata Bovariae ? Et na. seq.*
94 *Circa cuncta hactenas dicta, prae omnibus pacta Dotalia, et locorum consuetedines attendi debent.*
95 *Propter adulterium axor perdit Dotem, et vir contradotem accrescitque innocenti.*
96 *Etiam in putativo Matrimonio.*
97 *Casus aliquot enumerantur, in qoibus pars adulterans non perdit Dotem, vel Contradotem; usque ad num. 101.*
101 *Si extent liberi, ad hos pertinet Dotis, vel Contradotis proprietas, et ususfructus ad innocentem conjugem.*
102 *Propter adulterium uxor non perdit bona Paraphernalia.*
103 *Solvitur instantia.*
104 *Quid praeter Dotem perdat de Jore Bovariae?*
105 *Dotem nondum traditam uxor adulterans tradere ante sententiom Judicis non tenetur.*
106 *Actu autem jam traditam vir etiam ante sententiam retinere valet.*
107 *Uxor adulterans Dote, et aliis jam privata, cuncta iterum acquirit, si eidem vir reconcilietur.*
108 *Nisi speciale pactum aut conditio obstet.*
109 *Uxor ratione Dotis habet tacitam Hypothecam in omnibus bonis mariti, praeceditque omnes illius creditores anteriores.*
110 *Etiam anteriorem Hypothecam expressam habentes.*
111 *Privilegium uxoris ratione Dotis ad haeredes extraneos se non extendit, bene vero ad descendentes.*
112 *Quinam Creditores mariti praecedont uxorem?*

74 Quaeritur I. An, et cui, soluto Matrimonio restitui debeat Dos? Resp. I. Si solvitor Matrimonium per mortem naturalem mariti, *Dos Adventitia* integra restituenda est uxori. Communis, et certa, textu expresso *l. fin. C. Soluto Matrim.* et *l. un. §. Accedit. C. de Rei uxor. act.* juncto *c. fin. h. t.*
75 Dicitur autem notanter *Adventitia*; quia Dos *Profectitia* redit aaa cum dotata ad dotantem, si dotata adhuc ast in potostete dotantie, *cit. l. un. C. de Rei uxor. act.* tenetur tamen eandem Dotem prius dotatae iterum dare, si alteri nubit, *Auth. Sed quamvis. cit. l. un C de Rei uxor. act.* Quod si vero uxor jam est emancipate, vel si alibi statutum, aut consuetudo est, ut proles statim, ac nubunt, hoc ipso emancipatae habeantur, Dos est restituenda uxori per Jura aum *praeced.* citata. Ratio est; qeia per emancipationem desinit esse *Profectitia*, consequenter plena jure redit ad uxorem, ut per Jura allegata cum aliis bene observat Layman *lib. 3. tr. 4. cap. 13. n. 5.*
76 Resp. II. Si solvitur Matrimonium per mortem mulieris, nullis ex illa extantibus liberis, *Adventitia* Dos restitui debet proximis haeredibus defunctae, juxta dicta; *Profectitia* illi, a quo profecta est, si mulier tempore mortis nondem fuit emancipata, juxta dicta *num. praeced.* et Jura ibi allegata, quibus accedit *l. Avia. C. de Jure Dot.* et *l. Dos a patre. 4. ff. Soluto Matrim.* ibi: *Dos a patre profecta, si in Matrimonio decesserit mulier filiafamilias, ad patrem redire debet.* Concordat *l. Si ab hostibus. ff. eod.* caretque omni controversia.

Resp. III. Si moriente uxore extent ex illa liberi, Dos *Adventitia* illis utpote proximi haeredibus restituenda est, sicut et *Profectitia*; nisi mulier nondum emancipata discessisset, per Jura allegata; quamvis enim liberi ab intestato succedant parenti, exclusis ascendentibus quibuscunque, hoc tamen limitatur in bonis *Profectitiis*, utpote quae ad eum revertantur, a quo profecta sunt, ut post Fachin. *lib. 3. Controv. Controvers. 71.* bene advertit Layman *lib. 3. tr. 4. cap. 13. n. 6.* petetque ex *Novell.* 118. *cap. 1.* Verum, quia rarissime datur casus, quo uxor vel expresse non sit emancipata, vel saltem adsit statutum aut privilegium, quo per ipsum Matrimonium habetur emancipata, hinc ordinarie Dos etiam *Profectitia* restituenda est liberis, vel aliis proximis haeredibus uxoris. 77

Resp. IV. Si Matrimonium solvitur quoad vinculum viventibus adhuc contrahentibus v. g. per impedimentum *dirimens*, cum quo ignoranter contrahebant, Dos integra restituenda est uxori petitivae, *arg. c. 1. h. t.* at ibi Glosse §. *Licita*, atque Joan. Andreae *n. 1.* Abbas *n. 1.* cum communi et certa aliorum. Ratio est; qeia datum ob causam (uti hic Matrimonium) causa non secuta revocatur, *L. 1. ff. de Condict. culpa data.* 78

Dicitur autem notanter *ignoranter*; quia, si scienter cum impedimento dirimente aliqui contrahunt, perdunt, quidquid unus alteri dedit, Dotem nempe, et Donationem propter Nuptias, Fisco utramque acquirente: nisi minor aetas excuset, et comperto errore statim ab invicem discedant, textu expresso *l. Qui contra. 4.* et *Authent. incestas nuptias. C. de Incestis nupt.* 79

Resp. V. Si solvitur Matrimonium solummodo quoad cohabitationem et Thorum, idque sine alterutriusvie culpa, puta, quia unus cum alterius consensu ingreditur Monasterium, aut suscipit Ordines, Dos integra restituende venit uxori, *arg. c. 1. h. t.* et ibi Barbosa *n. 5.* cum communi aliorum. 80

Resp. VI. Si Ecclesiae judicio fit Divortium, et separatur Matrimonium quoad Thorum ex culpa viri, Dos restituenda est uxori, *arg. c. 1. h. t.* si vero culpa uxoris, v. g. ob ejus adulterium, ipse perdit Dotem, eaque accrescit viro, *c. Plerumque. 4. h. t.* diceturque magis infra. a *n.* 95. 81

Quaeritur II. An etiam alia, et quaenam praeter Dotem restituenda sint uxori, vel haeredibus ejus? Resp. I. Casu, quo ob Matrimonii separationem, uxori restituende est Dos, eidem etiam, vel haeredibus illius restitui debent *Paraphernalia*, et bona *Receptitia*, nec non *Morgengeba*, uti alias debetur. *De Paraphernis*, et *Receptitiis* patet, quia, cum haec alias pleno Jure pertineant ad uxorem, ei, vel ejus haeredibus utique restitui debent, justitia exigente, ut cuivis reddatur suum, per *vulgaria juris*. De *Morgengeba* probatur; quia Donatio, quam vir fecit uxori ex causa praesertim pudicitiae, valet, facitque ut *Donatum* fiat Donatarii, *arg. l. Res uxoris* 24. *C. h. t.* atqui talis est *Morgengeba* juxta dicta: ergo. Unde de eadem non minus ac de Dote, et *Paraphernis* fateri valet uxor. 82

Quaeritur III. Num etiam aliquid, et quid de Acquaestibus, seu lucris constante Matrimonio acqui- 83

sitis restitui debeat uxori, vel haeredibus ejus? Ante Responsionem notandum, quaestionem hanc multum esse controversam, et propterea certa ab incertis esse separanda.

84 Nam certum est *primo*, illa bona, et lucra, quae durante Matrimonio uni parti in specie, et intuitu illius solius obvenerunt, v. g. haereditate, legato, Donatione etc. ei soli ut propria manere, nec inter conjuges dividi, consequenter moriente uno, alteri dimidium restitui non debere.

85 Certum econtra est *secundo*, illa lucra, quae durante Matrimonio ambobus simul, ac utriusque intuitu obvenerunt, v. g. haereditate, legato, Donatione etc. ambobus simul competere, consequenter moriente uno conjuge, alteri, ejusque haeredibus dimidiam talis lucri, seu acquaestus partem restitui debere, siquidem hoc saltem, si non plus probat c. 2. *h. t.* ibi: *Quae ipsis, dum simul viverent, cujuscunque contractus titulo communiter obvenerunt etc. Ad divisionem eorum compellatis*, prout cum communi Canonistarum *in cit.* c. 2. *h. t.* bene observat Barbosa *n.* 6.

86 Certum videtur *tertio*, etiam illa bona et lucra quae durante Matrimonio per negotiationem, aut emptionem ex utriusque conjugis pecuniis, aut bonis factam acquisita sunt, soluto Matrimonio, aut moriente uno, alteri dimidium restituendum esse, Barbosa *loc. cit. n.* 6. Pirhing *h. t. n.* 29. Abbas *in c.* 1. *h. t. n.* 3. et ibi Alexander de Nevo *n.* 6. patetque clare *ex cit. c.* 2. *h. t.* ibi: *Vel quae quocunque contractus titulo communiter obvenerunt*; quae verba saltem probant, quod, si de communi utriusque pecunia, aut mediis contractus, et ex tali contractu lucrum fiat, eis communiter obvenire censeatur, consequenter juste inter eos dividi debeat.

Unde difficultas remanet de bonis, et lucris, quae unius, aut utriusque diligentia, parsimonia, labore, arte, cooperatione acquisita sunt. Ad quam

87 Resp. I. Lucra, quae soli viri industria et labore, studio, v. g. ejusdem officio, aut speciali arte etc. durante Matrimonio acquisita sunt, prout ordinarie fit apud Officiales, ac Ministros Principum, Advocatos, Medicos, Consiliarios, excellentes pictores etc. soli viro, ejusque haeredibus remanent, nec quidquam de iis restituendum venit uxori, aut haeredibus illius. Gotierrez *lib.* 2. *pract. qq.* 118. *n.* 5. Barbosa *in c.* 2. *h. t. n.* 5. et ibi Gonzalez *n.* 5. Schmidt *ad statuta Bavar. Tit.* 1. *a.* 1. *n.* 42. cum communi aliorum universaliter docentium, cuncta lucra, constante Matrimonio, ex labore, industria, ac parsimonia acquisita ad virum pertinere. Ratio est; quia nullo nec Civili, nec Jure Canonico statutum habetur, quod de hujusmodi bonis quidquam uxori restituatur.

88 Nec obstat c. 2. *h. t.* quia ibidem lucri acquisiti dimidia pars uxori tantum de illis bonis adjudicatur, quae conjugibus *communiter*, id est, titulo utrumque respiciente obveniunt; qualia utique non sunt lucra in Conclusione allegata.

89 Nec dicas, conjuges se habent *instar eorum, qui societatem contrahunt*, c. 2. *de Sponsalib.* juncto *can. cum societas nuptiarum*, *cau.* 27. *q.* 2. Inter socios autem omne lucrum dividendum venit, *L.* 1. *et l. Si non sunt. ff. pro socio*: ergo. Resp. enim cum Barbosa *loc. cit. n.* 6. et communi aliorum per textus, in quibus conjuges vocantur socii, diciturque inter eos existere societatem, non intelligi civilem societatem communicativam bonorum, de qua *ff.* et c. *Pro socio*. sed de societate, quae importat communicationem et consortium omnis vitae, ac cohabitationis, humanique et Divini Juris *arg. L.* 1. *ff. de Ritu Nupt.*

90 Resp. II. Probabilissimum, omnique aequitati consonum videtur, ut illa lucra, quae communi et aequali, vel quasi aequali utriusque conjugis industria, diligentia, labore, seu parsimonia, durante Matrimonio acquisita sunt, inter conjuges dividantur, consequenter viro moriente uxori dimidium restituatur. Hanc Conclusionem docent omnes, qui universaliter tenent, omnia lucra, quae constante Matrimonio acquiruntur, inter conjuges dividenda esse; prout indistincte docet Gomez *in §. Actiones. Institut. de Actionibus. n.* 12. et alii apud Barbosam *in cit.* c. 2. *h. t. num.* 4. Probatur Conclusio ex *cit. c.* 2. *h. t.* ubi universaliter statuitur, cuncta lucra, quae constante Matrimonio conjugibus *communiter obveniunt*, inter eos esse dividenda: sed quae conjuges communi, aequalique, vel quasi aequali labore et industria acquirunt, communiter eisdem obvenire revera dici possunt, ergo. Accedit ratio; quia plane iniquum et injustum videtur, quod maritus solus capiat ea lucra, quae tam labore, industria, diligentia, et parsimonia uxoris, quam mariti acquisita sunt; sic enim uxor esset deterioris conditionis, quam famulus vel famula domestica, utpote qui praeter victum pro suo labore in utilitatem et lucrum domini peracto, competens salarium habent.

Nec dicas cum Adversariis c. 2. *h. t.* tantum loqui de locis, ubi est consuetudo, ut lucra constante Matrimonio acquisita inter conjuges dividantur. Resp. enim, hoc gratis dici; cum ex textu de loci consuetudine penitus nihil habeatur, sed potius aperte pateat, ibi esse veram dispositionem Legis. 91

Æquitatem hujus Conclusionis *num.* 90. positae agnoscentes Conditores Juris Bavarici statuerunt, quod, ubi conjuges communi labore et industria communem exercent negotiationem, mercaturam, aut cauponariam, lucrum invicem dividere habeant, *Tit.* 1. *a.* 1. 4. *et* 10. ubi scribentem Schmidt omnino lege, qui *a.* 1. *n.* 25. *et seq.* bene observat, quod, quamvis *a.* 1. de lucri divisione cum uxoribus facienda indistincte loquatur, tamen intelligi non debeat de uxoribus Illustrium, vel Officialium, Consiliariorum, Advocatorum, et illorum, qui sine concursu mulieris soli lucrum acquirunt; ut proin his dimidia pars lucri non competat; prout etiam de Jure communi esse diximus supra *num.* 87. Illud etiam statuta Bavariae speciale habent, quod, dum nullis extantibus liberis, uno conjuge decedente, haeredibus descendentis debetur dimidia pars lucri, haec eis primum restituenda veniat post mortem superstitis adhuc conjugis, utpote cui ad dies vitae conceditur usus fructus dimidiae illius partis lucri haeredibus defuncti debitae, dummodo interea dictis haeredibus sufficientem cautionem de acquirenda post ejus mortem praefata dimidietate praestet. 92

Quod si maritus ante uxorem moriatur relictis liberis, competit uxori praeter *Dotem*, et *Morgengabam* etiam tanta pars, quanta cuivis proli de bonis relictis tribuitur *cit. a.* 1. Si autem uxor relictis liberis ante maritum moriatur, tradit liberis, quod ei de Jure debetur, et quod *a.* 3. ibidem statuitur, ubi vide, cum enim specialia loci sint, amplius de eis hic agendum non est. 93

Illud circa hactenus dicta tam de Dote, quam de Contradote, et aliis universaliter observa, quod intelligenda veniunt, seclusis specialibus pactis, et conventionibus Dotalibus, aut consuetudine, statutisque locorum: cum enim *contractus ex conventione legem accipiant*, c. *Contractus. de Reg. Jur. in* 6. et pacta Dotalia omni Jure licita et valida agnoscantur, *arg. Tot. Tit. ff. de Pactis Dotal.* et c. *de Pactis Convent.* ante omnia circa restitutionem Dotis, Con- 94

tradotis, Morgengebae, lucrorom etc. pacta Dotalia aspicienda, et observenda sunt, *arg. cit. Tit. ff. de Pactis Dotal. et c. fin. h. t.* ibi· *Soluta Matrimonio sicut Dos ad mulierem, sic et Donatio propter Nuptias rudit ad virum: nisi de consuetudine secus obtineat, vel ex pacto de lucranda Dote, vel Donatione propter Nuptias etc.*

95 Quaeritur IV. An? quando? et quomodo propter adulterium uxor perdat Dotem, et maritus Donatiooem propter Nuptias, et alia? Resp. I. Certom et indubitatum est, qood, si uxor adulterium committat, amittat Dotem, haecque accrescat viro: Et econtra, si vir adulteratur, perdat etiam Contredotem, seu Donationem propter Nuptias, baecque accrescat oxuri. ita siquidem clare habetur *c. Plerumque. 4. h. t.* ibi: *Si mulier ob causam fornicationis judicia Ecclesiae, aut propria voluntate a viro recesserit, nec reconcilinta postea sit eidem, Dotum, vel Dotalitium repetere non potest*, et *l. Consensu. 8. C de Repudiis*, et *Novell. 117. cap.* 8. et 9. ubi etiam habetur secunda pars Conclusionis, videlicet emissio Donatioois propter Nuptias, quam amittit vir ob adulterium commissom.

96 Procedit Conclusio etiam in potativo Matrimoooio, dum nempe occultum inter coujuges latebat impedimentum *dirimens*, consanguinitatis v. g. Barbosa *in cit. c. 4. h. t.* Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 9. *n.* 7. Cirrua §. *Adulterium. n.* 9. et 14. Pirhing *h. t. n.* 37.

97 Limitatur tamen Conclusio I. Si pars innocens nocenti iojoriam tacite vel expresse coodonavit, vel eidem est reconciliata, Glossa *in cit. c. 4. h t* ℣. *Reconciliata.* Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 8. Eogel *h. t. n.* 15. eum commnoi, *arg. a contrario*, c. *Plurumque. h t.* ibi: *Nec reconciliata postea sit.* Quo modo autem *tacite*, vel *expresse* censeatur innocens nocenti injuriam condonare, aut eidem reconciliari, vide supra *Tit. praeced. de Divortio a n.* 73.

98 II. Si adulterium tantum est materiale, et omni vacat culpa per dicta *Tit. praeced. a n.* 62.

99 III. Si unus conjux in alterius adulterium consensit per dicta *Tit. praeced. a n.* 66.

100 IV. Si uterque adulterii est, vel saltem ante sententiam Judicis fit Reus, per dicta *Tit. praeced. a num.* 80.

101 V. Si ex parte adultera extent liberi legitimi: tunc enim, quamvis nocens amittat Dotem, aut Donationem propter Nuptias, tamen ea quoad proprietatem non accrescit conjugi innocenti, sed liberis, conjuge innocente habente solum usumfructum, texto expresso *Novell.* 117. *cap.* 8. §. 2. ℣. *Si enim filios*, cui cooformiter interpretandum venit c. 4. *h. t.* ut Jura Juribus coocordentur juxta c. *Cum expediat. de Elect. in* 6.

102 Resp. II. Uxor ob adulterium non amittit Paraphernalia bona, Abbas *in c. Plerumque. 4. h. t. n* 8. Sylvester ℣. *Adulterium. q.* 6. Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 8. *n.* 10. Menochius *de Arbitr Jud. casu* 418. *in addit. ad num.* 5. eom commooiori, et veriori aliorum, contra Glossam *in cit. c. 4. h t.* ℣. *Dotalium.* Clarum §. *Adulterium. n.* 15. Covarruviam, et alios. Ratio est; quia, cum Juris dispositio de amissione Dotis ob adulterium sit poenalis et odiosa, restringi potius quam extendi debet. Nam *in poenis benignior est interpretatio facienda c. In poenis. de Reg. Jur. in* 6. Atque *Odia restringi, et favores convenit ampliari*, c *Odia*, *eod. in* 6.

103 Nec obstat, quod *cit. c. 4. h. t.* dicatur etiam *Dotalitium* ab uxore adultera amitti. Resp. enim ibi per *Dotalitium* intelligi non posse bona Paraphernalia, sed vel Donationem propter Nuptias, vel alia bona ex pactis Dotalibus alias uxori debita, aut alia a viro uxori donata, ut *loc. cit.* etiam observat Glossa.

104 Et hinc Jura Bavarica *Tit. I. a.* 6. statuunt, quod uxor adultera praeter Dotem perdat etiam Morgengebam, dimidium lucri alias debiti, et reliqua a viro eidem donata.

105 Resp. III. Licet Dotem marito nondum traditam uxor ob adulterium ante Judicis sententiam tradere non teneatur, sed tuta conscientia retinere valeat, donec per sententiam compellatur, tamen potest vir eam sibi prius jam traditam, nulla adhuc facta sententia retinere, et contra uxorem exceptione adulterii uti. Primam partem Conclusionis docet Sanchez *loc. cit. n.* 13. Ancharanus *in c. Porro. de Divortio*, in fine, et ibi Joan. Andreas *n.* 3. Pirhing *h. t. n.* 39. cum communi. Ratio est: quia est poena executionem externam requirens, ad quam ante sententiam Judicis in conscientia nemo obligatur: prout fusius diximus *Lib. I. Tit. II.* §. 10.

106 Alteram partem merito docet Abbas *in c. Plerumque. 4. h. t. n.* 4. Sylvester ℣. *Adulterium. q.* 6. et alii, *arg. cit. c. 4. h. t.* ubi statuitur, quod mulier adultera sponte discedens (aut in casu notorio merito expulsa, juxta dicta *Tit. praeced.*) non possit amplius repetere Dotem, utique jam traditam. Ratio est; quia ubi Dos jam est tradita, poena executionem externam non amplius requirit, sed potius privationem et emissionem, seu abstinentiam et carentiam; consequenter cessat fundamentum, ob quod ante sententiam Judicis ad poenam non tenetur.

107 Resp. IV. Uxor, quae per Judicis sententiam a viro ob adulterium fuit separata, et Dote, aliisque privata, acquirit iterum cuncta, si postea vir eidem iterum reconcilietur et cohabitet, nisi adjiciatur reconciliationi pactum, aut conditio de Dote, et aliis non restituendis. Sanchez *lib.* 10. *Disp.* 8. *n.* 21. Farinacius *in prax. Crimin p.* 5. *q.* 142. *n.* 68. Engel *h. t. n.* 16. Sylvester ℣. *Adulterium. q.* 6. et alii, *arg. c. 4. h. t.* a sensu contrario: ibi: *Nec reconciliata postea sit.* Non enim distinguit, an reconciliatio ante vel post sententiam fiat. Ratio est; quia, cum reconciliatio haec sit favorabilis tollens poenam, late etiam est interpretanda, *arg. c. Odia. de Reg. Jur. in* 6. consequenter intelligenda, quod ponat nocentem in totum pristinum statum.

108 *Nisi adjiciatur reconciliationi pactum, aut conditio de Dote, vel aliis non amplius restituendis*, prout notanter dicitur in Conclusione: Hoc enim si fiat, prout fieri potest, adultera per reconciliationem utique nihil acquirit, ut bene observat Sanchez *loc. cit. n.* 22. Nec obstat *l. Transigere.* 18. *C. de Transact.* ubi prohibitum est, super adulterio transigere. Resp. enim, ibi tantum prohiberi, ne uxor transigens promittat viro aliquid, quod ad eum alias non pertinet; cujusmodi non est Dos post sententiam jam latam, utpote viro pleno jure alias jam competens.

109 Quaeritur V. Qualia privilegia, et favores habeat uxor ratione Dotis, et aliorum? Resp. I. Uxor ratione Dotis habet tacitam, eamque valde privilegiatam Hypothecam in omnibus bonis mariti, ita ut praeferatur omnibus aliis creditoribus. Unanimis et certa, texto expresso *l. In rebus.* 30. *C. de Jure Dotium.* ibi: *In rebus Dotalibus sive mobilibus, sive immobilibus, sive se moventibus (si tamen extent) sive aestimatae, sive inaestimatae sint, mulierem in his vindicandis, omnem habere post dissolutum Matrimonium praerogativam, jubemus, et neminem creditorum mariti, qui anteriores sunt, posse sibi potiorem causam in his per Hypothecam vindicare*, et *l. Assiduis.* 12 § 1. *C. Qui potiores pign.* ibi: *Sancimus ex stipulato actionem, quam mulieribus jam pro instituenda dedimus, cuique etiam tacitam donavimus inesse hypothecam, potiora jura contra omnes habere creditores, licet anterioris sint temporis, privilegio vallati etc. licet res Dotales, vel ex his aliae*

comparatae non extent, sed quocunque modo vel dispositae, vel consumptae sint.

110 Resp. II. Quamvis *Lib. III. Tit. XXIII. de Solutionibus*, *n.* 86. cum Gailo tanquam probabile docuerimus, creditores anteriorem expressam hypothecam habentes praeferri uxori, tamen aeque probabile, imo probabilius reputamus, quod uxor pro Dote sua recuperanda vi tacitae suae hypothecae praeferatur omnibus anterioribus creditoribus mariti etiam expressam hypothecam habentibus. Fachin. *lib.* 10. *Controv. controv.* 36. Mynsing. *Cent.* 4. *Observ.* 13. Hennoldus *Tr.* 4. *cap.* 5. *Controv.* 10. *n.* 440. et alii contra Gailum *lib.* 2. *Observat.* 25. *n.* 10. Covarruviam *p.* 1. *cap.* 9. *n.* 1. *et seqq.* Jasonem, Zasium, et alios. Probatur Conclusio ex Legibus *num. praeced.* allegatis: hae enim, dum universaliter dicunt uxorem praeferri omnibus creditoribus, anteriorem hypothecam habentibus, non distinguendo inter hypothecam tacitam, vel expressam, de qualibet intelligendae sunt. Tum quia Lex universaliter loquens, universaliter est intelligenda, *arg. c.* 22. *de Privileg. et ubi Jus non distinguit, nec nos distinguere debemus. arg. l. de Pretio. ff. de Public. in re act.* Tum, quia, si Legislator voluisset aliorum creditorum hypothecas expressas excipere, id exprimere debuisset, cum facile potuisset, *arg. l. un.* §. 11. ✠. *Sin autem deficientis. C. de Caduc. toll.* Tum etiam, quia alias Leges *num. praeced.* citatae facile eliderentur, nullumque, vel certe raro haberent effectum; eo quod in paucissimis casibus tacita hypotheca sit *concessa*

Objectiones contra Conclusionem hanc vide apud Patronos ejusdem, quia est mere Civilis.

111 Resp. III. Privilegium praelationis uxori pro repetenda Dote competens, non transit ad haeredes extraneos, bene vero ad descendentes. Prima pars de haeredibus extraneis caret controversia, textu expresso *l. un. C. de Privileg. Dotis*, ibi: *Scire debes, privilegium Dotis, quo mulieres utuntur in actione pro Dote, ad haeredem non transire*, quod saltem de extraneis haeredibus intelligi debet. Altera pars una cum prima patet ex *Novell.* 91. *in Praefat.* ibi: *Non enim aliis dedimus dudum, et damus hoc privilegium, ut haeredibus aut creditoribus, sed solis filiis.*

112 Limitantur tamen ultimae hae Conclusiones in sumptibus funerum, et iis, quae ad hos reducuntur, ut Medici, Chirurgi, Pharmacopaei in ultima infirmitate, utpote qui omnes uxori praeferuntur juxta dicta *Lib. III. Tit. XXIII. n. n.* 81. ubi vide.

TITULUS XXI.

De secundis Nuptiis.

1 *Ratio continuationis. Secundae Nuptiae quid?*

Solent persaepe primas Nuptias secundae sequi. Hinc postquam de Matrimonio primo, et illud concomitantibus huc usque dictum, merito sequitur etiam Titulus de *Secundis Nuptiis*, id est sequentibus primas, seu primum Matrimonium. Per *secundas Nuptias* siquidem intelliguntur non tantum illae, quae *primas* immediate sequuntur, sed etiam *tertiae*, *quartae*, et deinceps, *l. Si quis prioris.* 8. §. 4. *et* 2. *C. h. t.*

§. I.

De Valore, et Honestate secundarum Nuptiarum, et praevia notitia de morte conjugis necessario requisita.

SUMMARIUM.

2 *Secundae Nuptiae licitae, et validae sunt. Et n. seq.*
4 *Etiam ante finitum annum luctus.*
5 *De poenis secundo nubentium Remissive.*
6 *Leges Civiles quoad tempus secundarum Nuptiarum non amplius attenduntur.*
7 *Ad secundas Nuptias licite celebrandas non sufficit opinio de morte conjugis, aut diuturna ejus absentia, sed requiritur certitudo moralis.*
8 *Quae tamen sufficit,*
9 *Quae quando adsit, arbitrio Judicis relinquitur.*
10 *Habetur autem certitudo moralis, quando adest attestatio Parochi,*
11 *Vel alia publica, vel authentica,*
12 *Aut duo idonei testes de visu.*
13 *Qualis esse potest etiam consanguineus defuncti, non item conjux.*
14 *Item si cum uno teste de visu, aut cum fama, aut cum testibus de auditu concurrunt conjecturae.*
15 *Unus tamen testis sine conjecturis non sufficeret ad probandam mortem conjugis. Et duobus n. seqq.*
18 *Sic ut nec sola fama.*
19 *Quando adest certitudo moralis, potest Parochus absque praescita Ordinarii assistere secundis Nuptiis.*
20 *Secus est, quando de tali certitudine dubitatur.*
21 *In tali dubio nec ipse Ordinarius dare potest licentiam copulandi.*
Subinde exigit juramentum, et quando? Ibid.
22 *Qui stante dubio de morte conjugis Matrimonium cum alio habente bonam fidem contrahit, tenetur huic reddere debitum, petere tamen non potest. Estque Matrimonium validum, si vere mortuus est conjux. Et num. seq.*
24 *Si deponat dubium, etiam petere potest.*
25 *Si ambo conjuges in dubio de morte conjugis contrahunt, nec petere, nec reddere possunt debitum.*
26 *Nisi dubium prudenter deponant.*
27 *Quid faciendum conjugibus, si post Matrimonium superveniat dubium? Et num. seqq. usque ad n.* 30.
30 *Si post Matrimonium etiam optima fide contractum, habetur moraliter certa notitia de vita prioris conjugis, illico ab omni carnali commercio abstinendum, et eidem adhaerendum est.*

Quaeritur I. An licitae, et validae sint secundae, tertiae, quartae, et ulteriores Nuptiae? Resp. Affirmative. Ita hodie unanimis et certa. Patetque ex S. Scriptura, et utroque Jure. Sic enim inprimis 1. *ad Corinth*: 7. aperte dicitur: *Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat, tantum in Domino*, et 1. *Timoth.* 5. vult Apostolus *viduas juniores nubere.* Deinde *Aperiant.* 11. cau 31. q. 1. dicitur: *Ego nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia bigamiam, imo nec trigamiam, ita licere quinto, et sexto, et ultra, quomodo et secundo marito nubere.* Concordant sequentes Canones *eod. cau. et q.* suppóniturque *tot. h. t.* Conceduntur etiam a Jure Civili saltem post annum *tot. Tit. C. eod.* 2

3 Nec obstat *can. Hac ratione.* 9. *cau.* 31. *q.* 1. ubi Joannes Chrysostomus ait, quod secundam conjugem accipere *secundum veram rationem vere fornicatio est.* Resp. enim illum Canonem esse exiguae auctoritatis, nec a S. Chrysostomo, sed eb Auctore imperfecti operis provenire. Nam *longe cautius loquitur Verus Joannes Chrysostomus*; ut ibidem bene advertit annotatio Gregoriana. Vel dic cum Glossa, Canonem hunc loqui justa sensum antiquae Legis a Christo jam correctae.

4 Resp. II. Quamprimum legitime constiterit de morte conjugis, etiam ante annum luctus, id est, ante annum a morte prioris conjugis elapsum, licitae sunt *secundae Nuptiae.* Ita hodie rursus unanimis et certa; quia Juris Civilis dispositio *L.* 1. *et* 2. *C. h. t.* cum Concordantiis prohibens sub poena infamiae secundas Nuptias intra annum luctus, a Jure Canonico correcta est c. *Super illa.* 4. *h. t.* ibi: *Super illa quaestione, qua quaesitum est, an mulier possit sine infamia nubere intra tempus luctus secundum Leges diffinitum? Resp. quod cum Apostolus dicat: Mulier viro suo mortuo soluta est a lege viri sui, in Domino nubat, cui voluerit per licentiam et auctoritatem Apostoli ejus infamia aboletur.*

5 An autem, et quas poenas de Jure Civili incurrant secundo nubentes, dicetur §. *seq.*

6 Caeterum colliges, abrogatas et non amplius attendendas esse Leges Civiles, certum tempus, certumque modum, et circumstantias praescribentes de habenda notitia mortis prioris conjugis, et inde licitis secundis Nuptiis, ut *l. Uxore.* 6. *ff. de Divortio. l. Uxor.* 7. *C. de Repud. et Novell.* 117. *cap.* 11.

7 Queritur II. Qualis requiratur notitia de morte conjugis ad hoc, ut secundae Nuptiae licite celebrari valeant? Et ad quem pertineat de hac notitia judicare? Resp. I. Ut secundae Nuptiae licite contrahatur, non sufficit dubium, aut probabilis opinio de morte conjugis, etiamsi plurimis annis jam absit conjux, sed requiritur et sufficit notitia moraliter saltem certa. Sanchez *lib.* 2. *Disp.* 46. *n.* 6. *et* 7. Bosco *Disp.* 12. *sect.* 12. *Concl.* 2. *n.* 22. Abbas *in c. In praesentia. de Sponsal. n.* 6. *et c. Quoniam. n.* 12. *Ut lite non contest.* Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *n.* 1. *et* 2. ubi testatur de communissima, Covarruvias *p.* 2. *cap.* 7. §. 3. *n.* 3. Gutierez *lib.* 2. *pract. qq. q.* 8. *n.* 4. *et seqq.* et alii. Probatur, quod non sufficiat dubium, aut opinio probabilis, nec absentia plurium annorum, sed requiratur certitudo ex c. *In praesent.* 19 *de Sponsalib.* ubi casus dignus, ut totus referatur, ita proponitur, et solvitur, ibi: *In praesentia nostra quaesivisti, quid agendum sit de mulieribus, quae viros causa captivitatis, vel peregrinationis absentes, ultra septennium praestolatae fuerint, nec certificari possunt de vita, vel de morte ipsorum: licet super hoc sollicitudinem adhibuerint diligentem, et pro juvenili aetate, seu fragilitate carnis nequeunt continere, petentes, aliis Matrimoniis copulari. Consultationi ergo tuae taliter respondemus, quod quantocunque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis non possunt ad aliorum consortium canonice convolare, nec auctoritate Ecclesiae permittas contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.* Ubi specialiter notanda verba: *Certum nuncium recipiant de morte virorum.* Concordat c. 2. *h. t.* ibi: *Sane super Matrimoniis, quae quidam ex vobis (non habita abeuntis conjugis certitudine) contraxerunt: id vobis respondemus, ut nullus admodo ad secundas Nuptias migrare praesumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus:* ubi rursus notanda verba, *Donec ei constet*, videlicet *certa*, quia haec sunt correlativa ad propositam materiam de Matrimoniis, in quibus non habebatur *abeuntis conjugis certitudo.* Ratio est: Tum quia ubi certitudo non adest, in contrahendo subintrat periculum nullitatis Matrimonii secundi, et imminentia adulterii, in abstinendo vero nullum; consequenter ad evitandum utriusque praesertim peccati periculum, abstinendum est, donec certo constet.

8 Quod autem sufficiat certitudo moralis, tenent DD. *num. praeced.* relati, *ar. can. Cum jam bellicam.* 1. *cau.* 34. *q.* 2. ibi: *Nec tamen culpabilis judicetur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimabatur, assumpsit:* ubi ly *non esse existimabatur*, plus sane non significat, quam certitudinem moralem, et c. *fin. Porro, et lite non contestata*, ibi: *Tam diu alteruter conjugum expectetur, donec de ipsius obitu verosimiliter praesumatur:* ubi *verosimiliter praesumatur* rursus plus non indicat, quam certitudinem moralem. Quod autem hic, et praecedens textus saltem certitudinem moralem significent, et de illa intelligendi sint, desumitur ex Juribus *num. praeced.* allegatis, quibus Jura citata hoc *num.* concordanda sunt, ut evitetur Jurium correctio, c. *Cum expediat, de Elect. in* 6.

9 An autem, quando, et quomodo haec certitudo moralis de morte conjugis sufficienter habeatur, Judicis Ecclesiastici prudenti judicio, attentis circumstantiis dijudicandum relinquitur, ut bene advertit Gutierrez *l.* 2. *pract. qq. q.* 8. *n.* 9. Sanches *lib.* 2. *Disp.* 46. *n.* 7. Layman *loc. cit. n.* 1. Abbas *in c. In praesent. de Sponsal. n.* 6. ubi ait: *in summa, hanc materiam relinquerem arbitrio Judicantis, ut diligenter omnibus ponderatis consideret, utrum de morte sit facta certificatio.*

10 Resp. II. Dantur tamen plures probationes et modi, ex quibus certitudo moralis de morte conjugis sufficienter habetur. Probatur inductione. Sic enim I. sufficiens certitudo moralis de morte conjugis habetur, si de ea testatur Parochus, quia hujus testimonium ex libro Baptismi, Matrimoniorum, et mortuorum sufficienter probat, justa dicta *Lib. II. Tit. XXII. n.* 127.

11 II. Si constet de ea per attestationem, aut Instrumentum publicum, vel authenticum a Magistratu Ecclesiastico, Politico, aut Militari datum, vel a Notario publico, vel alia persona, in publica auctoritate constituta confectum; quia etiam haec plene probant, justa dicta *Lib. II. Tit. XXII. de Fide Instrumentorum*, et Mascardum *de Probat. Concl.* 1101. *n.* 5.

12 III. Si adsunt duo testes de visu: hi siquidem ordinarie plene probant, per dicta *Lib. II. Tit. XX.* §. 8. *n.* 231. *et seqq.* Censentur autem ad praesens testes de visu non solum, qui conjugis morti interfuere, vel illum mortuum videre, sed etiam ejusdem sepulturae, vel Exequiis, Septimo, et Trigesimo interfuerent, aut sepulchrum, et consanguineos illius viderunt, simulque audierunt, conjugem esse mortuum, sepultum, lugeri etc. Mascardus *de Probat. Concl.* 1077. Gobatb *Tr.* 9. *n.* 312.

13 In quo casu etiam consanguinei sufficiens testimonium ferunt, uti post Joan. Andream bene docet Mascardus *loc. cit. n.* 3. quia consanguinei plerumque magis praesumuntur scire mortem sibi conjunctorum, quam alii, *arg. l. de Tutela. C. de in Integrum restitut.* Uxorem tamen insufficientem testem esse ad probandam mortem conjugis, merito docet Gobatb *loc. cit. n.* 310. quia in propria causa nemo idoneus testis esse censetur, *l. Nullus. ff. de Testib. et l. Omnibus. C. eod.* Est autem haec causa propria uxoris hoc ipso, quod ejus emolumentum, et damnum concernat in contrahendo cum alio, *arg. L.* 1. §. 11. *ff. Quando appelland. sit.*

14 IV. Si cum uno teste de visu, vel cum fama, vel cum pluribus testibus de auditu concurrunt alie

verosimilia indicia et conjecturae de morte conjugis, v. g. si sit senex, aut aeger, item cum potuisset, et forsan etiam promisisset, non redierit, si praelium, aut periculosam navigationem ingressus, aut in loco, ubi pestis aut fames grassabatur, moratus, diu non compareret, et interim constat, hujusmodi occasione plures gladio vel naufragio, contagiosa lue, aut penuria periisse etc. Ratio est; quia etiam per haec sufficiens fit probatio, ut patet ex dictis *Lib. II. Tit. XX.* et in specie tenet etiam Gobath *loc. cit. n.* 314.

15 Volunt aliqui, ut Abbas *in c. In praesentia de Sponsalib. n.* 6. et ibi Hostiensis *in fine*, ac alii, etiam unicum testem de visu facere sufficientem probationem de morte conjugis, *arg. cit. c. In praesentia. de Sponsalib.* vi cujus sufficit habere *certum nuncium de morte conjugis.* Sanchez tamen *lib.* 2. *Disp.* 46. *n.* 11. *et* 12. cum Bartolo, Manuel, et aliis probabilius negat, nisi concurrant aliqua adminicula, aut conjecturae ex recensitis, uti bene temperat Gutierrez *de Matrim. cap.* 51. *n.* 2. Ratio est; quia regulariter loquendo unus testis plene non probat, per dicta *Lib. II. Tit. XX. de Testib.* §. 8.

16 Nec in contrarium quid evincunt verba *c. In praesentia. de Sponsalib.* ly *certum nuncium*, quia haec verba non in masculino, sed neutro genere accipienda sunt, ita ut certam relationem, non autem certam personam significent; cum una quantumvis idonea persona relationem de Jure certam non faciat per dicta *Tit. de Testib.*

17 Unum tamen casum allegat Sanchez *loc. cit. n.* 12. quo unus testis saltem juratus sufficientem probationem de morte conjugis faceret; si nempe obitus contigisset in valde distanti, aut tali loco, aut alia certior probatio aut omnino non, aut non nisi difficillime haberi posset. Videat tamen de hoc Judex.

18 Porro sicut unus testis etiam de visu sufficienter non probat, sic nec sola fama satis probat mortem conjugis sine aliqua ex conjecturis, aut adminiculis *n.* 14 allegatis. Patet ex dictis *Lib. II. Tit. XX. a n.* 400. ubi probatur, quod sola fama regulariter non faciat plenam probationem.

19 Resp. III. Quando habetur certitudo moralis de morte conjugis, prout habetur per modos, seu probationes a *n.* 10 *usque ad* 15. allegatos, potest Parochus nulla petita licentia Ordinarii, et absque illius praescitu Matrimonio assistere, eoque novos conjuges licite copulare. Rodriquez *in Summa p.* 1. *cap.* 233. *Concl.* 2. Gutierrez *lib.* 2. *pract. qq. q.* 8. *num.* 9. et post eos Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *cap.* 3. Bosco *Disp.* 12. *sect.* 12. *Concl.* 2. *a num.* 39. quia in casu, quo moralis certitudo adest, ipsa Jura *num.* 4. *et seqq.* allegata facultatem nubendi tribuunt, consequenter licentia Ordinarii non amplius est necessaria. Accedit, quod *cum, qui jam certus est, certiorari amplius non oporteat*, *c. cum, qui de Reg. Jur. in* 6.

20 Si vero Parochus, aut contrahere volentes dubitant, an adsit sufficiens certitudo moralis, Ordinarium consulere, et ejus responsum exspectare utique oportebit; cum in dubio ad eum spectet judicare, an adsit sufficiens certitudo de morte conjugis nec ne, prout jam supra *n.* 9. dictum est.

21 Quod si ipse etiam Ordinarius dubitat de certitudine morali, aut probabilem tantum praesumptionem adesse judicet, dare licentiam contrahendi non potest juxta dicta *num.* 7. quod amplius et sufficienter probat Layman *loc. cit. n.* 11. *a* 9. §. *Dico: II.* Si vero eam adesse opinatur, non tamen sine timore de opposito, eo quod probationes vulgo non usque adeo perfectae videantur, potest et solet conjugi deferre juramentum, quod nec sciat, nec credat, conjugem amplius esse in vivis.

Quaeritur III. Quid Juris, si in dubio, aut cum sola probabilitate de morte conjugis fiant secundae Nuptiae? Resp. I. Si unus conjugum stante dubio de morte conjugis, alter vero bona fide contraxit; tenetur ille, qui cum dubio, consequenter mala fide contraxit, alteri cohabitare, et reddere debitum, petere autem non potest, nisi postea dubium prudenter deponat. Abbas *in c.* 2. *h. t. n.* 4. et ibi Joan. Andreas *n. un.* Ancharanus *n.* 5. Sanchez *lib.* 2. *Disp.* 42. *n.* 2. Bosco *Disp.* 12. *sect.* 12. *Concl.* 2. *a num.* 30. cum communi aliorum contra Pontium. Probatur manifeste ex *cit. c.* 2. *h. t.* ubi ad casum, quo quis cum dubio de morte conjugis facit secundas Nuptias, ita respondet Papa: *Si vero aliquis vel aliqua id hactenus non observavit, et de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum ei, quae sibi nupsit, debitum non denegat postulanti, quod a se tamen noverit nullatenus exigendum.* Concordat *c. Inquisitioni.* 44. *de Sentent. Excomm.* 22

23 Ex quo infertur, tale Matrimonium cum dubio consequenter cum mala fide unius initum, non esse invalidum, ut putat Pontius, sed revera validum (casu quo prior conjux revera obiit, etsi a dubitante non sciatur) hoc ipso enim, quod Papa in tali casu praecipiat redditionem debiti, supponit, Matrimonium posse esse validum; alias enim redditionem debiti, quae est actus non nisi conjugibus licitus, concedere haud posset, prout bene argumentatur Bosco *loc. cit. n.* 32. et Sanchez *loc. cit. n.* 4.

24 Additur autem notanter in Conclusione, *nisi dubium prudenter deponat*; hoc enim si facit, reddere et petere potest, juxta communem, et patet clare ex *cit. c.* 2. *h. t.* ibi: *Si adhuc dubitet*, id est, si, postquam in dubio contraxit, post contractum adhuc pro tempore dubitet, consequenter si adhuc, seu amplius non dubitet, sed inveniat, solum fuisse scrupulum, etiam petere poterit debitum, *arg. c. Inquisitioni.* 44. *de Sentent. Excomm.*

25 Resp. II. Si ambo conjuges stante dubio de vita prioris conjugis, consequenter mala fide contrahunt, uterque privatus existit jure tam reddendi, quam petendi debitum. Sanchez *lib.* 2. *Disp.* 42. *num.* 7. dicens id certissimum esse, et alii. Ratio est; quia si uterque mala fide contrahit, nulli suffragatur possessio, consequenter nullus habet jus ad debitum conjugale, *arg. can. Si virgo.* 5. *can.* 34. *q.* 1. et *l. Bona* 48. §. 1. *ff. de Acquir. rer. domin.* Accedit, quod, quamdiu ambo conjuges manent in dubio practico, an conjux prior adhuc vivat, consequenter an Matrimonium eorum mala fide contractum valeat, nec ne, hoc ipso debitum petere aut reddere non valeant; cum stante dubio practico operari non liceat, ut tenent communiter Theologi.

26 Si tamen dubium prudenter deponant, conjugem, postquam hoc secundum Matrimonium inierunt, revera fuisse mortuum, consequenter Matrimonium eorum esse validum, reddere et petere possunt. Perez *de Matrim. Disp.* 53. *sect.* 2. *n.* 4. *arg. c.* 2. *h. t.* ibi: *Si Matrimonio jam contracto adhuc dubitaverit*: vide etiam dicta *n.* 24.

27 Resp. III. Si post Matrimonium ab utroque bona fide jam contractum, uni vel utrique supervenit dubium de vita prioris conjugis, consequenter de valore Matrimonii, tenetur dubitans inquirere de veritate, et interea abstinere a petendo debito, quamvis reddere illud possit bona fide petenti: Si uterque dubitat, uterque a reddendo, et petendo, donec diligenter inquirat, abstinere debet, hoc ipso, quod neutri petenti alter reddere non possit. Quod, si autem facta diligenti inquisitione solum dubium adhuc remanet, uterque petere et reddere poterit. Sanchez *Disp.* 41. *a n.* 44. citans plures alios. *Prima*

pars, quod dubitans inquirere, et interea a petendo debito abstinere tenetur, inde patet, quia universaliter, etiamsi aliquis rem bona fide incipiat possidere, tamen si postea dubitat, an non sit alterius, tenetur inquirere, et donec inquirat, ab ejus usu abstinere; frustra enim alias inquireret dominum rei, si non teneretur eam eidem conservare, ut cum aliis bene argumentatur Sanchez *lib.* 2. *Disp.* 41. *n.* 21. Ergo etiam, licet quis bona fide contraxerit Matrimonium, tamen si dubitat, an non corpus pertineat ad alterum, ab ejus usu abstinendum erit, donec indagetur. Quod autem reddere bona fide petenti teneatur, patet ex dictis *n.* 22. et Juribus ibidem allegatis.

28 *Altera pars*, quod, si post diligentem Inquisitionem solum maneat dubium, uterque reddere et petere possit, probatur ex illa universali Doctrina, quod, si bonae fidei possessor incipiat dubitare, rem esse alienam, et post diligentem inquisitionem dubium vincere nequeat, possit rem non tantum retinere, sed ea etiam uti, prout probat Sanchez *loc. cit. n.* 22. *et n.* 46. ergo idem erit de possessione et usu Matrimonii.

29 Dicitur autem notanter *num.* 27. Si post indagationem *solum manet dubium*: si enim motivum vere probabile supervenit, priorem conjugem adhuc vivere; econtra de morte ejusdem aequale motivum non adest, seu, quod aderat, enervatum est, taliter opinanti sola redditio, non item petitio debiti licita est: ut bene advertit Gobath *loc. cit. nu.* 642. *arg. c. Inquisitioni.* 44. *de Sentent. Excomm.* ibi: *Verum cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili, et discreta, quamquam non evidenti et manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet.*

30 Resp. IV. Si post Matrimonium etiam optima fide ab utroque conjuge contractum supervenit notitia saltem moraliter certa, habens talem notitiam nec reddere, nec petere amplius potest debitum, sed illico ab omni carnali commercio, et periculo ejusdem abstinere, prioremque ad conjugem reverti debet, etiamsi probare nequeat, et propterea ad conjugaliter cohabitandum marito, Excommunicatione, aut aliis gravibus poenis compellatur. Communis et certa claris Juribus *c.* 2. *h. t.* ibi: *Quod si post hoc de prioris conjugis vita constiterit, relictis adulterini complexibus ad priorem conjugem revertatur*, et *c. Inquisitioni.* 44. *de Sentent. Excomm.* ibi: *Debet potius sententiam Excommunicationis humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale.* Ratio est; quia commercium carnale cum alio quam conjuge intrinsece malum est, consequenter nunquam licet, *arg. c. Litteras.* 13. §. *Porro. de Restitut. spoliat. et Clement. fin.* §. *Septimo. de Haeret.*

§. II.

De Benedictione secundarum Nuptiarum: Et de Poenis secundo nubentium.

SUMMARIUM.

31 *Benedictio Nuptiarum quid? Et a quo fieri debeat?*

32 *De Jure secundae Nuptiae non benedicuntur.*

33 *Bene vero alicubi de consuetudine, vel specialibus statutis: uti Frisingae.*

34 *Benedicens Nuptias secundas, quam poenam incurrat?*

35 *Poenae secundo nubentium aliae sunt principaliter in odium secundarum Nuptiarum statutae: Et quae?*

36 *Aliae sunt principaliter statutae in favorem liberorum primi Matrimonii. Nam I. Uxor ad secundas Nuptias transiens amittit omnia a primo viro acquisita, eaque accrescunt liberis.*

37 *Idem reciproce est de marito secundo nubente.*

38 *II. Secundo nubens non potest secundo conjugi plus deferre, quam uni ex liberis primi Matrimonii.*

39 *III. Mater, non item pater ad secundas Nuptias transiens amittit tutelam liberorum.*

40 *IV. Mater secundo nubens privatur jure educandi liberos, et quomodo? cum duobus num. seqq.*

43 *Mulier secundo nubens amittit privilegia honoris a priore conjuge habita.*

44 *De aliis poenis secundo nubentium. Remissive.*

45 *Omnes poenae in odium secundarum Nuptiarum principaliter statutae sublatae sunt. Et num. seq.*

47 *Solvitur objectio.*

48 *Poenae secundo nubentium in favorem liberorum statutae etiamnum procedunt.*

49 *Legatum sub conditione, si non amplius nubas, valet.*

Jam constat ex dictis, quod per Benedictionem 31
Nuptiarum aliud non intelligatur, quam preces, et caeremoniae ab Ecclesia praescriptae in solemnitate Nuptiarum adhiberi solitae, *can.* 1. *cau.* 30. *q.* 5. quam Benedictionem sanctam et laudabilem esse, definitum est a Concilio Trident. *Sess.* 24. *de Sacram. Matrim. can.* 9. quod Concilium *ead. Sess. cap.* 1. *de Reform. Matrim.* etiam statuit, jus benedicendi Nuptias soli Parocho loci competere, non obstante immemoriali consuetudine contraria; prout etiam supra jam dictum habetur. Hinc praecise hic de Benedictione secundarum Nuptiarum quaestio remanet.

Quaeritur I. An? et quando secundae Nuptiae be- 32
nedici possint, et debeant? Resp. I. Loquendo de Jure, in secundis Nuptiis non amplius adhibetur Benedictio, sive ambo conjuges, sive alteruter tantum in priori Matrimonio Benedictionem jam susceperint. Abbas *in c. Vir autem. h. t. n.* 3. et ibi Joan. Andreas *n.* 2. Ancharanus *n.* 1. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 82. *n.* 15. cum communi, *arg. cit. c.* 1. *et* 3. *h. t.* ibi: *Vir autem, vel mulier ad Bigamiam transiens non debet a Presbytero benedici.* Ratio hujus varie assignatur a Doctoribus, sed optime est, quae in *cit. c. Vir autem.* allegatur, quia videlicet Benedictio semel collata semper adhuc durat, ibi: *Quia, cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet.* Iteraretur autem, etsi unus, non item alter jam esset benedictus, hoc ipso, quod Benedictio illa utrique conjugi sit communis, prout *loc. cit.* bene advertit Abbas *n.* 2. *in fine*, et ibidem Fagnanus *n.* 6. praesertim cum, uno conjuge excluso alterius Benedictio inconveniens, et contra morem Ecclesiae foret.

Dicitur autem notanter de *Jure*: quia de consue- 33
tudine aut specialibus statutis in pluribus Dioecesibus etiam secundae Nuptiae benedicuntur, saltem si unus conjugum, praesertim si sponsa adhuc nunquam fuit benedicta. Unde circa hoc inspicere oportet Ritualia Dioecesana. In Frisingensi Dioecesi quoad Rituale ejusdem *cap.* 9. *Membro* 1. §. 8. ita disponitur: *Caveat Parochus sub poena suspensionis ipso facto incurrenda, ne quando conjuges in primis Nuptiis benedictionem acceperunt, eos in secundis benedicat.* Concedit tamen ibidem secundarum nuptiarum benedictionem, si vir secundo, uxor vero prima vice nubit: non item, si uxor, secundo et vir prima vice nubit.

Resp. II. Quamvis plures apud Sanchez *lib.* 7. 34
Disp. 82. *num.* 27. velint, quod Sacerdos secundas

Nuptias benedicens, de Jure incurrat poenam Suspensionis *arg. c.* 1. *h. t.* ibi: *Capellanum (quem Benedictionem cum secunda constiterit celebrasse) ab Officio Beneficioque suspensum litterarum tuarum testimonio ad Sedem Apostolicam nullatenus destinare postponas.* Nihilo minus communior et probabilior cum Abbate *in cit. c.* 1. *h. t. n.* 5. Sanchez *loc. cit. n.* 30. docet, Suspensionem non incurri, sed aliam poenam mitiorem arbitrio Ordinarii imponendam esse. Ratio est, quia poena debet mensurari delicto, quod in praesenti non fieret; cum Benedictio secundarum Nuptiarum secluso scandalo sit delictum modicum, Suspensio autem ab Officio, et Beneficio sit poena gravissima. Ad c. 1. *h. t.* respondetur, id intelligendum esse de casu, quo quis benedicit Nuptias secundas, quando nondum constat de morte prioris conjugis, vel esse intelligendum de benedicente absque licentia legitimi Parochi, *arg. cit. c.* 1. *h. t.* ibi: *Capellanum etc.* Cujusmodi benedicens etiam vi Concilii Tridentini suspensus est, *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.*

35 Quaeritur II. Quae poenae a Jure Civili statutae sint contra secundo nubentes? Quae item ex illis a Jure Canonico revocatae sint, et quae non? Resp. I. Varias poenas a Jure Civili esse statutas in secundo nubentes, quae duplicis generis sunt. Aliae siquidem principaliter sunt statutae in odium secundarum Nuptiarum, vel nimis accelerati transitus ad illas. Aliae vero principaliter sunt statutae in favorem liberorum prioris Matrimonii.

Primi generis, seu in odium secundarum Nuptiarum, vel nimis accelerati transitus ad illas, sunt, quod vidua ante finitum annum luctus ad secundas Nuptias transiens I. Fiat infamis. II. Quod non possit titulo Dotis, vel ultimae voluntatis in secundum virum plus conferre, quam tertiam partem suorum bonorum, etiamsi nulli extent liberi prioris Matrimonii. III. Fit incapax cujuscunque haereditatis, legati, fideicommissi, et Donationis mortis causa. IV. Amittit omnia a primo viro per ultimam voluntatem, vel Donationem propter Nuptias acquisita, tam quoad proprietatem, quam quoad usumfructum. V. Etiam ab intestato succedere nequit consanguineis suis ultra tertium gradum, textu expresso *l.* 1. *C. h. t.* ibi: *Si qua mulier nequaquam luctus religionem priori viro nuptiarum festinatione praestiterit, ex Jure quidem notissimo sit infamis: praeterea secundo viro ultra tertiam partem bonorum in Dotem non det, neque ei ex Testamento plus quam tertiam partem relinquat. Omnium praeterea haereditatem, legatorum, fideicommissorum, suprema voluntate relictorum, mortis causa donationum sit expers. Haec namque omnia ab haeredibus vel cohaeredibus, aut ab intestato succedentibus vindicari jubemus etc. His etiam amittendis, quae prior maritus ei suprema voluntate reliquerit etc.* Concordat *L.* 2. *C. eod.*

36 *Secundi generis* poenae, seu in favorem liberorum prioris Matrimonii principaliter statutae, sunt sequentes. I. Quod vidua sive ante, sive post annum luctus ad secundas vel ulteriores Nuptias transiens amittat proprietatem omnium bonorum, quae sponsaliorum, nuptiarum, liberalitatis, aut ultimae voluntatis titulo a primo viro consecuta est, eamque liberis prioris Matrimonii reservare debet, solum usufructu ad dies vitae gaudens. Ita expresse statuitur *L.* 3. *C. h. t.* ibi: *Foeminae, quae susceptis ex priori Matrimonio filiis ad secundas (post tempus luctui statutum) transierint nuptias, quidquid ex facultatibus priorum maritorum, sponsaliorum jure, quidquid etiam nuptiarum solemnitate perceperint, aut quidquid mortis causa donationibus factis, aut testamento, jure directo, aut fideicommissi, vel legati titulo, vel cujuslibet liberalitatis praemio ex bonis (ut dictum est) priorum maritorum fuerint assecutae, id totum ita, ut perceperint, integrum ad filios, quos ex praecedenti conjugio habuerint, transmittant, vel ad quemlibet ex filiis (dummodo ex his tantum sit etc.) Nec quidquam eaedem foeminae ex iisdem facultatibus alienandum, in quamlibet extraneam personam vel successionem ex alterius Matrimonii conjunctione susceptam praesumant: atque habeant potestatem possidendi tantum, atque fruendi in diem vitae.*

37 Idem reciproce de marito ad secundas Nuptias transeunte dicendum est, ut videlicet acquisita aliquo ex praefatis titulo a defuncta conjuga, liberis prioris Matrimonii relinquat quoad proprietatem, solo usufructu eorumdem ad dies vitae gaudens. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 89. *nu.* 10. cum communi, Bartolus *in l. Foeminae. C. h. t. nu.* 2. et ibidem Baldus *in fine*, cum communi et certa aliorum, textu expresso *l. Generaliter.* 5. *prin.* et §. 1. *C. h. t.* ibi: *iisdem casibus maritum quoque, quae de bonis mulieris ad eum devoluta sunt, communibus liberis servare*, prout magis adhuc, et clare statuitur §. 1. *ibid.* Ratio est; quia liberorum favor in patre aeque, ac matre procedit.

38 II. Quod vir, vel mulier ad secundas Nuptias quocunque tempore transiens, nullo titulo sive Dotis, sive donationis propter nuptias sive sponsalitiae largitatis, sive ultimae voluntatis, sive quovis alio titulo plus in novum conjugem conferre possit, quam in unum ex liberis prioris Matrimonii; et si inaequalis divisio bonorum in liberos prioris Matrimonii facta est, non plus, quam in illum, qui minimum accepit. Ita rursus communis ac certa, textu claro *l. Hac edictali.* 6. *prin.* et *l. Cum apertissime.* 10. *C. h. t.*

39 III. Est, quod mulier secundo nubens amittat tutelam liberorum prioris Matrimonii, textu expresso *l. Matres.* 2. et *l. Authentica. Sacramentum.* et *l. fin. C. Quando mulier tutelae Officio.* Item perdit etiam curatelam, *l. Quod si nolit.* 21. §. 14. *ff. de Aedilit. edict.* Haec tamen poena non attingit patrem secundo nubentem, uti bene advertit Sanchez *l.* 7. *Disp.* 88. *num.* 12. Imo existente patre non datur liberis Tutor, nisi eosdem emancipet, *l. Si infanti. C. de Jure deliberand.* manetque pater legitimus administrator gaudens usufructu bonorum maternorum filiis quoad proprietatem competentium. *l. Generaliter.* 5. *prin.* §. *Negotia. C. h. t.* et *l. fin. de Bonis Matern.* ibi: *Patres igitur usumfructum rerum Maternarum, etiamsi ad secundas Nuptias migraverint, sine dubio habere debebunt.*

40 IV. Est, quod mater secundo nubens amittat educationem liberorum, ita ut ab ea separari, et in alio loco pro educatione collocari possint, et exigentibus circumstantiis etiam subinde debeant, *l.* 1. *Ubi pupilli*, ibi: *Educatio pupillorum nulli magis quam matri eorum, si non vitricum eis induxerit, committenda est*, ut *Nov.* 22. *cap.* 38. ibi: *Mater fide dignior ad filiorum educationem videbatur. dat ei etiam hoc Lex nisi ad secundas accesserit nuptias*, juncta *Novell.* 117. *cap.* 7. ibi: *Si mater ad secundas nuptias non venerit, apud matrem nutriantur*: ergo a sensu contrario si ad secundas nuptias venerit, educatio liberorum alibi fieri potest, et subinde etiam debet.

41 Disputat autem multum pro, et contra Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 88. *num.* 16. 17. et 18. an mater secundo nubens absolute privetur jure educationis liberorum; an vero solum ex praesumptione Juris habeatur eam pro suspecta; consequenter si ex conjecturis mater, et vitricus ab omni suspicione immunes videntur, liberi apud matrem (si velit) educandi, sunt relinquendi? Resolvit tandem *num.* 17. hoc ultimum, videlicet quod Jura ex praesumptione, et suspicione adimant Matri educationem filiorum,

et in dubio pro hac praesumptione standum sit: ubi vero conjecturae, et circumstantiae Matrem, et vitricum ab omni suspicione eximunt (quod judicare ad Judicem pertinet) Matris educationi liberi prae aliis relinquendi sunt, *arg. L. 1. C. ubi pupilli.* ibi: *Quando autem inter eam, et cognatos, et tutores, super hoc orta fuerit dubitatio, aditus Praeses Provinciae, inspecta personarum qualitate, et conjunctione perpendet, ubi puer educari debeat.*

42 Verum alii apud Sanchez *loc. cit.* volunt, Matrem secundo nubentem absolute privatam esse jure educandi liberos, ita ut quantumvis honesta existente matre et vitrico, alibi educandi collocari valeant, per Jura *n.* 40. allegata. Ad textum ex *L. 1. C. Ubi pupilli numer. praeced.* allegatum respondent, eum esse intelligendum de casu, quo Mater vidua permanet; ita ut si ipsa existente vidua inter eam et tutores, aut consanguineos lis moveatur, ubinam educari debeant liberi, Judex inspectis circumstantiis pronunciare debeat; potest enim bene contingere, quod Mater etiam vidua manens privetur jure educandi liberos, *arg. L. 1.* juncta Glossa ℣. *Ex conditione, et l. Si discrepetur.* 5. *ff. Ubi pupilli.* Quae sententia inspecto Jure sane valde probabilis apparet eamque tenent *in cit. Novell.* 117. *cap.* 7. ℣. *Non venerit.* Ancharanus *Consil.* 316. Menochius *de Arbitr. Jud. Centur.* 2. *casu.* 168. *n.* 10. Verum quia materia haec ex professo Civilistas concernit, ipsos consule, vide tamen etiam de ipsa Sanchez *loc. cit.*

43 V. Est, quod mulier secundo nubens perdat privilegia honoris, et immunitatis ratione prioris Matrimonii habita, gaudens imposterum solis privilegiis ratione posterioris Matrimonii sibi competentibus, *l. Filii.* §. 1. *ff. ad Municip.*

44 Plures alias poenas vide apud Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 88.

45 Resp. II. Non tantum infamia, sed etiam reliquae poenae in odium secundarum Nuptiarum contra secundo nubentes sublatae sunt, Jusque Civile correctum est a Jure Canonico *Prima pars* de poena infamiae est unanimis texto expresso *c.* 4. *et fin. h. t.* ibi: *Cum secundum Apostolum mulier mortuo viro suo ab ejus lege sit soluta, et nubendi, cui vult, tantum in Domino, liberam habeat facultatem: non debet Legalis infamiae sustinere jacturam, quae licet post viri obitum intra tempus luctus (scilicet unius anni spatium) nubat, concessa tamen sibi ab Apostolo utitur potestate: cum in his praesertim saeculares Leges non dedignantur SS. Canones imitari.*

46 *Alteram partem* de reliquis poenis *num.* 36. recensitis docent Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 87. *n.* 23. vocans sententiam verissimam, Innocentius *in c. fin. h. t. num. un.* et ibi Joan. Andreas *n.* 5. Abbas *num.* 3. Ancharanus *num.* 9. Pirhing *h. t. n.* 8. Bartolus, et Baldus cum communissima aliorum, quos vide apud Sanchez *loc. cit.* et Guttierez *loc. cit.* Ratio est; quia, licet *c. ult. et penult. h. t.* de sola poena infamiae fiat mentio, tamen causa principalis, ne videlicet libertas Matrimonio a Christo in remedium concupiscentiae concessa tollatur, etiam in aliis poenis militat; ubi autem eadem ratio est, eadem Legis est dispositio, *arg. l. Ideo. ff. de Legib.*

Dices c. *ult. et penult. h. t.* sunt correctoria Juris; ergo ultra expressa non sunt extendenda etiam ob identitatem rationis, *arg. l. Praecipimus.* 32. *C. de Appellat.* et *c. Quae a Jure. de Reg. Jur. in* 6. cum Concordantiis. Resp. Haec Jure limitari in casu, ubi est identitas rationis in Lege expressa, uti in praesenti; item quando aliud exigit favor publicae utilitatis, vel animae, prout amplius diximus *Lib. I. Tit. II. n.* 422. *et seqq.* ubi vide. 47

Resp. III. *Secundi generis* poenae in favorem scilicet liberorum statutae, et *num.* 37. recensitae, a Jure Canonico nullatenus sunt sublatae, sed adhuc sunt in suo vigore. Guttierez *de Matrim. cap.* 108. *nu.* 21. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 88. *nu.* 39. dicens esse communem fere omnium, Innocentius *in c. fin. h. t.* et ibi Hostiensis *n.* 3. Joan. Andreas *n.* 5. Ancharanus *n.* 9. Covarruvias *p.* 2. *de Sponsalib. cap.* 3. §. 9. *num.* 5. Pirhing *h. t. nu.* 9. Engel *h. t.* cum communissima aliorum contra Abbatem *in c. Ecclesia.* 10. *de Constit. n.* 15. Felinum, et alios paucos. Ratio est: Tum quia regulariter correctio Juris est odiosa, et ultra casus expressos non extendenda per Jura *num. praeced.* citata Tum quia illae poenae non sunt proprie poenae, sed potius beneficia et favores liberis prioris Matrimonii legitime potestate concessi, ob quos rationabiliter conqueri non potest pater vel mater, vel dicere, quod inde tollatur eorum libertas ad nubendum. Tum etiam quia nullus in toto Jure Canonico apparet textus, ex quo colligi possit dictarum poenarum abrogatio. Imo ibidem potius fit confirmatio illarum, *arg. c. Ex parte.* 67. *de Appellat.* ubi poenae amissionis tutelae *in l. Matres,* 2. *C. Quando mater,* constituta, expresse confirmatur. 48

Quaeritur III. An licita et valida, consequenter observanda sit conditio, qua conjux conjugi ita aliquid legat: *Lego tibi hoc, si non amplius nubas.* Resp. Quamvis talis conditio habeatur pro non adjecta, si adjiciatur haeredi, vel legatario, qui nunquam adhuc nupsit *l. Quoties.* 22. *l. Cum tale* §. *Maeviae ff. de Condit. et demonst.* tamen respectu viduae licita et valida, consequenter observanda est, ita ut, si Legatum habere velit, cautionem praestare debeat legatarius, quod illud non cum fructibus iterum restituere velit, casu, quo ad alias Nuptias transeat, Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 91. plurimos alios citans, texto expresso *Novell.* 22. *cap.* 43. *et seqq.* ubi etiam correctum est Jus Civile antiquum *L.* 2. *C. de indicta viduit.* vi cujus hujusmodi conditio habetur pro non adjecta Neque correcta videtur illa *Novell.* 22. a Jure Canonico praesertim, cum in potestate viri positum sit legare aliquid uxori, vel non; consequenter etiam sub conditione caeteroquin honesta, et per quam non demitur nubendi libertas, sed tantum sub conditione, si lucro et favore alias indebito frui velit. 49

APPENDIX

AD

LIBRUM QUARTUM DECRETALIUM

CONTINENS BREVEM SUFFICIENTEM TAMEN ET CLARAM THEORIAM AC PRAXIN

DE DISPENSATIONE SUPER IMPEDIMENTIS MATRIMONII

ET PETENDI DEBITUM

ITEM DE REVALIDATIONE MATRIMONII INVALIDE CONTRACTI

PRAEFATIO

AD LECTOREM

Experientia constat, dispensationis materiam, quamvis saepissime recurrat, tamen passim varia generare dubia, anxietates, difficultates, superfluas et inutiles expensas, ex eo, quod non pauci, etiam caeteroquin docti, ex defectu notitiae, praxis, ac styli in materia Dispensationis Matrimonialis miseris impedimento aliquo implicatis male consulant, aliis dicendo non superesse Dispensationis remedium, ubi facillime dispensari potest, aliis procurationem Dispensationis suadendo, ubi dispensari non potest, aut non solet; alios dirigendo Romam, quos Episcopus juvare posset; alios mittendo ad Poenitentiariam in casu, quo ad Datariam, vel aliud Tribunal pro Dispensatione in Foro externo deputatum recurrere oportet. Fiunt praeterea Supplicationes ita informes, ut falsum narrantes, vel necessaria omittentes, gratiam non nisi sub, et obreptitie obtineant, vel magnis cum expensis impetrent, quae in forma pauperum, vel alia via nullis, vel paucis habere potuissent. Hinc necessarium et utile duximus, brevem aliquam, sufficientem tamen Theoriam, et Praxin ita simpliciter et clare proponere, ut etiam minus experti in Jure, et praxi (pro his enim, non pro Doctoribus hanc Appendicem annectimus) eam faciliter capere, indigentibus utiliter consulere, consulendoque eosdem juvare valeant.

§. I.

De Potestate dispensandi super Impedimentis Matrimonii competente Papae, Nunciis Apostolicis, Episcopis, Capitulo sede vacante, et Vicariis Generalibus.

SUMMARIUM.

1 *Papa post super quovis Impedimento impediente dispensare,*
2 *Etiam ex Sponsalibus, vel Vota proveniente.*
3 *Potest etiam dispensare super Impedimentis, Jure duntaxat Ecclesiastico dirimentibus.*
4 *Enarrantur haec Impedimenta.*
5 *Dispensat in illis valide, sed non licite sine causo.*
6 *Nequit Papo dispensare super Impedimentis Jure Divino dirimentibus.*
7 *Recensentur haec Impedimenta.*
8 *Qualem potestatem dispensandi super Impedimentis habeant Nuncii Apostolici? Et num. seq.*
10 *Episcopus potest pro utroque Foro dispensare super impediente Impedimento sacrati Temporis, et vetiti,*
11 *Item super Votis non reservatis.*
12 *Minime vero in reservatis.*
13 *Nisi in casu urgentis necessitatis.*
14 *Regulariter loquendo, nequit Episcopus dispensare super Impedimentis etiam solo Jure Ecclesiastico dirimentibus.*
15 *Bene tamen in casu magnae et urgentis necessitatis, concurrentibus certis conditionibus.*
16 *Solvitur Objectio.*
17 *Urgente necessitate dispensat Episcopus in lege Ecclesiastico.*
18 *Consuetudo tribuit jurisdictionem.*
19 *In nullo casu potest Episcopus pro Foro externo dispensare super Impedimentis dirimentibus.*
20 *Episcopis concedi solent speciales facultates dispensandi etiam pro Foro externo super certis Impedimentis dirimentibus.*
21 *Enarrantur talia impedimenta.*
22 *Si dispensent pro Foro externo, debent aliqua necessario observare. Et quae?*
Privilegia, seu speciales facultates Episcopis concedi solita. Ibid.
23 *Debent Dispensationem in scriptis expedire, et ibidem quaedam necessario exprimere.*
24 *Secus quando pro Foro interno dispensant.*
25 *Super Impedimento Consanguinitatis, et Affinitatis vi specialis facultatis dispensant Episcopi cum solis pauperibus, super reliquis Impedimentis etiam cum aliis.*
26 *Pauperum nomine qui veniant? Remissive.*
27 *Quid importet, esse in tertio, et quarto, simplici, aut mixto? Et qualiter circa hos gradus intelligenda sit dispensandi facultas Episcopis specialiter concessa? remissive:*
28 *Forma Dispensationis Episcopalis pro Foro externo.*
29 *Episcopus etiam vi Privilegii dispensare non potest sine causa.*
30 *Quae causae pro Foro externo sufficiant?*
31 *Qui petit Dispensationem debet allegare causam, et Episcopus eam examinare.*
32 *Capitulum Sede vacante dispensat pro Foro con-*

scientiae super iisdem impedimentis occultis, super quibus Episcopus Jure Ordinario.

33 *Non item super quibus Episcopus dispensat ex speciali privilegio.*

34 *Vicarius Generalis Episcopi sine speciali mandato nequit dispensare super Impedimentis Matrimonii occultis in Foro interno, super quibus potest Episcopus jure Ordinario.*

35 *Multa minus super iis, super quibus Episcopus ex privilegio dispensat in Foro externo.*

36 *Episcopus potest Vicario Generali communicare dispensandi facultatem, quam habet ex privilegio pro utroque Foro.*

37 *Et quam habet Jure Ordinario pro Foro interno.*

38 *Solvitur Objectio.*

39 *Confirmatur universali consuetudine.*

40 *Non sufficit generale mandatum ad hoc, ut Vicarius Generalis dispensare valeat super Impedimentis Matrimonii.*

41 *Sed requiritur generale: Et quomodo?*
Observatia practica: Ibid.

1 Quaeritur I. An? et in quibus Impedimentis Matrimonii dispensare valeat Papa? Ante responsionem supponitur ex dictis, Impedimenta alia esse impedientia, alia dirimentia, alia Jure Divino, alia Jure duntaxat Ecclesiastico dirimere Matrimonium. Hoc supposito, Resp. I. Potest Papa pro utroque Foro in cunctis impedientibus duntaxat impedimentis dispensare. Unanimis et certa. Et quidem quod in Tempore sacrato, et in vetito, seu in hoc dispensare valeat, ut Matrimonium Tempore sacro, v. g. Quadragesimae, vel specialiter interdicto, et prohibito contrahatur, patet: Tum quia *ejusdem est solvere, cujus ligare.* Tum quia tanquam supremus Legislator potest in quovis Jure Ecclesiastico dispensare, *arg.* c. *Proposuit. de Concess. Praebend.* ubi de sua potestate loquens ait: *Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra Jus dispensare.*

2 De Sponsalibus satis patet ex dictis *Lib.* IV. *Tit. I. de Sponsalib. et Matrimon.* docetque cum communi Sanchez *de Matrimon. lib.* 1. *Disp.* 61. num. 2. Bosco *de Matrim. Disp.* 2. *sect.* 13. *num.* 229. Quamvis Sponsalia solvi potius, quam dispensari dicantur: ut bene advertit Bosco. De Voto autem ex dictis *Lib.* III. *Tit.* XXXIV. *de Voto, et Voti Redempt.* ubi ostenditur, et magis adhuc ex Theologia supponitur, posse Papam in cunctis Votis dispensare, ut dicetur adhuc magis ad propositum *num.* 6. Interea notandum quod dispensandum in Impedimento Voti, et Sponsalium Pontifex necessario habere debeat justam causam; quia ambo impediunt Matrimonium Jure Divino, in quo nec valide, nec licite dispensare potest Papa, justa dicenda in *num.* 6. Et de Sponsalibus specialiter etiam notat Bosco *loc. cit. num.* 229. Imo, ut bene *ibid. num.* 226. cum alii advertit, Sponsalia non tam dispensari, quam dissolvi. Caeterum ex qua causa, quomodo, ut in quibus votis dispensare possit et soleat, habetur infra *cit.* §. 3. *a. numer.* 141.

3 Resp. II. Potest etiam Papa super Impedimentis Jure duntaxat Ecclesiastico dirimentibus dispensare. Rursus Unanimis ac certa, *arg. cit. cap. Proposuit.* 4. *de Concess. Praebend.* petetque ex dictis *Lib.* I. *Tit.* II. §. XVIII. ubi prolixius habetur, quod Papa valeat in omni Jure Ecclesiastico dispensare.

4 Infertur, quod, cum Jure duntaxat Ecclesiastico dirimant sequentia Impedimenta videlicet, *Primo*, Cognatio spiritualis, juxta dicta *Tit* XI. *a.* 4. *Secundo*, Cognatio Legalis, juxta dicta *Tit.* XII. *Tertio*, Cognatio carnalis, seu Consanguinitas et Affinitas excepta linea recta; et primo gradu lineae transversae in Consanguinitate, et grade primo lineae rectae in Affinitate, ex copula licita, justa dicta *Tit.* XIV. *Quarto*, Votum solemne Religiosae Professionis, justa dicta *Tit.* VI. *Quinto*, Ordo, eodem *Tit. Sexto* Crimen, juxta dicta *Tit.* VII. *Septimo*, Cultus disparitas, *Tit.* I. *Octavo*, Publica honestas, justa dicta *Tit.* IV. *Nono*, Clandestinitas justa dicta *Tit.* III. *Decimo*, Raptus *Tit.* I. In iis omnibus dispensare possit Papa. Quando autem, et ex quibus causis super iisdem dispensare soleat, dicetur infra §. III. *per totum.*

Resp. III. Potest Papa super Impedimentis solo Jure Ecclesiastico impedientibus dispensare, etsi nulla adsit dispensandi causa; quamvis peccet, si absque justa causa dispenset. Patet Conclusio ex dictis *Lib.* I. *Tit* II. §. XVIII. *numer.* 478. ubi amplius dictum, et probatum est, validam quidem, sed illicitam esse Dispensationem, qua Legislator in propria, vel Antecessoris lege, sine justa causa dispensat. 5

Resp. IV. Nequit Papa dispensare in Impedimentis Jure naturali, vel Divino dirimentibus Matrimonium. Denuo communis et certa. Ratio est; quia Inferior (qualis respectu Dei etiam Papa est) nequit tollere, vel relaxare legem Superioris, nisi concessam ad hoc ab eo habeat potestatem, *arg. Clem. Ne Romani, de Elect.* Nullibi autem, nec ex SS. Paginis, nec ex SS. Canonibus, nec ex traditione vel usu Ecclesiae, nec aliunde constat, Papae concessam esse a Deo potestatem dispensandi in Impedimentis Jure naturali aut Divino dirimentibus, prout cum aliis bene observat Glossa *in c. Litteras. ¶. Dispensare de Restitut. Spoliat.* et ibi Abbas *n.* 4. Hostiensis *n.* 3. item Sanchez *lib.* 8. *Disput.* 6. *num.* 14. Navarrus *in Manual. cap.* 22. *numer.* 85. Bosco *de Matrim. Disp.* 12. *sect.* 3. *Conclus.* 1. ubi etiam more suo egregie demonstrat, quod non sit necessarium, nec expediat, ut Pontifici concedatur facultas dispensandi in Impedimentis Jure naturali dirimentibus. 6

Hinc, quia Impedimentum Jure naturali, ac Divino *dirimens* est: *primo Error*, justa dicta *Tit.* I. *a num.* 343. Secundo *Conditio* justa dicta *Tit.* IX. *n.* 3. Tertio *Vis. Tit.* I. Quarto *Ligamen Tit.* XXI. Quinto *Impotentia* juxta dicta *Tit.* XV. *Consanguinitas* in linea recta in infinitum, et primo gradu lineae transversae: *nec non Affinitas* in prima gradu lineae rectae, juxta dicta *Tit.* XIV. in iis dispensare Papa non valet. 7

Quaeritur II. An? et in quibus Impedimentis dispensare valeant Nuncii Apostolici? Resp. I. Illos imprimis, quoad ad propositum, gaudere omni ea potestate, quam Jure Ordinario habent Episcopi; quia reputantur Ordinarii Judices suae Provinciae textu expresso c. 2. *de Offic. Legat.* in 6. Quae autem potestas competat quoad propositum Ordinariis, dicetur infra *num.* 10. *et seqq.* 8

Resp. II. Praeter allegatam potestatem consueverunt Pontifices dictis Illustrissimis Dominis Nunciis Apostolicis concedere specialem facultatem, *dispensandi gratis cum quibuscunque personis intra suae Legationis limites existentibus, quae quarto aut etiam tertio et quarto etiam multiplicibus Consanguinitatis, et Affinitatis gradibus conjunctae, seu se attinentes scienter, vel ignoranter conjunctae sunt, vel alias se, non tamen sub specie facilius habendae Dispensationis a Sede Apostolica, carnaliter cognoverunt; nec non cum aliis quibuscunque similibus gradibus conjunctis, vel se attinentibus, propter angustiam loci, aut ad sedandas inimicitias, vel ob dotem minus competentem, aut alias rationabiles* 9

causas Matrimonium invicem contrahere voluerint. Haec siquidem sunt verba formalia *Brevis* dati ab Innocentio X. alicui Nuntio Apostolico, praemissa tamen clausola indicante, hujusmodi potestatem Nuncio non competere respectu omnium, sed solum respectu *eorum, qui ob paupertatem, et itineris incommoditatem ad Romanam Curiam pro Dispensatione accedere, vel mittere non possunt.*

10 Quaeritur III. An? In quibus Impedimentis? quando? et quomodo dispensare valeant Episcopi? Resp. I. Episcopi pro utroque Foro justa ex causa dispensare valent in duobus impedimentis Jure Ecclesiastico duntaxat impedientibus videlicet, *sacrato Tempore*, et *vetito*; nisi Papa aliquod Matrimonium specialiter vetet. Communis et certa. Fundamentum, et ratio conclusionis est universalis consuetudo, quae *optima legum interpres*, c. 8. *de Consuetud.* atque *Derogat etiam legi humanae*, c. *fin. eod.* et *casteris deficientibus tribuit jurisdictionem*, c. *Duo simul. de Offic. Ordinar.* juncto c. *Cum contingat de Foro competent.* et amplius dictum est *Lib.* I. *Tit.* II *num.* 471.

11 Resp. II. Potest insuper ex justa causa dispensare super impediente Impedimento voti cujuscunque, Papae non reservati, v. g. *Castitatis* ad tempus, vel in perpetuum, si est conditionale, vel poenale: item *Voti* non nubendi, vel Ordines suscipiendi etc. Rursus Communis et certa, Patetque Conclusio ex dictis *Lib.* III. *Tit.* XXXIV. *de Voto a num.* 27.

12 Resp. III. Nequit tamen Episcopus dispensare super Impedimento *perfecti Voti* servandi perpetuam Castitatem, vel ingrediendi Religionem. Denuo communis et certa. Ratio est; quia haec specialiter sunt reservata Papae, nec quid juris in illa habet Episcopus, teste etiam experientia, qua constat, quod pro Dispensatione horum votorum ubique scribatur Romam.

13 Limitatur tamen Conclusio in casu urgentis necessitatis pro Foro interno, sicut et in iis casibus, in quibus haec vota non sunt reservata. De quibus, sicut et de tota Conclusione vide *Lib.* III. *Tit.* XXXIV. *a numer.* 27. ne fiat inutilis repetitio.

14 Resp. IV. Regulariter loquendo, de Jure communi non potest Episcopus in ullo Impedimento dirimente dispensare. Communis et certa. Ratio clara est; quia omnia Impedimenta Jure Ecclesiastico dirimentia, Decreto Summi Pontificis, aut Concilii alicujus Generalis introducta sunt; in hoc autem tanquam Superioris Decreto vel lege nequit Episcopus utpote inferior dispensare; cum juxta unanimem nequeat Inferior dispensare in lege Superioris, *arg.* c. *Cum inferior. de Majorit. et Obedient. et cit. Clem. Ne Romani.* 2. *de Elect.* ibi: *Lex superioris per inferiorem tolli non potest*: ergo.

15 Resp. V. Quamvis juxta praecedentem Conclusionem non ordinarie, et regulariter, tamen extraordinarie, seu in casu *magnae et urgentis necessitatis* pro Foro conscientiae super praefatis Jure Ecclesiastico dirimentibus Impedimentis etiam secluso omni privilegio dispensare potest pro conscientiae Foro: si sequentes simul concurrant conditiones, videlicet, I. Si Impedimentum est occultum. II. Si adest gravis causa, seu necessitas. III. Si necessitas sit urgens, ita, ut non patiatur dilationem, donec Dispensatio Roma a Pontifice, vel Nuncio veniat. IV. Si Matrimonium bona fide jam fuit contractum, et quidem in facie Ecclesiae, ac praemissis Denuntiationibus, quamvis in casu valde extraordinario, et urgentissimae necessitatis etiam ante Matrimonium contractum dispensare valeat, supposito, quod etiam praecedentes conditiones concurrant, juxta dicenda infra §. III. *n.* 63. De quibus Conditionibus singulis singula instituemus Quaesita *seq.* §. *per totum.* Caeterum Conclusioni adhaerent Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. Disp.* 40. *per totum.* Bosco *de Matrim. Disp.* 12. *sect.* 13. *Conclus.* 3. Barbosa *de Offic. et Potest. Episc. Allegat.* 35. Gutierrez *qq. Canon. lib.* 1. *cap.* 23. Engel *de Matrim. contract. contra Interdictum Ecclesiae.* Cum Communi, et propemodum certa aliorum, contra Sotum, et paucissimos alios *arg. c.* 2. *de Observant. Jejun.* et c. *Quod non est, de Reg. J. in* 6 ibi *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Ratio est; quia id requirere videtur pastorale Officium Episcopi, ut possit animabus concreditis urgente gravi necessitate in hujusmodi casibus extraordinariis subvenire; cum alias Oves subjectae essent destitutae necessariis mediis, et expositae manerent gravissimis periculis scandalorum, peccatorum, diffamationum etc. Quod suavi gubernationi Ecclesiae repugnet, utpote, quae potestatem suam non in destructionem, sed in aedificationem animarum gerit, juxta illud 2. *Corinth.* 10 *Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in aedificationem, et non in destructionem vestram.*

16 Dices: Nullo Jure invenitur expresse concessa Episcopis potestas dispensandi in praefatis extraordinariis casibus: ergo. Resp. Etsi non expresse, tamen tacite concessa censetur dicta potestas a Summo Pontifice, hoc ipso, quod sciat, Episcopos illa passim uti, et non contradicat, *arg.* c. *Qui tacet. de Reg. Jur in* 6. Nec dicas, Papam id non scire, imo non posse scire, eo quod Episcopi memorata potestate tantum pro conscientiae Foro, consequenter non nisi in secreto uti possint, ac debeant, juxta ipsam Conclusionem nostram. Resp. enim cum Bosco *n* 122. *et seqq.* Verum quidem esse, Sedem Romanam ex facto et praxi Episcoporum id scire non posse, scire tamen ex libris, et innumeris quasi Auctoribus, passim libere, ac aperte adscribentibus Episcopis dictam dispensandi potestatem a Papa ob bonum commune tacite concessam. Quorum doctrinam, si erroneam reputaret, faciliter, uti plures alias, damnare posset, ac etiam deberet, eo quod agatur de valore Sacramenti, et ex multis rationibus sit maximi momenti, ut consideranti patet.

17 Confirmatur: Quandocunque urget necessitas, potest Episcopus in casu particulari saltem pro Foro conscientiae dispensare contra SS. Canones, imo et contra Concilium Generale, juxta dicta *Lib.* I. *Tit.* II. *de Constit.* §. 18. *n.* 470. ergo.

18 Accedit ad propositum longaeva Episcoporum consuetudo, quae contra legem Ecclesiasticam praescribit, *arg. c. fin. de Consuetud.* ac etiam jurisdictionem tribuit, c. *Duo simul de Offic. Ordinar.* et c. *Cum contingat.* 13 *de Foro competent.* prout amplius dictum *Lib.* I. *Tit.* II. *num.* 471. Estque optima legum interpres, *L.* 37. *ff. de Legib.* Huc faciunt etiam ea, quae de Episcopali potestate dispensandi ob urgentem necessitatem in SS. Canonibus prolixius habentur cit. *Lib.* I. *Tit.* II. *de Constit.* §. XVIII. *num.* 63.

19 Dicitur autem notanter in Conclusione *numer.* 15. posita: *Pro Foro conscientiae*; siquidem pro Foro externo in prorsus nullo casu dispensare potest Episcopus super aliquo Impedimento *dirimente*; nisi speciale habeat privilegium a Papa concessum, prout tanquam certum docent, vel potius supponunt Fagnanus *cit. c. Nimis. de Filiis Presbyt. n.* 37. Bosco *loc. cit.* Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. Disp.* 40. *n.* 10. Henriquez *lib.* 12. *de Matrim. cap.* 3. *n.* 2. Barbosa *de Offic. et potest. Episc. Allegat.* 35. ac alii *arg. Concil. Trid. Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 6. ubi fere

similiter pro solo interno, non autem pro externo Foro concedit Episcopis potestatem dispensandi in Irregularitatibus occultis. Patet etiam exemplo ipsius poenitentiariae, quae non nisi in casibus occultis pro conscientiae Foro dispensat, suasque Dispensationes pro illo solo, non item pro externo Foro valere ipsamet declarat. Ratio est. Tum quia impedimento jam existente publico vix fingi potest tantae necessitatis casus, ut non merito exspectetur Dispensatio Romae. Tum quia si super publico Impedimento dispensare praesumeret Episcopus, non tam evitaret, quam generaret scandalum, unde nec aliqua viget consuetudo tribuens Episcopis jurisdictionem dispensandi pro Foro externo, sicut pro interno, juxta dicta num. praeced.

20 Quaeritur IV. An? et quales Episcopi habeant speciales facultates seu quasi privilegia dispensandi super Impedimentis dirimentibus? Resp. I. Quamvis haec quaestio sit Facti; cum privilegia hujusmodi mere dependeant ex libera voluntate Pontificis concedentis, qui illa dare et auferre, augere et minuere, uni plura et majora, alii minora concedere potest, consequenter certa, et universalis responsio pro omnibus dari nequeat. Nihilo minus scire omnino juvat, quod Summus Pontifex omnibus ab Urbe Romana longe distantibus, et in specie Germaniae Episcopis praeter alia privilegia, etiam specialem concedere soleat facultatem dispensandi pro utroque Foro, in nonnullis dirimentibus Matrimonii Impedimentis, ita tamen, ut de quadriennio in quadriennium renovari, et Episcopi pro ea sollicitare, ac hoc ipso fateri debeant, hujusmodi facultatem sibi non de Jure communi, sed ex mera gratia, et speciali privilegio Pontificio competere.

21 Porro specialia privilegia, et facultates dispensandi super Impedimentis dirimentibus Episcopis Germaniae concedi solent sequentes. Videlicet

I. Dispensandi in tertio, et quarto tam *Consanguinitatis*, quam *Affinitatis* gradu simplici et mixto, tantum cum pauperibus in contrahendis Matrimoniis; in contractis vero cum haereticis conversis etiam in secundo simplici et mixto; dummodo nullo modo attingat primum gradum; et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

II. Dispensandi super Impedimento *publicae Honestatis*, ex Sponsalibus proveniente.

III. Dispensandi super Impedimento *Criminis*, neutro tamen conjugum machinante, et restituendi jus petendi debitum amissum.

IV. Dispensandi in Impedimento *Cognationis spiritualis*; praeter levantem, et levatum in Baptisma.

22 Resp. II. Ad hoc, ut Episcopi vi praefatorum privilegiorum, seu facultatum in aliquo ex memoratis Impedimento valide dispensare possint, omnino observare debent Clausulam, quam Papa memoratis dispensandi privilegiis adjicere solet illis verbis: *Hae vero Matrimoniales dispensationes non concedantur, nisi cum Clausula: dummodo mulier rapta non fuerit; vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat: et in dispensationibus hujusmodi declaretur expresse, illas concedi tanquam a Sedis Apostolicae Delegato. Ad quem effectum, etiam tenor ejusdem facultatum inseratur, cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae; alias nullae sint.* Ita enim expresse mandare solet Pontifex, prout patet ex tenore facultatum specialium, et quasi privilegiorum; quae summus Pontifex concedere consuevit Reverendissimis et Celsissimis Episcopis Frisingensi, et Ratisbonensi, cujus Copiam (quam similem credimus illi, quae datur aliis Germaniae Episcopis) hic etiam propterea annectimus: quia multum juvat scire, an Romam confugere debeamus, an vero apud Episcopum auxilium habere possimus.

Facultates

Concessae a S. D. N. D. Innocentio Divina Providentia Papa XII. Reverendissimo D. D. Joanni Francisco Episcopo Frisingensi.

1 *Absolvendi ab Haeresi, et Apostasia a fide, et Schismate quoscunque etiam Ecclesiasticos tam saeculares, quam Regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impune grassantur haereses, deliquerint, nec illos, qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi impune grassantur haereses, et post judicialem abjurationem illuc reversi, in haeresin fuerint relapsi, et hos in Foro conscientiae tantum.*

2 *Tenendi, et legendi libros prohibitos haereticorum ad effectum eos impugnandi, et alios quomodolibet prohibitos, praeter Opera Caroli Molinaei, Nicolai Machiavelli, et libros de Astrologia Judiciaria principaliter, aut incidenter, vel alias quovis modo de ea tractantes, ita tamen, ut libri ex illis Provinciis non efferantur.*

3 *Dispensandi in 3. et 4. simplici, et mixto tantum cum pauperibus in contrahendis ex uno stipite; in contractis vero cum haereticis conversis, etiam in 2. simplici, et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.*

4 *Dispensandi super impedimenta publicae Honestatis Justitiae ex Sponsalibus proveniente.*

5 *Dispensandi super impedimenta Criminis, neutro tamen conjugum machinante, ac restituendi jus petendi debitum amissum.*

6 *Dispensandi in impedimentis Cognationis spiritualis, praeter levantem, et levatum.*

7 *Hae vero dispensationes Matrimoniales videlicet 3. 4. 5. et 6. (intellige numeri) non concedantur, nisi cum Clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, et si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, et in Dispensationibus hujusmodi declaretur expresse, illas concedi tanquam a Sedis Apostolicae Delegato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae, alias nullae sint.*

8 *Dispensandi in Irregularitatibus ex delicto occulto tantum provenientibus, excepta ea, quae ex homicidio voluntario contrahitur.*

9 *Dispensandi, et commutandi Vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis Castitatis et Religionis.*

10 *Absolvendi ab omnibus casibus reservatis, etiam in Bulla Coenae, in locis tamen, ubi impune grassantur haereses.*

11 *Delegandi simplicibus Sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta, et alia utensilia ad Missae Sacrificium necessaria, ubi non intervenit S. Unctio, et reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, et in casu necessitatis, etiam aqua non benedicta ab Episcopo.*

12 *Conferendi Ordines extra tempora, et non servatis Interstitiis usque ad Sacerdotium inclusive.*

13 *Dispensandi super defectu aetatis unius anni ob Operariorum penuriam, ut promoveri possint ad Sacerdotium, si alias idonei fuerint.*

14 *Consecrandi Olea cum quinque saltem Sacerdotibus, non tamen extra diem Coenae Domini; nisi necessitas aliud urgeat.*

15 *Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen, ut in prima Missa non sumpserit ablutionem, per unam horam ante Auroram, et aliam post Meridiem sine Ministro sub dio, et sub terra, in loco tamen decenti, et etiamsi Altare sit fractum, vel sine Reliquiis*

Sanctorum, et praesentibus haereticis, Schismaticis, Infidelibus, et Excommunicatis, et aliter celebrari non possit. Caveat vero, ne praedicta facultate, seu dispensatione celebrandi his aliter, quam ex gravissimis causis, et rarissime utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quod si hanc eandem facultatem alteri Sacerdoti juxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas eo utendi alicui, qui a Sancta Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiae injungitur, ut paucis duntaxat iis, quam maturioris prudentiae ac Zeli, qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus eandem communicet, aut respective causas approbet.

16 *Deferendi Sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis in loco tamen decenti, si ab Haereticis, aut Infidelibus sit periculum Sacrilegii.*

17 *Induendi se vestibus saecularibus, si aliter vel transire ad loca eorum curae commissa, vel in eis permanere non poterunt.*

18 *Recitandi Rosarium, vel alias preces, si Breviarium secum deferre non poterunt, vel Divinum Officium ob aliquod impedimentum recitare non valeant.*

19 *Dispensandi, quando expedire videbitur super usu carnium, ovorum, et lacticiniorum, tempore jejuniorum, et praesertim Quadragesimae.*

20 *Communicandi has facultates in totum, vel in partem, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, Sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus, et praesertim tempore fuit obitus, ut Sede vacante sit, qui possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta (quod quamprimum fieri debebit per Delegatos, aut per unum ex eis) alio modo provideat.*

21 *Et praedictae facultates gratis, et sine ulla mercede exerceantur, et ad quadriennium tantum concessae intelligantur.*

22 *Utendi eisdem facultatibus in Civitate, et Dioecesibus Frisingensi tantum.*

Feria quinta die 14 Junii A. 1696.

In Congregatione Generali S. Romanae, et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico ad S. Mariam Majorem coram Sanctissimo Domino Nostro, Domino Innocentio XII. ac Eminentissimis et Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus, in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sede Apostolica specialiter deputatis.

Archi-Episcopus Ostiensis Cardinalis Cibo.

Josephus Bartolus Romanae, et Universalis Inquisitionis Notarius.

Feria quarta die 24. Martii 1706. hae Facultates, ut antea ad aliud Quinquennium revocatae sunt.

Joseph. Bartolus S. R. E. et Universalis Inquisitionis Notarius.

23 Infertur proin, *non* sufficere, si oretenus tantum dispensaret Episcopus, sed necesse est, ut in scriptis expediatur, scriptaeque Dispensationi inseratur. I. Potestas, seu facultas delegata. II. Tenor hujus facultatis. III. Tempus quousque se extendat haec facultas, alias enim Dispensatio non tantum illicita, sed etiam invalida foret, juxta Clausulae verba: *alias nullae sint.* Forma dispensationis hujusmodi habetur infra *n.* 28.

24 Hoc tamen intellige, si pro Foro externo vi quasi privilegiorum aut specialium facultatum praefatarum dispenset; si enim pro Foro solo interno ex facultate sibi tacite concessa seu jure ordinario juxta dicta *a num.* 10. dispenset, id minime requiritur; sed omnino sufficit Dispensatio etiam oretenus facta, et indigenti per Confessarium, vel aliam insinuata.

25 Notandum etiam, quod super Impedimento *Consanguinitatis et Affinitatis* in praefatis gradibus cum solis pauperibus, super reliquis autem Impedimentis, videlicet *publicae Honestatis*, *Criminis*, et *Cognationis spiritualis*, etiam cum aliis dispensare valeat. Patet ex ipso tenore Facultatum, utpote quae pro Dispensatione super gradibus Consanguinitatis, et Affinitatis pro solis pauperibus: super aliis autem Impedimentis universaliter datae sunt, et consequenter ita intelligendae veniunt, tum quia privilegia tantum valent, quantum sonant, *arg. c. Recepimus. de Privileg.* Tum quia *Verba generalia generaliter sunt intelligenda c. quia circa. de Privileg.* praesertim in materia favorabili; qualis est facultas dispensandi justa dicenda infra *num. seq.*

Quaeritur V. Quid importet esse *in tertio et* 26
quarto gradu simplici et mixto? Item qualiter circa hoc intelligi debeat specialiter concessa Episcopis Germaniae facultas dispensandi cum pauperibus justa copiam *numer.* 22. allegatam? Praesertim an possint vi illius etiam dispensare in *tertio* gradu, quando est conjunctus cum *secundo*, seu in *secundo* et *tertio*? Resp. Ad hoc quaesitum patebit infra.

Caeterum Dispensatio vi privilegiorum pro Foro 27
externo Episcopo in scriptis concedenda, sequenti, vel simili modo fieri, et expediri potest: v. g. Si quis in tertio Consanguinitatis simplici, vel mixto dispensari vult.

Titulus.

28 *Universis, et singulis praesentes visuris, lecturis, et audituris notum facimus, quod cum N. et N. humillime Nobis supplicaverint, ut cum eis in tertio Consanguinitatis gradu, quo conjuncti existunt, in ordine ad contrahendum Matrimonium dispensare clementissime dignaremur: Nos vero speciali facultate Anno, die Mensis etc. concessa ad quadriennium durante muniti existentes, dispensandi in tertio et quarto, simplici, et mixto, tantum cum pauperibus in contrahendis Matrimoniis, vi delegatae Nobis potestatis Apostolicae allegatae, cum memoratis N. et N. utpote pauperibus, ex causa nobis satis cognita et probata, in Domino dispensamus, et dispensatum declaramus, dummodo Mulier non fuerit rapta, vel si rapta fuerit, in raptoris potestate non existat, servatis in reliquo servandis de Jure, in quorum fidem etc. Datum etc.*

29 Resp. III. Ut Dispensatio Episcopi vi privilegii, seu facultatis specialiter concessae valeat, necessario etiam requiritur justa causa, adeo ut sine hac dispensans non tantum graviter peccet, sed etiam invalide agat, et Dispensatio in utroque Foro sit nulla. Conclusio caret controversia, patetque ex illa universali doctrina supra jam *Lib. I. Tit. I.* §. 18. *a numer.* 478. tradita, videlicet quod Dispensatio in lege superioris invalida sit, si fiat absque justa causa, per rationes, et Jura ibidem citata.

30 Quaenam autem censeantur, et sint justae causae sufficientes ad dispensandum in Foro externo, habes infra §. *III. num.* 69. per totum: quaevis enim ex illis sufficit, quod vi specialis facultatis dispensare valeat pro Foro externo: Nec requiritur magna et urgens necessitas, nec aliae conditiones, quae alias requiruntur, ut secluso privilegio dispensare valeat pro solo Foro interno super Impedimento occulto per dicenda §. *seq.*

31 Infertur, illos, qui Dispensationem petunt, debere habere, et exprimere aliquam saltem ex adducendis *cit. num* 69. causis, Episcopum vero non solum sua attendere, vel aspicere debere privilegia, quibus gaudet, sed etiam examinare causam, et de ejus existentia se informare, antequam Dispensationem concedat.

32 Quaeritur V. An etiam, et qualiter super Impedimentis Matrimonii Jure Ecclesiastico *dirimentibus* dispensare valeat Capitulum Sede vacante? et Vicarius Capitularis? Resp. I. Sicut Episcopus, ita etiam Capitulum Sede vacante, et hujus Vicarius Generalis valide et licite dispensant in memoratis Impedimentis, si concurrant requisita *numer.* 15. allegata, et §. *seq.* magis declaranda. Gobeth *in Tract.* 9. *Theolog. experimeat. num.* 585. Ratio est; quia Capitulum Sede vacante succedit Episcopo in omnibus, quae sunt Jurisdictionis Ordinariae (demptis solis casibus in Jure specialiter exceptis) potestque in specie dispensare in omnibus casibus, in quibus Jure Ordinario potest Episcopus, prout late dictum est, et probatum habetur *Lib. III. Tit. IX. Ne Sede vacante.* §. 2. *a numer.* 5. *et* §. 3. *a num* 49. Atqui in casibus *num.* 15. expressis potest Episcopus Jure Ordinario dispensare pro Foro conscientiae; cum haec potestas ei competat ratione Officii sui Pastoralis, ita, ut statim, ac fit Episcopus, hoc ipso tacite saltem concessam, et quidem perpetuo duraturam habeat praefatam dispensandi in Foro interno facultatem, nec haec facultas in Jure specialiter excepta invenitur; ergo.

33 Resp. II. In illis Impedimentis, in quibus juxta dicta *a numer.* 20. Episcopus dispensat ex quasi privilegio (vocemus quasi tale, quia proprie privilegium non est; cum istud juxta dicenda infra, ex natura sua debeat esse perpetuum, quale non est facultas Episcopis Germaniae concessa, utpote tantum ad certos annos durans) vel speciali facultate sibi generaliter concessa, nullo modo dispensare potest Capitulum Sede vacante, nec ejus Vicarius Capitularis. Communis, ac quasi certa. Ratio est, quia Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo in iis, quae Episcopo ex facultate, aut privilegio speciali competebant; prout amplius declaratum et probatum habetur *cit. Lib. III. Tit. IX.* §. 3. *a num.* 42.

34 Quaeritur VI. An? quando? et quomodo Vicarius Generalis Episcopi dispensare valeat super Impedimentis Jure Ecclesiastico *dirimentibus*? Resp. I. Vicarius Generalis Episcopi vi Officii sui non potest dispensare super Impedimentis *dirimentibus* in casibus supra *num.* 15. allegatis nisi speciale ad id habeat mandatum ab Episcopo. Sanchez *lib.* 2. *Disp.* 40. *num.* 11. Bosco *de Matrim. Disp.* 12. *sect.* 13. *Conclus.* 3. *num.* 189. Gutierez *lib.* 1. *Canon. qq. cap.* 19. *n.* 15. Barbosa *de Offic. et potest. Episc. alleg.* 34. *n.* 121. post Glossam communiter receptam, *in can. Quae de causa, cau.* 2. *q.* 5. §. *Quidquid*, ubi ita argumentatur: *Cum enim Dispensatio se habeat instar restitutionis in integrum, et restitutio in integrum non delegatur per mandatum generale, arg. l. Illud. ff. de Min.* ergo nec dispensatio. Ratio ulterior est; quod casus extraordinarii non comprehendantur in generali mandato. Confirmatur a simili in Dispensatione pro Foro interno in Suspensionibus, et Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, quae Dispensatio vi Officii non competit Vicario Generali sine speciali mandato, prout ex Concilio Trident. *Sess.* 24. *cap.* 6. *de Reformat.* diximus *Lib. I. Tit. XXVIII. de Officio Vicarii. num.* 87.

Resp. II. Pariter nequit Vicarius Generalis vi Officii sui sine speciali mandato dispensare pro Foro externo super Impedimentis, super quibus juxta dicta *num.* 22. Episcopus dispensare potest ex quasi privilegio, vel speciali facultate concessa. Unanimis, ac certa. Ratio est; quia controversia caret; Vicarium Generalem vi Officii sui non posse ea, quae potest Episcopus ex solo privilegio, aut facultate specialiter concessa: Cum enim in his neque Capitulum Sede vacante, nec ejus Vicarius Capitularis succedat Episcopo per dicta superius *numer.* 32. multo minus in illis aliquid poterit Vicarius Generalis Episcopi, eo quod potestas Vicarii Capitularis longe major et amplior sit, quam Vicarii Generalis Episcopi, juxta dicta *Lib. III. Tit. IX. Ne Sede vacante.* §. 3. *num.* 69. 35

Resp. III. Potest tamen Episcopus suo Vicario Generali, imo et aliis Sacerdotibus idoneis delegare suam potestatem dispensandi super Impedimentis Matrimonii non tantum illam, quam habet ex quasi privilegio et speciali facultate, juxta dicta supra *num.* 22. sed etiam illam, quam pro Foro conscientiae habet in casibus urgentis necessitatis juxta dicta *numer.* 15. Prima Conclusionis pars de potestate competente ex speciali facultate aperte constat ex ipsa forma seu tenore privilegiorum, nam ibi expresse apponi solet clausula: *Communicandi has facultates in totum, vel in partem etc.* uti patet ex Copia *numer.* 22. adducta. 36

Secunda pars de facultate dispensandi in casu urgentis necessitatis docetur a Sanchez *cit. lib.* 2. *Disp.* 40. *numer.* 14. cum communi aliorum, quorum plurimos citat Sanch. *loc. cit.* post Gloss. *in c. fin. de Offic. Ordin.* §. *Casibus.* Ratio est; quia ea, quae Episcopo vi Officii, et potestate Ordinaria ac perpetuo competunt, delegare potest alteri juxta dicta supra *Lib. I. Tit. XIX.* . *III.* textu claro, *c. Cum Episcopus.* 7. *de Offic. et potestat. Delegat. in* 6. Atqui potestas dispensandi super Impedimentis *dirimentibus* vi Officii pastoralis jureque Ordinario ac perpetuo competit Episcopo per dicta *a num.* 15. ergo. 37

Nec obstat *c. fin. de Offic. Delegat.* ibi: *Nulli, cui commissum fuerit excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare etc. liceat haec alteri demandare, quia non sibi Jurisdictio, sed certum ministerium potius committitur in hac parte.* Resp. enim, hanc Juris dispositionem intelligi debere, de casu, quo personae eadem committitur ministerium; uti patet ex ultimis textus verbis; non ita quando potestas et jurisdictio concessa et annexa habetur ipsi Officio, et cum isto ad quemvis successorem transit; prout res se habet in casu nostro. 38

39 Confirmatur secunda pars Conclusionis (praesertim quoad Vicarios Generales) universali praxi et consuetudine, qua constat, omnes fere Episcopos saltem illos, qui amplas Dioeceses habent (uti in Germania) delegare Vicariis Generalibus etiam illam dispensandi potestatem, qua super Impedimentis *dirimentibus* in casu urgentis necessitatis pro Foro conscientiae dispensare valent; consuetudo autem est optima legum interpres c. *Cum dilectus. de Consuetud.* ac etiam in defectu omnium aliorum tribuit jurisdictionem c. *Duo simul. de Offic. Ordinar. et c. Cum contingat. de Foro competent.* ergo.

40 Quaeritur VII. Qualiter Episcopus facultatem dispensandi super impedimentis Matrimonii Vicario Generali delegare, vel concedere possit, aut debeat ad hoc, ut ea Hic secure uti possit? Resp. Quamvis aliqui Doctores (inter quos videtur esse Gobath *in Theolog. Experiment. Tract.* 9. *nu.* 585.) putent sufficere, si Episcopus in genere ei committat omnem suam potestatem, dicendo, v. g. *Do, vel concedo Tibi omnem potestatem, et jurisdictionem, quam ego habeo*: vel saltem si dicat: *Do tibi omnem meam potestatem etiam ad ea, quae speciale mandatum requirunt*, tamen Garcias, Barbosa *de Offic. et potest. Episc. Allegat.* 54. *n.* 59. Engel *de Officio Vicarii. n.* 10. eoque teste alii communiter docent, hunc modum non sufficere, aut certe non satis securum esse; eo quod talis delegatio, aut concessio censeatur nimis generalis *arg. c. Quid agendum.* 4. *de Procurat. in* 6. adeoque adhuc subintret *Reg.* 81. *Jur. in* 6. *In generali concessione etc.* prout etiam diximus *Lib. I. Tit. XXVIII. de Officio Vicarii.* §. 4. *num.* 89. Et certe non foret contentus Episcopus, si Vicarius Generalis ipso inscio conferret alicui pinguem Parochiam, vel Beneficium, etsi prius ei omnem suam delegasset potestatem, illo pluribus quidem solito, minus tamen recto delegandi modo: *Do Tibi omnem meam potestatem etiam ad illa, quae specialo mandatum requirunt*: quod evidens signum est, vi talis clausulae generalis, Episcopi Vicarium Generalem non posse omnia, quae requirunt mandatum speciale.

41 Volunt proin, et merito praefati Doctores, Episcopum, qui vult tribuere Vicario suo Generali omnem suam potestatem, debere saltem aliqua exprimere, quae requirunt speciale mandatum, addita dein clausula, et *omni alia*: quod; ubi Episcopi aliqui in Jure forsan minus experti non faciunt, ipsi Vicarii Generales urgere, et monere deberent: idque ad vitanda plura nullitatis pericula, et quidem specialiter circa Dispensationem Impedimentorum; utpote ex qua semper dependet valor Sacramenti Matrimonii, adeo, ut, a parte rei nullum foret, consequenter contrahentes in continuis fornicationibus saltem materialibus, et gratiis Sacramentalibus ad sustinenda Matrimonii onera summe necessariis destituti existerent, cum quo hujusmodi concessio generalis *num.* 39. allegata, jurisdictionem Vicario Generali non tribueret, prout supra citati DD. volunt. Ad quae evitanda, et legitimam delegandi formam adhibendam, cum nulla difficultas interveniat, nec labor, nec expensae requirantur, utique Episcopi, vel Vicarii Generales muneri suo non deessent; Quid enim facilius Episcopo, quam pro Dispensatione Matrimoniali v. g. sequenti, vel simili delegationis forma uti? *Concedo Tibi etiam dispensandi pro Foro interno super impedimentis Matrimonii in casibus urgentis necessitatis omnem potestatem, quam ego habeo*: item etiam *pro Foro externo in dictis impedimentis dispensandi eandem potestatem, quam ego ex privilegio, et speciali facultate a Papa habeo*: item *communico tibi etiam reliquas facultates a Papa mihi specialiter concessas*. Item, quid facilius Vicario Generali, si Episcopus id non observaret, quam illum monere, vel interrogare: *Reverendissime et Celsissime Domine, estne suae Celsitudinis intentio mihi etiam dare facultatem dispensandi super Impedimentis Matrimonii, quae Celsitudini jure Ordinario, et ex privilegio competit?* etc. Haec Amice Lector, non sine causa dicta sunt.

§. II.

De Conditionibus requisitis ad hoc, ut Episcopus, secluso privilegio, dispensare valeat pro Foro interno super Impedimentis occultis, Jure Ecclesiastico Matrimonium dirimentibus.

SUMMARIUM.

42 *Status Quaestionis proponitur.*
43 *Ut Episcopus secluso privilegio dispensare valeat, requiritur I. Ut Impedimentum sit occultum.*
44 *Quando dicatur occultum?*
Quod quinque tantum sciunt, occultum est, Ibid.
45 *Nisi sit periculum publicationis.*
46 *Unde debet attendi, quibusnam personis, et quot illorum notum sit Impedimentum*
47 *II. Requiritur gravis causa, seu magna necessitas.*
48 *Nec sufficit quaevis causa alias ad dispensandum in Foro externo sufficiens.*
49 *III. Requiritur urgens necessitas, ita ut ratione illius non possit haberi, vel exspectari Dispensatio Roma,*
50 *Vel ab alio specialem facultatem dispensandi habente.*
51 *Praetensa paupertas ordinarie non facit, quo minus facilis pateat aditus Romam, vel ad alium facultate praeditum: Et quare?*
52 *Pro Dispensatione quoad Forum internum nullae requiruntur expensae: Et num. praeced.*
53 *Causae urgentes quales esse censeantur?*
54 *Inter illas in specie est periculum incontinentiae.*
55 *Quod quidem ordinarie, non tamen semper adest: Et num. proeced ac seq.*
57 *IV. Requiritur, ut Matrimonium (si jam contractum est) sit contractum bona fide.*
58 *Quando dicatur mala fide contractum?*
59 *Non sufficit mala fides unius.*
60 *Requiritur insuper, ut praemissae sint Denuntiationes.*
61 *Nisi dispensatum fuerit super istis.*
62 *In valde extraordinario casu potest Episcopus super occulto Impedimento ante Matrimonium dispensare.*
63 *Narratur talis casus.*
64 *Id etiam procedit in Voto.*
65 *Episcopus concurrentibus Conditionibus requisitis potest super quovis Impedimento occulto dispensare, super quo potest, et solet Papa dispensare.*
66 *Hae Conditiones non requiruntur, quando vi privilegii dispensat.*

Uti ex terminis Rubricae patet, non loquimur hic de potestate dispensandi, quae competit Episcopo vi privilegiorum pro Foro etiam externo juxta dicta *num.* 22. sed de ea, quam habet pro solo Foro interno urgente necessitate in casibus et impedimentis occultis juxta dicta *num.* 15. ubi certas ad eam conditiones requiri diximus. Pro qua- 42

rum majori cognitione specialis ponitur §. *praesens.* Itaque

43 Quaeritur I. An? et qualiter Impedimentum debeat esse occultum? Resp. I. Omnino requiritur, ut Impedimentum sit occultum. Fagnanus *in c. Nimis. de Filiis Presbyt. nu.* 33. Bosco *de Matrimon. Disp.* 12. *sect.* 13. *n.* 137. *et seqq.* Barbosa *de Offic. et potestat. Episc. Allegat.* 24. *de Reform. cap.* 6. Sanchez *lib.* 2. *de Matrimon. Disp.* 40. *n.* 3. cum Communi et certa aliorum. Ratio est; quia ideo potissimum dispensare valet Episcopus, ut evitetur publicum scandalum ex separatione secuturum, eo quod v. g. jam proles sit concepta, aut unus conjugum solus sciat impedimentum, illudque absque famae jactura detegere nequeat, vel si alter etiam sciat impedimentum, tamen probare nequit etc. *arg.* a simili *in Concil. Trident. Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 6. Haec autem ratio cessaret, si impedimentum esset publicum; imo potius esset scandalum, si Impedimento existente publico conjuges simul manerent; cum auctoritate publica facile separari possent, et deberent, uti bene observat Fagnanus *loc. cit.*

44 Resp. II. Impedimentum tunc censetur occultum, quando vel omnino secretum existit, ita ut nulla ratione probari valeat, vel si quidem scitur ab uno vel alio, aut tribus vel quatuor, nullum tamen periculum est, quod ulterius publicetur. Sanchez *lib* 2. *de Matrim. Disp.* 40. *num.* 11. Bosco *de Matrim. Disp.* 12. *sect.* 13. *n.* 138. Barbosa ubi supra *n.* 11. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 10. *nn.* 1. *et* 2. et alii. Ratio est; quia illud de Jure adhuc censetur occultum, quod pluribus, quam quinque nondum est notum in aliqua Vicinia, Collegio, vel Parochia, cujus communitas decem saltem homines in se continet. Nam, ut ait Glossa communiter recepta *in can. Manifesta. cau.* 2. *q.* 1. *Occultum dicitur, quod quinque sciunt, et §. Non sunt haec. de Poenitent. dist.* 1. ℣. *Secreta.* eadem Glossa probat, *secreta esse, quae fiunt in praesentia quinque*, prout etiam infra, *Lib. V. Tit. I.* magis demonstratur.

45 Additur tamen in Conclusione, *et nullum periculum est, quod ulterius publicetur*; hoc enim ubi rationabiliter timetur, jam Episcopus dispensare nequit, etiamsi praeter impedimento laborantem, unus tantum, vel duo sciret; quia quandocunque rationabile adest periculum, quod Impedimentum evadat publicum, etiam periculum est, quod Matrimonium occulte Dispensatione valide contractum, majori cum scandalo iterum separari debeat; cum Dispensatio pro Foro interno ab Episcopo facta, in Foro externo prorsus non attendatur, eaque non obstante Matrimonium ab ipso etiam dispensante Episcopo separari deberet, casu quo Impedimentum evaderet publicum. Bosco, Sanchez, et Barbosa *loc. cit.*

46 Hinc in praxi omnino attendi debet, non tantum quot personis, sed etiam qualibus Impedimentum sit notum, quia bene fieri potest, ut respectu quinque prudentum, et timentium Deum, qui Impedimentum norunt, prorsus nullum sit periculum ulterioris divulgationis, et econtra respectu duorum vel trium, v. g. garrulorum, aut inimicorum etc. divulgationis periculum revera adesse videatur, praesertim, si etiam aliae circumstantiae tale periculum minentur.

47 Quaeritur II. An? et qualiter requiratur gravis, seu magna necessitas? Resp. Omnino necessaria etiam est gravis causa, seu magna necessitas, qualis esse censetur: si conjuges absque scandalo, vel sine jactura famae, vel praejudicio prolis, aut gravi incontinentiae periculo separari amplius nequeunt; prout plerumque non possunt, si Impedimentum provenit ex copula fornicaria prius cum consanguinea conjugis habita; vel si jam adsunt una vel plures proles; vel si invicem ita sint inamorati, ut vel separari prorsus nolint, aut separati sine redito ad vomitum non manerent; vel si Matrimonium in facie Ecclesiae fuit, contractum, et impedimentum ita occultum, ut probari nequeat, consequenter separari, vel ad alias nuptias transire non permittantur etc. Bosco *De Matrim. Disp.* 12. *numer.* 13. Henriquez *lib.* 12. *de Matrim.* Diana *p.* 11. *tr.* 8. *Resolut.* 4. Gobath *in Theolog. Experiment. tr.* 9. *n.* 578. cum Communi aliorum. Ratio est; quia sicut concurrente una ex dictis necessitatis causis potestas dispensandi censetur tacite concessa Episcopo, exigente id munere Episcopali, juxta dicta *numer.* 15. sic cessante necessitate eadem potestas censetur Episcopo adempta, utpote, qui contra SS. Canones dispensare non potest sine magna necessitate vel evidenti utilitate Ecclesiae, ut fuse ostendit Fagnanus *in c. Nimis de Filiis Presbyt. arg. can. Etsi illa cau.* 1. *q.* 7. ibi: *Quae nec ulla necessitas, nec Ecclesiastica prorsus extorquet utilitas*: cum Concordant. Imo Episcopi prae caeteris ad observantiam SS. Canonum tenentur, qui propterea etiam vocantur *Custodes* Canonum, et *Magistri*, *can. Cum quibus.* 36. *can* 24 *q.* 3.

Infertur proin, ad hoc, ut Episcopus pro Foro 48
conscientiae dispensare in Impedimento *dirimente* valeat, prorsus non sufficere causam quamcunque rationabilem talem, ex qua juxta dicenda §. *seq.* Papa, vel Etiam Episcopus vi privilegii dispensare potest, et solet pro Foro externo, sed omnino requiri causam gravem, seu magnam necessitatem.

Quaeritur III. An? et qualiter requiratur urgens 49
necessitas? Resp. Ut dispensare valeat Episcopus pro Foro interno, non sufficit *sola magna necessitas*, nisi etiam sit *urgens*, ita, ut ratione illius nullus, vel difficillimus recursus ad Papam, aut alium privilegio dispensandi praeditum, v. g. Nuncium Apostolicum pateat; vel periculum sit in mora, Sanchez *de Matrim. cit. lib.* 2. *Disp* 40. *nu.* 2. *et* 6. Bosco *loc. cit. n.* 141. Barbosa *de Offic. et potest. Episc. Allegat* 45 *n.* 3 cum communi aliorum. Ratio est, quia quando adest quidem una ex dictis *n.* 47. gravis causa, vel necessitas, si tamen pro tempore non urget, sed bene patitur moram, donec a Pontifice Dispensatio veniat, simulque pateat facilis aditus ad Pontificem saltem per litteras, nulla adest causa, vel necessitas, quod dispenset *Episcopus*, consequenter cessat ratio, ob quam ei competit potestas dispensandi, ut bene observat cum aliis Bosco *loc. cit.*

Idem videtur, quando est facilis recursus ad 50
Nuncium Apostolicum, vel alium praeditum speciali privilegio aut potestate dispensandi in causa Impedimenti Vega *lib* 6. *sum casu* 143. Barbosa *de Offic. et potest. Episc. Allegat.* 45. *num* 10 Navarrus *in Manual. cap* 22. *num* 85 Perez. Tambur. Gobath *in Theolog. Experiment. tr* 9. *nu.* 581. et alii communiter contra Henriquez *lib* 12 *de Matrim cap.* 3. *n.* 1. Ratio est eadem, quae *in priori. num.* quia revera in tali casu nulla est necessitas, quod Episcopus dispenset. Hinc licet Barbosa, et Diana vocent sententiam Henriquez probabilem; tamen quia agitur de Sacramenti valore, qui a Dispensatione, haec vero a facultate dependent, in praxi non videtur secura, postquam Innocentius XI. damnavit sententiam: *esse licitum sequi probabilem, relicta tutiori, quando agitur de valore Sacramenti.*

Caeterum notandum hic cum Averis apud Bosco 51
Disp. 12. *Concl.* 3. *n.* 143. quod, licet DD. communiter causam urgentem adesse dicant, quando conjux impedimentum patiens, ob inopiam seu paupertatem ad Papam, vel Nuncium Apostolicum con-

fugere, aut dispensationem inde obtinere non potest; tamen ex solo hoc paupertatis titulo raro, aut nunquam necessitas urgens consurgat; eo quod ad procurandam Roma, vel a Nuncio Apostolico dispensationem pro solo Foro interno, super occulto impedimento prorsus nullae expensae requiruntur: siquidem sacra Poenitentiaria (apud quam Romae dispensatio pro Foro interno sollicitari debet juxta dicenda infra) pro dispensatione prorsus nihil praetendere, nec sponte oblatum accipere potest. Nec opus est, ut conjux ipse se Romam conferat, et itineris expensas faciat, cum totum negotium unica Epistola absolvi queat, quam quivis Confessarius ex charitate libenter gratis scribit, et Romam dirigit, indeque dispensationem sibi missam poenitenti consignat, juxta praxin infra docendam, ut proin ad summum non nisi pro Posta, cui litterae committuntur, facere oporteat expensas, quae tam magnae non sunt, quin eas etiam pauper saltem mendicando, breviter, et faciliter habere valeat; imo etiam hae saepe non sunt necessariae, si nempe ipsimet Confessarii pro poenitentibus scribunt, et Dispensationem procurant, prout ordinarie fit, et fieri debet juxta dicenda infra.

52 Hinc etiam inutilis ad propositum videtur quaestio illa, quam plures DD. faciunt; An in casu, quo impedimentum habentes media non habent ad solvendas expensas necessarias pro Dispensatione, illas subministrare teneatur Episcopus, eo, quod juxta primum dicta, ad impetrandam Dispensationem super Impedimento occulto pro solo Foro interno nullae sint necessariae expensae. Aliud est si procuratur pro Foro externo, de quo infra. Unde videntur DD. paupertatem pro urgente necessitate allegantes, confundere dispensationem, quae fit pro solo Foro interno, cum ea, quae fit etiam pro Foro externo. Et haec pro praxi notare oportuit.

53 Si quaeres, quaenam ergo reddant necessitatem *urgentem*? Resp. Ea, de quibus diximus in Conclusione *num.* 47. Videlicet I. Si nullus, vel difficillimus patet aditus ad Summum Pontificem, prout contingere potest tempore Schismatis, aut belli, quo etiam Litterae ad Sedem Romanam impediuntur; item ubi nimia est locorum distantia qualis tamen esse non videtur inter Germaniam, Galliam, et Hispaniam ex una, et Romanam Curiam ex altera parte.) II. Si gravis causa et necessitas secum habeat in mora periculum gravis damni, aut praejudicii, ut si unus conjugum in articulo vel periculo mortis existens liberos habeat, qui illegitime haereditati succederent etc. donec Dispensatio Roma, vel a Nuncio Apostolico veniat.

54 III. Si periculum incontinentiae ex dilatione Dispensationis rationabiliter timetur; prout ordinarie timendum, praesertim si conjuges adhuc sunt juvenes, vel singularis affectus, et amor mutuus inter eos viget; inter tales enim pauci tantae virtutis inveniuntur, ut de eis prudenter praesumi possit, quod per spatium plurium hebdomadarum sine periculo incontinentiae, quoad lascivos tactus, morosam delectationem, vel ipsam copulam sint cohabitaturi, postquam diu et frequenter carnaliter jam fuere permixti; etiamsi ambo impedimenti sint conscii: Nam si una tantum pars notitiam impedimenti habet, praeter incontinentiae periculum, etiam famae, vel alterius mali periculum ex dilatione emergit, consequenter necessitatem adhuc magis *urgentem* efficit: ut proin tam Confessarii, quam Episcopi ad hoc reflectere, atque ex illo *urgentem* necessitatem ordinarie adesse prudenter praesumere, ac propterea (si etiam reliquae conditiones necessario requisitae adsint) dispensare pro Foro interno debeant Episcopi.

Dicitur autem notanter *ordinarie*, quia non negamus, quin nonnunquam, et extraordinarie dentur casus, ubi absque omni incontinentiae periculo Dispensatio Roma exspectari potest, v. g. si ambo conjuges timentes Deum, et impedimenti sunt conscii, praecipue si carnali commixtioni alias non multum sunt dediti, tales enim si debite instruuntur, quod sub peccato mortali ab omni delectatione, tactu, et copula carnali abstinere debeant, donec Dispensatio intra paucas septimanas Roma veniat, debitam abstinentiam illico et libenter promittent, eamque teste experientia servabunt; praesertim si a Confessario moneantur, ut, si periculum interea fore putent, fideliter nunc referant, quatenus alia via eis succurri queat. 55

Pariter periculum incontinentiae abesse censetur, quando solus vir impedimenti conscius, et continere se potens, ratione status vel conditionis suae, discessum aliquem ad tempus pro impetranda Roma Dispensatione necessarium, facile instituere potest, vel foeminam ita modestam habeat, ut nec debitum petere, nec tactus lascivos exercere, vel ad illos allicere soleat. In his itaque ac similibus casibus Episcopus a Dispensatione utique abstinere, et Oratores ad Pontificem dirigere, vel potius, ut illuc confugiant, Confessarius consulere debet; quantumvis alias magna et gravis causa dispensandi, et necessitas adsit, ita ut sine scandalo, vel praejudicio prolium jam existentium separari nequeant; quia licet ex his habeatur sufficiens et gravis causa; imo necessitas dispensandi, tamen non habetur urgens necessitas, ut *Episcopus* dispenset. Doctus Lector non indignetur, quod haec tam simpliciter et prolixe adducantur ac declarentur, quia etiam pro minus doctis, minusque in Jure expertis scribimus: Quibus ut haec utpote summe practica materia ad facilem captum bene explicetur, et declaretur, utile et necessarium est. 56

Quaeritur IV. An? et qualiter requiratur, ut conjuges putativi Matrimonium (si prius jam contractum est) contraxerint bona fide, et praemissis Denuntiationibus? Resp. I. Ut Episcopus pro Foro conscientiae dispensare valeat, necessario insuper requiritur, quod Matrimonium (si jam contractum est) contractum sit bona fide, id est, cum probabili ignorantia obsistentis impedimenti. Sanchez *lib.* 2. *Disp.* 40. *n.* 4. Bosco *de Matrim. Disp* 12. *sect.* 13. *Concl.* 3. *nu.* 148. *et seqq.* Engel *de Matrim. contra Interdict. Eccles. contract. n* 11. Ledesma, Lopez, et alii. Ratio est; quia illi, qui mala fide contrahunt, a Jure indigni declarantur Dispensatione, *arg. c. fin. de Immunitat. Ecclesiast. et Concil. Trident. Sess.* 24. *de Reformat. Matrim. cap.* 5. ubi expresse ita decernitur: *Si quis intra gradus prohibitos scienter Matrimonium contrahere praesumpserit, separetur, et spe dispensationis careat: idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum contrahere, sed consummare ausus fuerit.* Consequenter, cum Episcopi potestas dispensandi praecipue innitatur tacito et praesumpto consensui Pontificis, non potest exerceri contra expressam ejusdem mentem; quia juxta tritum illud: *Praesumptio cedit veritati. L. Imperatores. ff. de Probat.* 57

Notandum tamen hic cum Sanchez *loc. cit.* Bosco *loc. cit. nu.* 164. ad hoc, ut quis ad propositum dicatur mala fide contrahere, non esse satis scire, ut esse memorem, se prius carnaliter jam fuisse commixtum cum consanguinea, v. g. persona illius, cui modo vult nubere, sed requiri etiam scientiam et notitiam Juris, seu practicam, id est, talem, qua scit, inde ortum esse impedimentum contrahendi Matrimonium cum ea, cum qua nunc vult contrahere. Ratio est; quia, ut quis spe Dispensationis carere 58

debeat, Concilium Tridentinum expresse requirit, *quod quis inter gradus prohibitos scienter Matrimonium contrahere praesumpserit*; nequit autem dici scienter inter prohibitos gradus contrahere, qui ignorat gradum prohibitum inter se et Sponsam adesse; ergo. Nec refert, si sit ignorantia crassa; siquidem quando Lex aut Decretum petit aliquid fieri *scienter* (prout fit in proposito) excusat quaevis ignorantia quantumvis crassa; dummodo absit dolus, ut post Sylvestrum ℣. *Ignorantia. q.* 8. *dub* 4. Bart. *in l. Si adulterium prin. ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* et alibi bene advertit Sanchez *loc. cit.*

59 Porro non sufficit unam partem contraxisse vere mala fide, sed requiritur mala fides utriusque ad hoc, ut juxta praefatam dispositionem Juris indigni reputentur Dispensatione. Hinc si una saltem pars ignara impedimenti bona fide Matrimonium contraxit, poterit Episcopus (si caetera requisita adsint) cum utraque parte dispensare. Sanchez *loc. cit. nu.* 4. Engel *h. t. nu.* 11. et alii. Ratio est; quia ista dispensationis incapacitas statuta fuit in poenam contrahentium mala fide, ibi: *eisdem subjiciatur poenis*; *in poenis autem benignior est interpretatio facienda*, c. *In poenis. de Reg. Jur. in* 6. Nam *odia restringi, et favores ampliari*. c. *Odia. eod.* Accedit, *aequum non est, puniri innocentem ob alterius culpam*, *arg. c. Non debet. eod. in* 6. ibi: *Non debet aliquis alterius praegravari.*

60 Resp. II. Ut Episcopus dispensare pro Foro conscientiae valeat, necessario etiam requiritur, ut praeter bonam fidem Matrimonium (si jam contractum est) sit contractum in facie Ecclesiae praemissis Denuntiationibus. Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *Disp.* 40. *nu.* 4 Bosco *de Matrim. Disp.* 12. *sect.* 13. *nu.* 149. *arg. c. Cum inhibitio. de Clandestin. Despons.* ubi Pontifex rationem apponit; *cum taliter contrahentes* (idest sine denuntiationibus, aut clandestine) *non expertes scientiae, vel saltem affectatores ignorantiae videantur.* Adhoc clarius *Concil. Trident. cit. Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap* 5. ibi *Quod si ignoranter id fecerit; si quidem solemnitates requisitas in Matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur poenis.* Rationem adjungit: *Non enim est dignus, qui Ecclesiae benignitatem facile experiatur, cujus salubria praecepta temere contempserit. Si vero solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, et gratis dispensare poterit.*

61 Notandum tamen cum Sanchez *loc. cit.* memoratam poenam contrahentes non afficere, si Denuntiationes de licentia vel dispensatione Episcopi omittant; quia tunc dici non possunt, praecepta Ecclesiae neglexisse, vel temere contempsisse; prout tamen ad poenam hanc incurrendam Concilium Tridentinum requirit.

Caeterum dicitur in utraque Conclusione *nu.* 57. et n. 60. posita: *si jam contractum est Matrimonium*, idque ob sequentem Quaestionem. Nam

62 Quaeritur V. An semper etiam necessario requiratur, ut Matrimonium in facie Ecclesiae actu jam sit contractum? Resp. quamvis ad hoc, ut Episcopus in foro conscientiae super occulto Impedimento dispensare valeat, ordinarie requiratur, ut Matrimonium in facie Ecclesiae bona fide saltem unius actu jam sit contractum, tamen si urgentissima necessitas adesset (quae non nisi rarissime contingere potest) etiam ante Matrimonium contractum dispensare valeret. Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *disp.* 40. *num.* 8. quem sequuntur Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap* 15. *nu.* 6. Bosco *de Matrim. Disp.* 12. *sect.* 13. *Concl.* 5. *a num* 165. Barbosa *de Offic. et potest. Episc allegat.* 35. *nu* 5. Gobath. *in Theolog experiment. tr.* 9. *num.* 581. Palao, Reginaldus, Bonacina, Perez, Diana, Tamburinus, Dicastillo, Hurtado, et alii. *Prima* pars conclusionis ex eo patet, quia super Impedimento etiam occulto nunquam dispensare potest Episcopus, nisi adsit necessitas *urgens*, per dicta supra *num.* 49. atqui vix, aut non nisi rarissime contingit casus, in quo necessitas ita urgeat, ut Matrimonium non possit differri, donec Dispensatio Roma veniat; praesertim cum deficientibus aliis differendi causis, et praetextibus, conscius Impedimenti facile possit instituere aliquam peregrinationem, vel simulare (non mentiri) aliquam infirmitatem.

Altera vero pars licet varie, et fuse a DD. citatis probetur, optima tamen videtur probatio, quod rationes supra allatae *n.* 15. pro Dispensatione post Matrimonium militent etiam pro Dispensatione ante Matrimonium in urgentissimo casu, sicuti consideranti patet in caso, quem ponit Sanchez *loc. cit.* Barbosa, et alii: v. g. Desponsati aliqui certum diem jam determinarunt ad solemniter celebrandas Nuptias, ad quas omnia etiam jam parata, hospites invitati, vestes nuptiales confectae, et reliqua omnia ita praeparata sunt, ut de Nuptiis nemo amplius dubitet: pridie autem Sponsus vel Sponsa Sacramentalem Confessionem deponens, primum rescit, quod laborat occulto Impedimento *dirimente*: Affinitatis v. g. contractae perfecta copula carnali prius cum sorore Sponsae habita: In tali casu, si consideratis prudenter considerandis non apparet, quod aliqua via Matrimonium sine periculo infamiae, scandali, aut maximae confusionis differri potest (prout ordinarie fieri posse non videtur) Episcopo ob rationes supra *n* 15. allatas, potestatem in Foro interno dispensandi omnino competere citati, et communiter alii fatentur DD. quidquid in contrarium dicat Fagnanus *in c. Nimis. de Filiis Presbyt.* 63

Idem a fortiori dicendum, et Episcopo potestas dispensandi attribuenda est, si in tali caso sponsus, vel sponsa primum rescit, votum Castitatis perpetuum, quod habet, esse Impedimentum impediens Matrimonium, prout dictum est *Lib. III. Tit. XXXIV. n.* 38. 64

Quaeritur VI. An concurrentibus *n.* 15. allegatis, et praesenti §. declaratis conditionibus possit Episcopus super quovis impedimento occulto dispensare pro foro conscientiae? Resp. Potest super quovis et solo, super quo potest, *et solet* dispensare Papa. Engel *lib.* 4. *Tit. XVI. n.* 11. et alii. Quod possit super *quovis*: Ratio est; quia de quovis tali militant rationes, et argumenta supra *nu* 15. allegata. Quod autem possit super *solo*: patet, quia nulla ratione praesumi potest, Pontificem dare Episcopis consensum ad dispensandum super aliquo impedimento, super quo etiam pro foro conscientiae per Sac. Poenitentiariam ipse dispensare non solet. Nec scitur alicubi vigere consuetudinem tribuentem Episcopo potestatem dispensandi super impedimento aliquo, super quo non solet dispensare Papa: consequenter nulla ratione competere videtur Episcopo talis potestas. 65

Notandum tamen, quod licet sint aliqua impedimenta, super quibus potest, et non solet Papa dispensare pro foro externo, tamen vix sit aliquod, in quo potest, et non soleat dispensare Papa pro foro interno per Sac. Poenitentiariam, cum per hanc dispensare soleat etiam in primo lineae rectae gradu Affinitatis contractae ex copula illicita, v. g. cum Matre uxoris suae; consequenter cum Episcopus concurrentibus conditionibus possit juxta dicta, in quo potest, et solet Papa, vix erit aliquod impedimentum, super quo existentibus requisitis conditionibus non possit Episcopus dispensare, si super illo dispensare valet Papa

66 Quaeritur VII. An hacteous recensitae conditiones requirantur etiam ad dispensandum super impedimentis, super quibus dispensare Episcopus valet ex privilegio. Resp. Negative. Omnes. Ratio est: quia ad dispensandum super his sufficit quaevis rationabilis causa, ob quam licite potest, et solet dispensare Papa juxta dicenda infra *nu.* 68. *et n.* 145. Quaenam autem sint causae rationabiles, ob quas solet Papa dispensare, dicetur §. *seq. per totum.*

§. III.

De Causis, ob quas validè, ac licite Pontifex, Nuncius, et Episcopus dispensare possunt, et solent.

SUMMARIUM.

67 *Ratio continuationis.*
68 *Causae, ob quas Episcopus dispensare valet ex speciali facultate, vel privilegio, non sunt confundendae cum causis dispensandi pro solo foro conscientiae jure Ordinario.*
69 *Enumerantur in Compendio causae, ob quas Papa dispensat.*
I. *Est praerogativa dignitatis Regiae, vel vere Principalis. Ibidem*
70 II. *Est conservatio Familiae: Item ut bona maneant in eadem Familia.*
71 III. *Est excellentia meritorum.*
72 IV. *Extinctio litis de re magni momenti.*
73 V. *Gravis inimicitia.*
74 VI. *Confirmatio, vel conservatio pacis.*
75 VII. *Evitatio scandali.*
76 VIII. *Angustia loci: Quando censeatur adesse? Foeminae sibi ipsis maritum quaerere non debent. Ibid.*
77 *Angustia loci vim habet, etsi puella in vicinia virum parem inveniret.*
78 *Angustia loci non censetur esse in majoribus civitatibus, proprium Episcopum habentibus: et duob. seqq.*
81 IX. *Causa est defectus competentis dotis.*
82 *Sive nubere volens sive alius eam supplere velit.*
83 *Censetur etiam adesse, etsi in loco vicino parum habere posset virum.*
84 *Sicut etiam, si dos mulieris involuta est libitus.*
85 *Non item, si defectu carrat quidem dote, habent tamen parentes divites.*
86 *Nisi ob copiam aliarum prolium eam sufficienter dotare non valerent.*
87 *Puella censetur pati defectum dotis, etsi spem certam habeat, sufficientem acquirendi cum tempore ex legato, haereditate etc.*
88 *Vel post mortem parentum.*
89 *Secus est, si dos ejus praesens sit competens ad nubendum pari, licet sit incompetens ad nubendum consanguineo.*
90 *Quid juris? si puella tempore, quo petit dispensationem, caret quidem dote, post obtentam autem dispensationem sufficienter acquirit: Et n. seqq*
92 X. *Est aetas mulieris vigesimum quartum annum jam excedentis.*
93 *Si interea virum non invenit, qui eam peteret.*
94 XI. *Est copula habita, et propalata cum consanguineo, vel affine.*
95 XII. *Est infamia mulieris.*
96 XIII. *Est locus ad litus maris.*
97 XIV. *Est Matrimonium bona fide contractum.*
98 XV. *Est causa generalis dicta ex certis rationabilibus causis.*
99 *Non ob quamvis causam dispensatur in quovis impedimento: Quo majus impedimentum, eo major requiritur causa.*
100 *Sicut etiam quo propinquior gradus, major adesse debet causa.*
101 *Coeteris paribus facilius dispensatur cum Nobilibus, vel Divitibus, quam aliis.*
102 *Dispositio Concilii, quod dispensari non debeat super secundo gradu, nisi cum magnis Principibus, non se extendit ad Affinitatem ex copula illicita: Et duobus seqq.*
105 *Neque ad Honestatem publicam*
106 *Quid per magnos Principes intellexerit? usque ad num. 1..*
Principum nomine qui veniant? Ibidem.
110 *Cum Regibus, et vere Principibus personis Papa dispensat super impedimento Consanguinitatis in secundo gradu.*
111 *Item etiam cum vere Nobilibus, gravibus de causis.*
112 *Quaenam sint tales graves causae? Et num. praeced. et seqq usque ad num. 120.*
120 *Plures minores causae junctae aequivalent majori.*
121 *Dispensat subinde in eodem gradu etiam cum Divitibus et praecipuis personis alicujus loci: Et quibus de causis? Ibidem.*
122 *Imo etiam cum plebeiis: Et quando?*
In secundo, et tertio consanguinitatis gradu cum quibus? Et ex
123 *Qua causa dispenset?*
124 *Super tertio, et quarta simplici, et mixto gradu dispensa cum quovis ex qualibet causa rationabili.*
125 *Cum quibus, et ex qua causa Papa dispensare potest, et solet super secundo, vel primo et secundo Consanguinitatis gradu, cum iisdem, et ex eadem causa dispensare potest, et subinde solet super primo gradu Affinitatis.*
126 *Rarius tamen conceditur super primo gradu Affinitatis.*
127 *In primo gradu Affinitatis ex copula illicita dispensare solet Papa etiam ante Matrimonium et pro Foro externo?*
128 *Ob quas causas? Et num. praeced.*
129 *Pro foro conscientiae solet Papa in primo gradu Affinitatis ex copula illicita dispensare ex quavis causa rationabili.*
130 *Etiam in lineae rectae gradu primo.*
131 *Super secundo gradu Affinitatis ex copula licita cum quibus, ex qua causa dispensare soleat Papa? Et duobus seqq.*
134 *Super secundo gradu Affinitatis ex copula illicita dispensat cum quovis ex quavis causa rationabili.*
135 *Super impedimento publicae honestatis cum quovis ex quavis rationabili causa dispensat.*
136 *Difficillime vero et vix unquam super Paternitate, et Filiatione spirituali.*
137 *Faciliter vero, et ex quavis causa rationabili super compaternitate, et Commaternitate spirituali.*
138 *Super impedimento criminis, accedente machinatione in mortem, Papa pro foro externo nunquam dispensat.*
139 *Bene vero pro interno, quamvis non nisi difficillime.*
140 *Si Machinatio in mortem abest, dispensat ex causa rationabili.*
141 *Super impedimento Ordinis, et Voti solemnis, seu professionis Religiosae Papa difficillime, et non nisi ob causam publicam dispensat*
142 *Bene vero super votis simplicibus: Et quibus ex causis? Remissive*

143 *Non quaevis causa, ob quam Papa dispensare solet, sufficit ad hoc, ut Episcopi jure ordinario dispensare valeant pro foro interno super impedimento occulto.*

144 *Bene vero sufficit ad dispensandum ex privilegio, vel speciali facultate.*

145 *Enumerantur impedimenta, super quibus Episcopi vi specialis facultatis dispensare valent ex quavis causa rationabili.*

146 *Quaenam, et quomodo verificari debeant causae dispensandi: Item quid, si pluribus allegatis non omnes verificantur? Remissive.*

Cum ex dictis supra *num.* 5. constet, dispensationem a quocunque fiat, semper illicitam, et saepe etiam invalidam esse, si absque justa causa fiat, utpote tunc dissipatio potius, quam dispensatio vocande, merito tunc indagatur de justis dispensandi causis, postquam in praecedentibus jam satis dictum est, quibus dispensandi potestas competat.

Notandum tamen prius, quod, uti ex Rubrica. §. 1. liquet, hic principaliter agamus de causis, intuitu quarum Pontifex jure ordinario, eique ad Pontificis imitationem, Nuncii vel Episcopi *ex privilegio vel facultate sibi specialiter concessa*, in foro etiam externo dispensare possunt, et solent. Qualiter enim, et ex qua causa *Jure Ordinario* Episcopus pro solo foro conscientiae dispensare valeat, abunde actum est in praecedentibus duobus §§. *a n.* 13.

68 Unde ulterius notandum, non esse confundendas causas, ob quas Episcopus pro foro etiam externo dispensare potest ex speciali facultate, vel privilegio, cum causis, ob quas jure ordinario, et absque privilegio dispensare valet pro solo foro interno. Enimvero jure ordinario non nisi ex sola causa *magna et urgentis necessitatis*, certisque concurrentibus conditionibus pro solo foro interno dispensare potest juxta dicta in duobus §§. praecedentibus, praesertim vero *num.* 19. dum econtra, si ex privilegio in casibus sibi concessis, pro utroque foro dispensare vult, nulla requiritur necessitas, sed sufficit quaevis alia justa, et rationabilis causa talis, ob quam Pontifex dispensare solet juxta dicenda *n.* 144. Hinc licet causa, ob quam Episcopus Jure ordinario dispensare valet pro foro interno, magna videlicet, et urgens necessitas sufficiat, etiam ut ex privilegio in casibus sibi concessis dispensare possit, etiam pro foro externo, non tamen econtra quaevis causa, ob quam dispensare valet ex privilegio, sufficit, ut etiam jure ordinario dispensare queat pro foro interno super impedimentis occultis. Hac distinctione inter dispensationem ex jure ordinario, et ex privilegio Episcopis competentem, causasque illarum non bene observata, nonnulli multum fuere confusi. Hoc notato.

69 Quaeritur I. Quae sint causae, ob quas Curia Romana dispensare solet? Ante responsionem notandum, solutionem hujus, et sequentium quaestionum ex praxi potius, potius, et stylo Curiae, quam ex Jure fieri debere. Hinc etiam responsa e potiori ex Auctoribus in Curia Romana practicis (inter quos celeberrimus est Pyrrhus. Corrad. Item de Justis) desumpsimus, ac firmavimus. Hoc notato, Resp. Esse plures, praesertim sequentes quindecim: videlicet 1. Praerogativa personae. 2. Conservatio Familiae, vel ut bona maneant in eadem familia. 3. Excellentia meritorum. 4. Extinctio litis 5. Gravis inimicitia. 6. Confirmatio pacis. 7. Evitatio scandali. 8. Angustia loci. 9. Defectus dotis. 10. Aetas mulieris. 24. Annos excedens. 11. Copula habita. 12. Infamia mulieris 13. Locus ad lituc maris. 14. Matrimonium bona fide contractum 15. Causa generalis dicta *ex rationalibus causis, seu major taxa pecuniaria.* De quibus singulis nunc in specie.

Prima itaque causa est *praerogativa dignitatis Regiae*, aut vere Principalis. Et merito: Tum quia decens est, ut Ecclesia benignam se exhibeat erga Principes Personas, seu suos Defensores, et Patronos: Tum quia timendum, ne, si eis dispensatio denegetur, pacem turbent, et bono communi Ecclesiae noceant. Uti post Perez *Disp.* 45. *de Matrim. sect.* 5. bene observat Gobath *in Theolog. experiment. tract.* 9. *num.* 604. et alii communiter; ut proin licet respectu harum Personarum nulla in specie allegetur, tamen semper adesse censeatur aliqua justa causa, videlicet, vel excellentia meritorum (utpote quae juxta statim dicenda etiam respectu aliarum personarum sufficit) vel conservatio publicae tranquillitatis, consequenter bonum commune. Hinc Concilium Trident. dum *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 5. ordinat, ut in secundo gradu nunquam dispensetur, provide excipit *Magnos Principes.*

Secunda causa est *conservatio familiae, ne defectu haeredis pereat Illustris, aut nobilitate praecellens familia* Corrad. *in Praxi Dispensat. Lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 199. et clii. Ratio est, quia conservatio talium familiarum facit pro bono communi juxta dicenda infra. Unde ex hac causa Pontifex etiam cum sacerdotibus et Religiosis dispensat, ut nubere valeant, prout dicetur infra *num.* 141. 70

Huc reducunt, imo alii ut distinctam causam adducunt, *ut bona intra eandem maneant familiam, quatenus in suo splendore, ac dignitate conservari valeat.* Casus praecipue contingit; quando familiae alicujus linea sine masculo haerede decedens, pro haerede reliquit foeminam, cujus haereditas ne ad extraneos deveniat, dispensare solet Papa, ut alicui ex eadem familia consanguineo nubere valeat. Idem contingere potest, si quae nobilis instituitur haeres hac conditione, ut alicui ex familia sua pro ejusdem conservatione nubat. Just. *in Praxi Dispensat lib.* 3. *cap.* 13. *et* 14. Bosco *de Matrim. Disp.* 12 *sect.* 13. *num.* 226. Henriquez *lib.* 12. *Disp.* 13 Gobath *loc. cit. num.* 606. Ratio est: Tum quia pro bono communi facit, si magnae familiae conserventur in suo splendore, et opes ejusdem intra eandem remaneant. Sperell. *Decis.* 131 *numer.* 26. Mantic. *de Conject lib.* 7. *Tit.* 1. *n.* 45. *arg. L* 1. §. 13 *ff. de Ventre inspic.* Tum quia illustres familias maxime affligit, si vident bona ejusdem ad extraneos devenire; juxta illud Jerem. *cap* 5. *Haereditas nostra versa est ad alienos, domus nostrae ad extraneos.* Hinc etiam in antiquo Testamento statutum erat, ut foeminae uni ex propria cognatione nuberet.

Tertia causa est *excellentia meritorum* in Ecclesiam, ratione insignium laborum, vel periculorum in bello v. g. contra Ecclesiae hostes vel alias propter Ecclesiam exantlatorum. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 109 Justis *de Dispens. lib.* 3. *cap.* 12. Barb. *ad Concil. Trid. Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 5. *num.* 20. Bosco *loc. cit. num.* 261. Sanch. *de Matrim. lib.* 8. *Disp.* 19. *n.* 31. Castro Palao *de Sponsal. Disp.* 4 *punc. ult.* §. 2. *arg. can tali.* 17. *cau.* 1. *q* 7. ibi: *Nisi meritorum. praerogativa commendet.* Ratio est; Tum quia bonum commune exigit, ut Pontifex erga tales gratum se exhibeat, quatenus alii moveantur ad similia. Tum quia dignum est, ut tales majorem experiantur benignitatem Ecclesiae. Hinc bene infert Gobath *loc. cit.* ex hac causa dispensari cum Centurione, qui in bello Turcico insigniter se gessit. Exemplum hujusmodi dispensationis affert Pyrrh Corrad. *in Praxi Dispensat. lib* 7. *cap.* 2. *num.* 109. 71

Quarta causa est *extinctio litis* vigens inter 72

Oratores, vel eorum parentes, consanguineos, vel affines super re magni momenti v. g. super haereditate, dote, vel aliis bonis, si cujusmodi lis via Matrimonii extingui, aut tolli potest, Just. *cit. lib.* 3. *cap.* 4. Corrad. *in Praxi Dispensat. lib.* 7. *cap.* 2. *a num.* 24. Bosco *de Matrim. Disp.* 12 *sect.* 15. *concl.* 3. *num.* 259. et alii communiter. Ratio est; quia extinctio litium bonum commune promovet, et pro conversatione, ac commercio humano plurimum confert. *arg. c. Dispendia de Rescript in* 6. praesertim cum ex litibus saepe maxima scandala, damna, discordiae, et alia peccata oriantur, quiesque publica turbetur, adeo ut propterea etiam Jura festinent finem imponere litibus *arg. l.* 2. *C. de Re Judicat.*

73 Quinta causa est *gravis inimicitia*: haec enim, si per Matrimonium tolli, et pax procurari potest, etiam inter privatos sufficientem praebet causam dispensandi. Sanch. *lib.* 8. *Disp.* 19. *num.* 8. Bosco *loc. cit.* Corrad. *loc. cit. a num.* 65. Just. *de Dispensat. lib.* 3. *cap.* 5. Palao *de Sponsal. Disput.* 4. *punct. ult.* §. 2. *num* 2 cum communi aliorum. Ratio est; quia, cum ex inimicitiis publicum bonum laedatur, *l si quis ingenuum* § *in Civilibus. ff. de Captivis.* innumeraque scandala, peccata, et alia mala sequantur, omnibus profanis, et sacris Scriptoribus, ipsaque quotidiana experientia testibus aequum est, ut ad eas tollendas pacemque procurandam Papa in Jure dispenset. *arg. l. si inimicitia.* 9. *ff. de His quibus ut indignis*, et *c.* 2. *de Desponsatione impub.* ubi bonum pacis pro urgentissima necessitate dispensandi habetur.

Quae autem sint inimicitiae graves, ordinarie relinquitur arbitrio Judicis Just. *loc. cit. num.* 19. Menoch. *de Arbitrar. Jud. lib.* 2. *Centur* 2. *casu* 110. *num* 3. in specie censetur gravis, quae vel oritur ex atroci injuria, praesertim, si offensus est cupidus vindictae. Tusc. *litt. I, concl.* 149. vel ex controversia magnae partis bonorum Tusc. *loc. cit. n.* 8. Just. *loc cit. n.* 23.

74 Sexta priori vicina, est *confirmatio, vel conservatio pacis* Corrad. *in Prax. Dispensat. lib.* 7. *cap.* 2. *nu.* 74. Just. *de Dispensat. cit. lib.* 3. *cap* 6. Navar. Bosco, Sanch. et alii. *arg. cit. cap.* 2. *de Desponsat Impub* Ratio est; quia Pax civium plurimum conducit pro bono publico. *Clem. Dudum. de sepult.* Unde intuitu illius merito receditur a Jure communi, et conceduntur, quae alias sunt prohibita *arg. c Nisi essent.* 21. *de Praeb. et c. His de Majorit. et Obedien. can. Hoc quippe. can.* 5. *q* 6. Quae jura non tantum de procuranda, sed etiam confirmanda, conservanda, jam acquisita pace merito intelliguntur. Hinc ille versiculus Gloss. *in cit. c.* 2. *de Desponsat. Impub.*

Pax ut servetur, moderamen Juris habetur.

Imo plures DD. tres has causas videlicet *extinctionem litis, inimicitiae deletionem*, et *confirmationem pacis*, pro una, eademque causa reputant, arcentque bonum pacis.

75 Septima, vel potius eadem cum immediate praecedentibus tribus, causa est *evitatio scandali* (ubi per scandalum intelligitur occasio, causa, vel periculum peccati v. g. inimicitiae, odii, homicidii, incontinentiae, vel alterius cujuscumque gravis peccati) Abb. *in c. quia circa de Consang numer.* 2 et ibi Joan. Andreas *num.* 4. Justis *loc cit. num.* 2. Sanch. *loc cit. num.* 9. Nam universaliter etiam propter evitanda scandala a communi jure receditur *arg. c.* 2. *de Novi operis Nuntiat* ibi: *licet opera illa, quae sine mortali peccato committi non possunt, non sunt pro vitando scandalo dimittenda, nec ea debeant pro scandalo vitando committi, quae sine peccato mortali committi non possunt; ab his tamen, quae sine peccato mortali committi possunt, pariter ac dimitti sit pro scandalo tollendo cessandum, et eis etiam pro scandalo vitando insistendum*: ubi Glossa *v. vitando scandalo* ait: *Nota quod pro aliquo scandalo vitando non debet quis mortale peccatum committere; quia utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. c.* 3. *de R. J. alias si aliqua possunt fieri, vel omitti sine mortali, detrahendum est Juri.* Concordat. *c.* 2. *de Temporib. ordin.*

76 Octava causa est *angustia loci.* Sanch. *lib.* 8. *de Matrim. Disp.* 19. *num.* 12. Palao *de Sponsal. Disp.* 4. *punct. ult.* §. 2. Bosco *de Matrim. Disp.* 12. *sect.* 15. *concl.* 4. *num.* 260. Corrad. *in Praxi Dispensat. lib.* 7. *cap.* 2. Justis *lib* 3. *cap.* 2. et communis aliorum: ubi per *angustia loci* intelligitur talis locus, in quo puella non invenit sponsum sibi aequalem, vel parem, nisi consanguineum aliquem, vel affinem; consequenter si tali nubere non liceret, deberet manere innupta, vel nubere tali, qui vel statu, conditione, aut divitiis inferior, vel aetate, moribus, genio aut Religione dispar esset: non enim sola status, generis, aut divitiarum, sed etiam alia ex dictis inaequalitas constituit angustiam loci. Sanchez *loc. c. n.* 15. Bosco *loc cit.* Tusc. *litt. N. concl.* 157. *arg. l Nuptiae. C. de nuptiis*, ibi: *etsi pares sint genere, et moribus, junct. c. super eo* 22. *de Testib. et Attest.* Nec requiritur, ut fiat stricta, et exacta perquisitio, an non aliquis impedimento carens, puellae ad nubendum aequalis inveniatur in loco, sed sufficit, moralis; imo sufficit, si puella decenter ornata, et quasi exposita ad nubendum, per aliquot annos incedebat, et tamen nullus illam pro sponsa expetiit. Justis *de Dispen. lib.* 1. *cap.* 2 *nu.* 24. Corrad. *loc. cit. cap.* 5. *num.* 58. Sanchez *lib* 8. *de Matrim. cap.* 19. *nu.* 14. Ratio est; quia honestas et pudor puellarum non patitur, quod sibi ipsis viros quaerant. *can. Honorantur.* 13. *can.* 32. *q.* 2. ibi: *Non est enim virginalis pudoris eligere maritum.*

77 Porro censetur adesse angustia loci, etiamsi in vicinia puella posset habere sibi aequalem non consanguineum. Sanchez, *loc. cit. num.* 13. Bosco *de Matrim. Disp.* 12. *sect* 15. *numer.* 267. Pontius *de Matrim lib* 8. *cap.* 21. §. 2. *num* 22. Justis *loc cit. num* 70. et alii. Ratio est; quia durissimum est foeminis extra proprium oppidum nubere, ut sic patris, et matris, consanguineorum, et amicorum consortio destitutae acerbam, et quasi solitariam vitam transigant. Accedit declaratio Cardinalium ad instantiam Archiepiscopi Mediol. data 1570. 18. Novemb. ubi expresse ita declaratur; *clausula illa, quia virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis invenire nequit, verificatur, et justificatur per diligentiam duntaxat praestitam in ipso loco mulieris, ut non in locis circum vicinis*

78 Major, et a Doctoribus minus examinata, summe tamen practica est quaestio, qualis debeat esse locus (qui plerumque oppidum vocatur) ob cujus *angustiam* dispensatio conceditur: An videlicet debeat esse civitas, urbs, aut saltem insigne, et populosum oppidum; an vero sufficiat, vel potius debeat esse locus magis angustus v. g. parva civitas, commune oppidum, vel pagus Et quidem Reginaldus, Sanchez, Tannerus, et alii (teste Gobath *in Theolog. experiment. tract.* 9. *n.* 648.) loquuntur de sola civitate, urbe, vel loco insigni, aut famoso, oppidove majori, consequenter velle videntur, oppida minora, et pagos non venire inter loca angusta. Ipse vero Gobath non tantum majora, sed et minora loca, ac in specie pagos ad praesens angusta loca intelligit, eamque opinionem de locis minoribus ibidem bene probat: quamvis ejusdem, et multo minus aliorum DD. opinio de

locis majoribus non subsistat, uti statim dicetur.

79 Nam respondetur ad difficultatem propositam spectando finem, et mentem legis, regulariter non tantum posse, sed etiam debere esse locum minorem, minusque populosum v. g. oppidum non adeo magnum, aut pagum, quando ob angustiam illius, dispensationem impetrare quis vult; adeo ut in civitate, in qua Episcopus sedem habet, et ubi sunt plura, quam trecenta focularia *Herdt. oder Feuerstatt* angustia loci in ordine ad dispensationem non detur, seu non attendatur. Pirrb. Corrad, *in Praxi Dispensat. lib. 7. cap.* 5. *a num.* 40. testans de continua, constanti praxi, et stylo curiae, qui in loco legis habetur. *arg. c. Ex litteris de Constit. et c. quam gravi, de Crimine falsi*, unde teste eodem Corrad. *num.* 44. in Dispensatione addi solet clausula: *dummodo praefata civitas trecentorum foculariorum numerum non excedat.* Ratio est; quia credibile non videtur, in loco tam amplo, et populoso inveniri *Angustiam loci*.

Confirmat suam opinionem (et bene quoad unam partem) Gobath *loc. cit.* praxi Germaniae, ubi etiam in pagis habitantes ex causa angustiae loci passim sollicitant, et obtinent Dispensationem.

80 Infertur primo, caute ad praesens legendos esse DD. citatos; Executores vero attendere debere ad qualitatem loci, hic enim, si est civitas proprium Episcopum habens, et ita ampla existens, ut trecentos focularios excedere credatur, vel probetur (qualia loca in nostra Dioecesi forent Salisburgum, Passavium, Frisinga etc.) Dispensationis litteras exequi non poterunt; prout amplius Corrad. *loc. cit.* Dicitur tamen notanter, *civitas proprium Episcopum habens*, quia ad reliquas etsi etiam ampliores civitates proprium Episcopum non habentes (quales in nostra Dioecesi essent Monachium Landishutum etc.) haec restrictio non extenditur, consequenter in eis aeque aliis minoribus locis Angustia attenditur; eo quod tales civitates Episcopum non habentes, de stylo curiae nec reputentur, nec dicantur proprie civitates sed simpliciter *oppida*, *vel oppida civitates nuncupatae*, uti ex notorio stylo cum aliis bene observat, et modo praefato docet Corrad. *lib.* 7. c. 5. *n.* 45.

81 Nona causa est *defectus competentis Dotis*; dum nempe foemina vel omnino nullam, vel non competentem habet dotem ad nubendum alicui aequali. Sanchez *de Matrim lib.* 8. *Disp* 19. *num.* 16. Bosco *de Matrim. Disp* 12. *sect.* 13 *Conclus.* 4. *numer* 261. Corrad. *in Praxi Dispensat lib* 7 *cap.* 2. *numer.* 21. Justis *de Dispens. lib.* 3. *cap* 3. Navarr. Pontius, et communis aliorum Ratio est; quia, nisi in tali casu dispensaretur, foeminae saepe innuptae manere, vel inaequali nubere deberent; quod utrumque bono communi adversatur: cum ex illo pericula incontinentiae, ex isto autem, inaequali nempe Matrimonio infelices passim sequantur exitus. Sanchez *loc. cit.* Corrad. *loc cit.* n. 22.

82 Nec refert, an ipse, qui carenti competente dote nubere intendit, dotare velit, an vero alius hac cum conditione, ut cum consanguineo, vel affine, aut aliud impedimentum habente contrahat. Corrad. *loc. cit. num.* 48. ubi addit, non vitiari Dispensationis Breve, etsi nubere volens in supplicatione asserat, se velle dotare, cum tamen id alius faciat; quia hoc mendacium est circa rem, quae ad dispensationem nil confert.

83 Porro censetur adesse defectus dotis competentis, etsi haec sufficeret ad nubendum pari in vicinia, vel alio extraneo loco: dummodo sit insufficiens, seu incompetens ad nubendum pari in proprio loco originis. Sanch. *loc. cit. n.* 16. Corrad. *loc. cit. num.* 22. et alii. Ratio est eadem, quae supra *n.* 77. Et quadrat etiam huc Declaratio Cardinalium ibidem allegata.

84 Idem censetur, si foemina dotem quidem habet, sed litibus involutam, casu quo periculum sit, ne causa cadat; vir autem eam ducere intendens, litem in se suscipere vult, et ratione suae peritiae, vel alterius qualitatis utiliter potest. Corrad. *loc. cit. num.* 59. Sanch. *loc. cit. num.* 20. Pont. *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 21. *num.* 25. et alii. Ratio est; quia ad pietatem spectat, foeminae ita destitutae subvenire, ne bonorum jacturam patiatur. Idem a fortiori dicendum, si lis solo tali Matrimonio extinguitur: per dicta supra *num.* 72. quia subintrat tunc alia dispensandi causa, nempe extinctio litis seu *bonum pacis*. de quo ibid.

85 Controversia autem inter DD. est, an mulier censeatur carere dote competente, quae quidem defacto nil possidet, habet tamen parentes Divites. Ad quam negative merito respondent Corrad. *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 23. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 19. *num.* 21. Pontius *loc. cit. cap.* 21. *num.* 23. §. 2. Tusc. *litt. D. concl.* 733. et alii. Ratio est; quia parentes sufficientia media habentes tenentur competenter dotare filiam nubere volentem *L. fin. C. de Dotis promiss* cum dos succedat loco legitimae *L. unic.* §. 11. *C. de Rei uxor. act.* Unde etiam parens injuste recusans dotem, potest ad eam compelli.

86 Limitatur tamen praecedentis num. doctrina casu, quo parens dives quidem est, sed habet plures proles, ita ut competenter dotare non valeat nubere volentem, nisi eam caeteris praesertim masculis praeferat, eique plus tribuat, quam istis cum tempore dare queat. Sanches *loc cit. numer.* 23. Ratio est: quia pater ad id non tenetur, consequenter ipsa a parte rei censetur adhuc carere sufficiente dote.

87 Alia difficultas est, an foemina censeatur pati defectum dotis, quae licet defacto nil possideat, tamen spem, aut moralem certitudinem habet, quod eam tempore sit acquisitura competentem dotem ex donatione, legato, haereditate ab intestato, vel testamento, in quo forsan jam reperitur instituta. Et respondetur affirmative cum Sanchez *loc. cit.* 23. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 2. *nu.* 24. Navar. *de Rescript. Consil* 19. in fine, et aliis communiter Ratio est; Tum quia, cum ad ista nullum adhuc jus habeat, et possit voluntas hominis mutari, vere adhuc dicitur pauper, et carere dote; Tum quia dos datur pro sustinendis oneribus Matrimonii, haec autem statim incipiunt cum ipso contractu Matrimonii, consequenter requiritur dos in re praesens, et non sufficit futura in spe.

88 Infertur ex hac ultima ratione etiam tunc adesse defectum dotis, quando parentum bona ita se habent, ut post illorum mortem, quibus filia tanquam necessaria haeres certo succedit, omnino quidem sufficiant pro competente Dote; tamen quamdiu parentes superstites sunt, iis ipsimet ad honestam, et statui competentem sustentationem ita indigeant, ut filiam in vivis competenter dotare non valeant, quin ipsi defectum patiantur in necessariis. Sanchez *loc. cit. num.* 25. Henriquez *de Matrim. lib.* 2. *cap.* 3. *num* 25. Pontius *lib.* 8. *de Matrim. cap.* 21. *num.* 23. Justis *de Dispens. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 44.

89 Alia difficultas: An defectus dotis verificetur in illa, cujus dos competens quidem est ad nubendum alicui pari, sed non ad nubendum consanguineo, vel affini ditiori, aut potentiori eam ducere volenti. Ad quam respondetur negative. Sanchez *loc. cit. n.* 17. Pontius *loc. cit. nu.* 23. et alii. Ratio est; quia Ecclesia non intendit favere puellis,

ut superiorem, sed ut aequalem acquirant, eo quod taliter sufficienter jam evitetur periculum incontinentiae, et mali eventus ex inaequali Matrimonio oriri alias soliti.

90 Major difficultas alia est, an causa incompetentiae dotis procedat in casu, quo puella vere quidem dote sufficiente caret tempore, quo dispensatio fuit impetrata, antequam tamen illa per Ordinarium executioni mandatur, evadit haeres, et legataria ex testamento, vel intestato, vel aliunde acquirit sufficientia pro competenti dote? Resp. Negative. Corrad. *in Praxi Dispensat. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 25. Sanch. *de Matrim. lib.* 8. *Disp.* 19. *num* 27. et alii. Ratio est quia cessat dispensandi causa, et *cessante causa cessat effectus*. c. *Cum cessante*. 60. *de Appellat.*

91 Aliud foret, si puella haereditatem aut legatum sibi jam pridem factum, et ante obtentam dispensationem primum resciret, postquam dispensatio executioni jam fuit mandata, et Matrimonium contractum: tali enim in casu dispensatio, et Matrimonium valebunt, etiamsi haereditatem acceptet. Sanchez *loc. cit. num.* 28. Corrad. *loc. cit. num.* 27. Justis *lib.* 3. *cap.* 3. *numer.* 68. Ratio est; quia, cum defectus dotis fuerit allegatus, et Matrimonium contractum tempore, quo praefata nondum acceptavit, imo inscia fuit juris ad rem, pie credendum est, mentem Pontificis esse pro valore dispensationis, ne dispensationes, et Matrimonia periculis exponantur. Sanchez et Corrad. *loc. cit.*

92 Decima causa est *aetas foeminae*, quae videlicet 24. annum excedens virum sibi parem hactenus non invenit. Corrad. *in Praxi Dispensat. lib.* 7. *cap.* 288. Barbos. *ad Concil. Trident. Sess.* 24. *de Reformat. Matrim cap.* 5. *num.* 18. Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap* 17. *num* 42. *in fine*. Justis *lib.* 3. *cap.* 8. et alii communiter. Ratio est; quia, sicut leges civiles solent favere puellis 24. annum excedentibus, ita etiam Pontifex; ne in periculo incontinentiae omnino innuptae manere debeant. Haec tamen causa non procedit de viduis; licet enim canones tueantur secundo nubentes contra poenalem dispositionem Juris Civilis *L.* 1. *C. de secund. Nupt.* juxta dicta supra *Tit. XXI. de secundis Nupt.* tamen in hoc puncto curia Romana eis deferre non consuevit, teste stylo. Corrad. *loc. cit.* Pontio *loc.* cit. Justis ubi supra *cap.* 8. *n.* 11.

93 Caeterum, uti supra *num.* 76. de angustia loci dictum est, non requiritur, ut ipsa puella virum sibi quaerat. Corrad. *loc. cit. num.* 95. dummodo annum 24. tempore dispensationis revera excedat saltem per diem, vel horam, quod, si unica dies deesset, Dispensatio non valeret, etsi tempore executionis dictam aetatem excedat. Pontius *loc. cit. cap.* 20. *numer.* 2. Justis *loc. cit.* a *numer.* 13. et alii. Ratio est; quia Dispensatio est stricte interpretanda juxta communem DD. ut magis dicetur infra.

94 Undecima causa est *Copula cum consanguinea*, vel affine, vel alio impedimentum habente perpetrata, et propalata ex impraegnatione v. g. subsecuta prole Justis *de Dispens. lib.* 3. *cap.* 17. Corrad. *in Praxi Dispensat. cap.* 3. *a numer.* 1. allegans stylum curiae, quae stat loco legis. *arg.* c. *Ex litteris de Constit.* Ratio autem, cur ob hanc causam dispenset Pontifex, est, ut consulatur famae, et honori mulieris, utpote, quae alias diffamata et innupta maneret, vel certe virum parem acquirere non posset, scandalis etiam inde timendis, ad quae vitanda a Jure communi recedere expedit per dicta supra *num.* 75. Advertendum tamen, quod, si copula fuit habita sub spe facilius propterea impetrandae dispensationis, id in libello supplicationis exprimi debeat per dicenda infra *nu.* 185. et notat Corrad. *loc. cit. num.* 8. Caeterum copula praehabita rite proposita juxta dicenda infra est una ex urgentioribus dispensandi causis; adeo ut intuitu illius, vel potius ob effectus inde secutos, aut secuturos, Papa non tantum cum Nobilibus, sed et plebeis, etiam in propinquis, v. g. secundo consanguinitatis gradu pro foro externo quoque dispensare soleat, ut cum aliis bene advertit Justis *de Dispens. lib.* 1. *cap.* 4. *a n.* 322.

95 Duodecima priori multum similis est *Infamia mulieris* inde orta, quod ob nimis familiarem, aut alias suspectum conversandi modum oratorum orta sit suspicio, licet falsa, eos carnaliter sese invicem cognovisse. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 3. *numer.* 7. Engel *de Matrim. contra interdict. Eccles. num.* 7. ubi ex hac causa dispensationem a Leone X. factam per extensum adducit. Ratio est, quae in priori causa, videlicet ne alias mulier graviter diffamata, indeque innupta, non sine scandalo remanere debeat.

96 Decima tertia causa est, *si locus ad littus maris*, et propterea continuis piratarum, et fidei Catholicae hostium incursionibus expositus sit, ob quod extranei difficulter haberi possunt ad nubendum cum hominibus in tali loco existentibus. Corrad. *lib* 7. *cap.* 2. *num.* 94. Barb. *ad Concil. Trident. Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 5. *num.* 16. et alii. Coincidit, et easdem rationes haec causa habet cum *angustia loci*.

97 Decima quarta causa est *Matrimonium cum ignorantia impedimenti bona fide contractum*, maxime si jam est consummatum, et proles subsequuta. Et quidem si haec jam fuit subsecuta, Dispensatio facillime obtinetur. Guttierres *canon. qq. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 107. Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *Disp* 19. *num.* 33. Justis *de Dispensat. lib.* 3. *cap.* 16. Engel *loc. cit. numer.* 7. et alii communiter. Ratio est; Tum, quod licet proles ex tali Matrimonio alias jam sit legitima c. 2. *qui filii sint legitimi*, tamen conservatio parentum in conjugio plurimum conducat ad bonam educationem prolis, ut bene notat Sanchez *loc. cit.* Tum quia dissolutio Matrimonii bona fide contracti, sine gravibus incommodis, aut scandalis raro fieri potest. *arg.* c. *Quia circa de Consanguin.* Et ex hac secunda ratione dispensatur, etsi proles subsecuta nondum sit, teste Diana. *p.* 8. *Tract.* 3. *resol.* 93. *in fine*. Bosco *de Matrim. Disp.* 12. *sect.* 13. *concl.* 4. *n.* 265.

Requiritur tamen, ut Matrimonium non tantum sit contractum bona fide, sed etiam in facie Ecclesiae, et praemissis denuntiationibus ob expressam dispositionem *Concil. Trident. Sess.* 24 *de Reform. Matrim cap.* 5. cujus textum vide supra *num.* 57. quod, si secus factum, vel Matrimonium mala fide contractum esset, in supplicatione exprimi deberet, juxta dicenda infra §. *seq. num.* 157.

98 Decima quinta et generalis causa dispensandi est, vocata *ex certis rationabilibus causis*; dum videlicet oratores ex honesta familia, vel nobiles sine allegatione alicujus certae causae petunt dispensationem, allegando causam, vel causas in genere, et rogando, ut Papa cum ipsis dispenset *certis ex causis animum eorum moventibus*; ob quas etiam Papa dispensare solet, ita tamen, ut majorem compositionem, seu taxam pecuniariam solvendam eis imponat, quae pecuniae, dein ad usus pios pro bono communi applicantur, v. g. Redemptionem captivorum, in auxilium pro expeditionibus contra Turcas, vel infideles, in auxilium pro Missionariis Apostolicis, pro restauratione Ecclesiarum etc. Justis *de Dispensat. lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 11. Corrad. *in praxi Dispensat. lib.* 7. *cap.* 2.

a numer. 111. Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *Disp.* 19. *num.* 55. Palao *de Sponsal. Disp.* 4. *punct. ult.* §. 2. *num.* 2. Et licet hujusmodi dispensatio de stylo curiae communiter vocari soleat dispensatio *sine causa*, tamen non fit sine causa animum Pontificis movente, qualis reputatur etiam ipsa major taxa pecuniaria solvenda, et pro bono communi expendenda Caeterum Executor dispensationis nec de dispensationis causa indagare, nec oratores, qualem causam habeant, interrogare, neque de nobilitate, aut honesta familia oratorum se informare, aut illos, ad probandum adigere, sed dispensationem exequi illico potest, ac debet, prout bene observat Corrad. *loc. cit. num.* 115. Justis *in Praxi Dispensat. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 114. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. Disp.* 34. et adhuc dicetur infra de clausulis.

Praeter has allegat Corrad. *lib.* 7. *cap.* 2. adhuc aliquas nempe *oratricem filiis gravatam*; item *pro Belgis*: item *pro Germanis*, de quibus vide apud ipsum.

99 Quaeritur II. An ob quamlibet ex dictis causam? cum quolibet? super quovis impedimento Ecclesiastico? Et in quovis gradu dispensetur? Resp. Negative. Enimvero notandum ex communi omnium sententia, ut inquit Palao *de Sponsal. lib. Disp* 4. *pun ult.* §. 2. et videndum apud Sanchez *de Matrim. lib* 8. *Disp.* 19. Justis *de Dispensat. lib.* 3. *cap* 1. *a numer.* 92. et alios: primo, quod quo majus est impedimentum, eo urgentior requiratur causa: quia quo majus est vinculum eo magis obstat prohibitio, hinc gravior requiritur causa, pro dispensanda consanguinitate, quam Affinitate; major pro cognatione spirituali, quam legali: major pro dispensatione in voto solemni, quam simplici: major ad dispensandum super impedimento criminis, utriusque vel alterius machinatione accedente, quam si neuter conjugum machinetur: major si plura obstent impedimenta, quam si unum.

100 Secundo: quo propinquiori gradu sunt conjuncti oratores, difficilior rursus est dispensatio, et major requiritur causa. Hinc major requiritur causa ad dispensandam in primo, quam secundo; major pro hoc, quam pro tertio; major pro secundo et tertio, quam pro solo tertio: major pro mixto, quam pro simplici gradu. Ratio est; quia quo gradus propinquior est, eo minus decet conjunctio.

101 Tertio: quod caeteris paribus facilius dispensetur cum Regalibus, Ducalibus, et Principibus Personis, quam cum Nobilibus; facilius cum his, quam cum Divitibus, ac magis honestis personis; facilius cum istis, quam cum plebeis. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. Disp.* 19. *numer.* 7. Palao *de Sponsal. Disp.* 4. *pun. ult.* §. 2. *num.* 1. D Thom. 2. 2. quaest. 63. *art.* 2. *ad* 2. Ledesma *de Matrim. q.* 56. *art. ult* Covar. Bosco, cum communi, et certa aliorum unanimiter demonstrantium; id fieri absque vitio acceptationis personarum, *arg. Concil. Trident. Sess.* 24. *de reform.* eo quod justa ratio id suadeat; cum inde saepe pax et tranquillitas publica procuretur, vel stabiliatur, salusque publica magis a potentibus, quam plebeis dependeat, et multum Ecclesiae expediat, illos sibi non habere, contrarios, sed faventes. H. N.

102 Quaeritur III. Ex quibus causis? quibusque cum personis? Et in quo gradu *consanguinitatis* dispensare soleat Papa? Ante responsionem sciendum, quod circa Dispensationem super *Consanguinitate*, et *Affinitate* sequentem fecerit ordinationem *Concil. Trident. Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 5. ibi: *In secundo gradu* (et a fortiori in primo) *nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, et ob publicam causam*; ubi per *secundum* tam affinitatis, quam consanguinitatis gradus intelligitur, prout expresse declaravit Pius V. et tenent cum aliis Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *Disp.* 19. *nu.* 3. Barb. *ad Concil Trident. loc. cit. num.* 27. Coninck *Tom.* 2. *Disp* 33. *num.* 44. et alii: Dummodo Affinitas ortum suum habeat ex copula licita, seu conjugali, non vero ex copula illicita, seu fornicaria. Sanchez *loc. cit. num.* 3. Barbos. et Coninck *loc. cit.* cum enim Affinitas ex hac proveniens sit longe minus impedimentum, et tantum usque ad secundum gradum se extendat per dicta supra *Tit. XIV. num.* 47. Concilii Trident. dispositio de illa intelligi non debet *arg. c. odia. de R. J.* quia alias respectu personarum non Principum, omnino clausa esset via dispensandi super Affinitatis impedimento ex copula fornicaria: quod tamen est contra consuetudinem Poenitentiariae Romanae, utpote quae pro foro interno (pro hoc enim dispensatio ordinarie petitur super isto impedimento Affinitatis ex copula illicita, hoc ipso, quod ordinarie ex occulto delicto proveniens, sit occultum) passim, et sine ulla difficultate dispensat, etiam in primo Affinitatis gradu, praesertim post contractum Matrimonium, casu, quo maritus v. g. ante Matrimonium copulam habuit cum sorore uxoris suae, aut uxor cum fratre mariti.

Nec dubium est, quin etiam super eadem occulta affinitate in primo gradu dispenset ante Matrimonium, hoc ipso, quod juxta dicta id Concilio Trident. non adversetur; praesertim si una ex gravioribus causis v. g. praerogativa personae, conservatio familiae, evitatio scandali. id exposcat. 103

De foro externo (casu quo delictum, ex quo oritur affinitas, esset publicum) adhuc minus esset dubium: Tum ob rationem dictam: Tum quia tunc semper una, vel graves adessent causae dispensandi, cum alias oratores perpetuo diffamari, et innupti manere, nec non periculo vitae saepe exposti esse deberent, praeter periculum incontinentiae, et aliorum scandalorum, uti consideranti patet, et dicetur infra *n.* 125. 104

Pariter per secundum gradum non intellexit impedimentum publicae honestatis etiam in primo gradu. Sanchez *cit. lib.* 8. *Disp.* 19. *num.* 3. Navarr. *de Consang. et affinit. Consil.* 4. eo quod sit longe minus impedimentum, adeo ut potestas super illo dispensandi, ex privilegio ordinarie detur Episcopis, uti patet ex consueta formula supra nu. 22. allegata. 105

Major difficultas est: quid per *Magnos Principes* intellexerit Concilium Trident. Et quidem Suarez *p.* 3. *q.* 71 *Disp* 31. *sect.* 2. *colum* 4. non nisi illos intelligi putat, qui nulli subduntur Regi, adeoque Principes, Duces, et Comites Regibus subjectos Nomine Principum hic non comprehendi. *arg. Clem. un. de Baptis.* ubi Glossa §. *Regum. ait: Principatum sumi pro notabili potentatu merito comparando Regiae Dignitati*: atque ita ibidem docent etiam Anchor. *n.* 4. et alii. 106

Sanchez vero *de Matrim. lib.* 8. *Disp.* 19. *numer.* 2. praefatam interpretationem tanquam nimis strictam, merito refutans ait: venire nomine Magnorum Principum etiam Principes Titulares, qui merito magni domini vocari possunt. Item Nobiles, qui sunt in aliquo potentatu, vel Baronia; quia hi nomine Magnatum veniunt, teste Bald. *in c. Innotuit. de Elect. num. penult.* Opulentos vero et Divites nomine Principum ibidem comprehendi negat. 107

Econtra Henriquez *lib.* 12. *de Matrim. cap.* 3. *num.* 6. et ipsum sequens Gobath. *in Theolog. expri-*

mont. tr. 9. num. 678. Tambur. *lib*. 8. *de Matrim. tr.* 1. *cap*. 7. §. 2. nu. 27. volunt, nomine *Magnorum Principum* intelligi non tantum Reges, Duces, Principes supremam jurisdictionem habentes, sed etiam Marchiones, Barones, Nobiles, imo omnes personas opulentas, et Divites, vel praecipuas alicujus loci. De quibus Tamburinus ibidem ait: *Nobilem* esse, cujus pater, non autem si sola mater nobilis est; *Ex Principalioribus* censeri, qui est valde potens et dives; de *honesta familia* autem esse, qui nulla turpitudinis nota laborant.

108 Facit pro his DD. praxis, consuetudo, et stylus curiae; ex cujus constat, non tantum cum veris ac supremis Principibus, sed etiam cum aliis praesertim valde Nobilibus, in secundo consanguinitatis, et primo affinitatis gradu dispensari. Cum itaque in dubiis *consuetudo sit optima legum interpres c.* 8. *de Consuetud* non sine fundamento docent praefati DD. praesertim, quod, si alia fuisset mens Concilii, Pontifex non tam frequenter dispensaret, hoc ipso, quia, licet possit, tamen facile dispensare non solet in Concil. Trident.

109 Verum, quidquid sit de mente Concilii, sufficit pro praxi scire, solere Papam ex certis causis non tantum cum Principibus, sed etiam cum aliis praesertim Nobilibus, divitibus, et honestis personis super secundo Consanguinitatis, et super primo affinitatis grado dispensare, uti statim patebit. Nam

110 Resp. I. Ad quaesitum *num.* 102. positum: quamvis Romana Curia super impedimento Consanguinitatis nec soleat, nec possit dispensare in aliquo gradu lineae rectae; nec in primo gradu lineae transversae (cum praefati gradus consanguinitatis Jure naturae dirimant per dicta *Tit. XIV. numer.* 27. *e num.* 28.) v. g. cum fratre et sorore: dispensare tamen potest, ac solet in secundo simplici, item in primo et secundo mixto, item in primo et tertio, nec non in primo et quarto gradu Consanguinitatis. Et quidem cum Regiis, et vere Principibus, aut Ducalibus personis etiam ex sola Praerogativa Personae Communis. Patetque multiplici experientia, et stylo Curiae. Ratio est; Tum quia deficiente etiam quacunque alia causa, sola praerogativa Personae Principis juxta dicta n. 69. constituit causam publicam, consequenter facit, quod etiam Concil. Trid. *Sess.* 24. *de Reform. cap.* 5. conformiter dispensetur.

111 Resp. II In praefatis gradibus Papa, seu Curia Ejusdem non tantum cum Regibus, et vere Principalibus Personis, sed etiam cum Illustribus, et valde Nobilibus, Comitibus, Baronibus, Praenobilibus dispensare licite potest et solet, non quidem ob quamlibet levem, sed ob majorem aliquam, vel urgentiorem causam, quales sunt. I. *Conservatio Familiae*, ne deficiat, de qua *num.* 70. Corrad. *in Praxi Dispensat. lib.* 7. *cap.* 2. *num* 109. adducens exemplum dicendo ob hanc causam Gregorium XIII. dispensasse cum aliqua etiam voto castitatis obstricta, quod potuerit nubere patruo suo, qui prius habebat ejus sororem.

112 II. Conservatio bonorum intra eandem familiam: de qua *cit.* n. 70. Corrad. *loc. cit* n. 100.

113 III. Excellentia insignium meritorum in Ecclesiam: de qua *num.* 71. Corrad. *loc. cit.* num. 109. adducens exemplum.

114 IV. Evitatio gravium scandalorum: de qua *num.* 75.

115 V. Est infamia mulieris nobilis, vel ex copula, vel suspecta ejusdem conservatione cum consanguineo, exorta: de qua *num.* 94. et 95. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 5. *a n.* 7.

VI. *Est generalis causa, dicta ex certis rationalibus causis*, si videlicet magna, et extraordinaria solvitur taxa pecuniaria: de qua causa *num.* 98. Corrad. *in Praxi Dispensat. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 122. ubi ait: *Consuevit Summus Pontifex etiam super gradibus propinquioribus dispensare cum oratoribus de vere nobili genere procreatis.* Ubi etiam affert duo exempla, in quorum Innocentius X. dispensavit in primo affinitatis gradu (qui aequiparatur in difficultate dispensandi secundo gradui consanguinitatis juxta dicenda infra *nu.* 125.) ita, ut potuerint dispensati ducere sororem uxoris prius defunctae. 116

VII. Defectus omnis dotis, teste eodem Corrad. *loc. cit. n.* 46. adducens exemplum. 117

VIII. Inimicitiae laethales Corrad. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 73. ubi adducit similem Dispensationem factam ab Urbano VIII. cum Nobilibus primo et secundo gradu consanguinitatis conjunctis. 118

IX Si Matrimonium bona fide jam esset contractum; vel si quidem mala fide, proles tamen ex illa jam esset concepta; vel diu jam in Matrimonio conjuncti viverent oratores; vel ex separatione timendum esse scandalum. Navarr. *de Consang. et Affinitate Consil.* 13. Sanchez *lib* 8. *de Matrim. Disp.* 9. *n.* 4. Justis *de Dispensat. lib.* 3. *cap.* 1. n. 112. et alii. 119

Easdem fere causas allegat etiam Justis *de Dispens.* qui insuper cum Sanch. *lib.* 8. *Disp.* 19. *num.* 34. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 19. et communi aliorum etiam bene advertit, quod, si nulla ex praedictis novem gravibus adesset causa, Papa tamen dispensare possit, et soleat, si plures ex reliquis minoribus allegantur causae: quia *singula, quae non prosunt, simul collecta juvant l. Rationes. et l. Instrumenta. C. de Probat.* Et quidem in specie solet etiam ob aetatem mulieris dispensare Papa in primo ac secundo grado mixto, si alia adhuc causa concurrat, teste Corrad. *in Praxi Dispensat. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 82. 120

Resp. III. Super eodem secundo consanguinitatis gradu etiam cum opulentis, nec non cum praecipuis personis alicujus loci dispensare subinde solet Pontifex. I. Propter causam *num. praeced.* allegatam DD. ibidem citati. II. Propter inimicitias laethales. III. Si patruelis ducere, et dotare vult dote carentem Sanch. *lib.* 8. *de Matrim. Disp.* 19. *n.* 4. Navar. *loc. cit.* Justis *loc. cit.* IV. Ob extraordinariam taxam pecuniariam bono communi applicandam. Henriquez *de Matrim. lib.* 12. *cap* 3. *n.* 6. et 9. Tambur. *de Matrim. lib.* 8. *tract.* 2. *cap.* 7. §. 2. *num.* 25. *et seq.* Gobath in *Theolog experiment. tract.* 9. *n.* 678. V. Ob praecedentem copulam juxta dicta *n.* 94. VI. Si plures causae ex levioribus supra recensitis concurrunt. 121

Resp. IV. Super eodem secundo consanguinitatis grado dispensare Papa solet cum quovis etiam plebejo, et paupere. I. Ob causam *n.* 119. allegatam. II. Si patruelis vult dotare carentem dote. DD. *num.* 119. allegati. III. Si jam habetur proles ex consanguinea, vel si ex incestu est gravida vel saltem copula habita, etiam patefacta; ob hanc enim causam passim conceditur dispensatio pro foro externo, ut consanguinei in secundo gradu contrahere valeant, idque tum ob rationes supra dictas: Tum ob bonum prolis: Tum ut oratores evadant periculum vitae; quam ultimam rationem addendam in supplicatione vult Justis *de Dispensat. lib.* 3. *cap* 1. *n.* 116. 122

Resp. V. In secundo et tertio consanguinitatis gradu Papa dispensare potest, et solet. I. Cum omnibus, cum quibus juxta hactenus dicta dispensare solet in secundo, vel primo et secundo mixto. 123

arg. a Majori ad minus. II. Ob aetatem mulieris cujusvis nondum nuptae. Corrad. *lib. 7. cap.* 2. *n.* 82. III. Cum quevis ob angustiam loci, saltem si in supplicatione additur, quod etiam extra originis locum virum hactenus non iovanarit juxta dicenda infra Corrad. *loc. cit. n.* 11. IV. Ex causa generali allegata supra; dummodo oratores sint de honesta familie, quales omnes censeotur esse, qui nulla turpitudinis nota laborant. Corrad. *lib. 7. cap.* 2. *num.* 118. Tambur. et Gobath *loc. cit.* V. Cum quavis ob defectum sufficientis dotis, si Consanguineus ejus dotem minus sofficieotem, usque ad competeotiam status augere valt. Corrad. *cit. lib. 7. cap.* 2. *nu.* 37. VI. Ad tollendas lites magni momeoti, vel gravem inimicitiam Corrad. *loc. cit. a numer.* 83. Tandem VI. teste Justis *de Dispens. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 115. solet Papa super secundo et tertio gradu cum quavis dispeosare ob quamvis etiam leviorem ex allegatis *a num.* 69. rationabilem causam; qood etiam testatur Corrad. *lib. 7. cap.* 3. *n.* 17.

124 Resp. VI. Soper tertio simplici, item super tertio at quarto misto, nec non super quarto simplici cum quovis ob quamlibet ax *nu.* 69. allegatis, vel aliam rationabilem causam dispensare licite potest, et solet Papa. Justis *loc. cit.* Corrad. *in Praxi Dispensat. lib. 7. cap.* 3. *nu.* 16. at alii communiter, teste continua experientia. Et merito: quia hoc ipso, quod consanguinitas in remotioribus gradibus minus forte constituat vinculom, minorem dispensaodi exigit causam per dicta supra *num.* 99.

125 Quaeritur IV. Ex qoibus causis? cum quibus personis? at in quo gradu dispensare licite possit, ot solest Papa super *impedimento Affinitatis*? de quo *Tit. XIV. §. II.* Ante Responsionem notandum, distingui debere inter Affinitatem ex copula licita, at illicita provenientam. H. N. Resp. I. Ex qoibos causis, et cum quibus Personis Pontifex dispensare solet super secundo simplici, vel primo at secundo misto gradu consanguinitatis, ex iisdem causis, et cum similibus Personis dispensare licite potest, et subiode etiam solet super primo gradu Affinitatis lineae transversae ex copula matrimonisli ortae, ita, ut aliquis ducere possit sororem uxoris suae defunctae, vel viduam fratris mariti defuncti. Justis *de Dispens. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 56. ubi ait, innumera essé exemple hujusmodi dispensationis. *Et lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 100. Corrad. *in Praxi Dispensat. lib. 7. cap.* 2. *n.* 122. ubi duo recentis Dispeosationis Brevia per extensum refert, vi quorum Innocentius X. dispensavit cum Nobilibus, quod maritus potuerit nubere sororis uxori suae defunctae; idque ax sola causa generali, dicta *ex certis rationabilibus causis*: ob quud tamen procul dubio magnam solvere debuerint taxam pecuniariam per dicta *num* 98. Ratio autem conclusionis est: Tum quia Affinitas in primo gradu lineae transversae jure naturae non dirimit Matrimonium juxta dicta *Tit. XIV.* Tum quia primus gradus affinitatis lineae traosversae comparatur secundo gradui consanguinitatis, uti bene advertit Justis *loc. cit. num.* 110. citans Geonens. *in Praxi Curiae Archiep. Neapol.*

126 Advertunt tamen DD. frequentius, et facilius obtineri Dispensationem super secundo consanguinitatis, quam primo affinitatis gradu ex copula licite; imo eam etiam pro vere Nobilibus non oisi raro, pro reliquis autem rarissime, pro foro externo concedi: unde in conclosione notanter dictum est *subinde solet.*

127 Resp. II. Si Affinitas oritur ex copola illicita, Pontifex dispensare super primo grado lineae transversae potest, et solet etiam ante contractum Matrimonium, et pro foro externo cum illis, et ob iis causas, cum quibus, et ob quas causas dispensare potest, et solet super secundo consanguinitatis gradu. Justis *loc. cit.* et etiam *lib.* 2. *cap. 7. a num.* 48. citans communem. Ratio est: quia Affinitas ex copula illicita non inducit inter Affines, foeminam v. g. cognitam, et consanguineos viri cognoscentis vinculum, vel amicitiam aliqoam tam naturalem, uti ioter Affines ex copula licita; imo potius oritur odium et inimicitia ioter eosdem, uti post Fillioc. bene advertit Justis *loc. cit.* ut proin Affinitas ex copula illicite tam forte vinculum, vel Impedimentum non sit, quam Affinitas ex copula licita. Unde etiam Affinitas ex copula illicita tantum usque ad secundum gradum dirimit Matrimonium. Accedit, quod Dispensatio etiam super primo gradu Affinitatis ex copula illicite non adversetur Concil. Trideot. *juxta dicta num.* 102.

Advertit tamen bene Justis *lib.* 3. *cap*: 1. *numer* 116. quod, si pro dispensatione obtinenda quoad forum externum allegetur infamia mulieris (quae semper adest, si copula jam habetur propalata ex impraegnatione v. g.) non sufficiat allegare, mulierem mansuram diffamatam, at inoouptam, graviaque scandala timeri, nisi dispeosetur, sed addi debere, utrique oratori alias etiam imminere vitae periculum. Hoc tamen limita, si pro vere Nobilibus sollicitatur Dispensatio, pro his enim absque hoc addito obtineri potest Dispensatio juxta dicta. 128

Resp. III. Si Affinitas oritur ex copula illicita occulta, potest, et solet Papa in primo Affinitatis gradu pro foro interno, ex causa rationabili quavis dispensare ante, et post contractum Matrimonium. Justis *de Dispensat. lib.* 2. *cap.* 7. *numer.* 49. Gaunaus. *in Praxi Curiae Archiepisc. Neapol. cap.* 20. *num.* 9. *in addition.* Ratio est. Tum, quia Affinitas ex copula illicita est longe minus impedimentum: Tum quia Dispensatio super eadem etiam in primo grado non adversatur Concil. Trident. juxta dicta supra *num.* 102. Tum quia ax simili Dispeosatione nullum timendum est scandalum, etiam pusillorum, hoc ipso, quod pro solo foro conscientiae in occulto detur. 129

Intellige conclusionem etiam de primo Affinitatis gradu lineae rectae. Ratio est, quia, si Affinitas ex copula illicita oritur, etiam primus gradus jure naturae non dirimit, at consequenter in eo Papa dispensare potest, et solet saltem pro foro interno, ita ut quis ducere possit filiam, cujus matrem prius fornicaria cognovit, vel matrem, cujus filiae prius carnaliter ac illicite erat commixtus; prout habet notorius stylus Poenitentiariae. 130

Resp. IV. Super secundo gradu Affinitatis ortae ex copula licita pro foro externo potest, et solet Papa dispensare. Imprimis cum illis, et ex iisdem causis, cum quibus, et ex quibus causis dispensare potest, ac solet cum consanguineis in secundo gradu. Ratio patet, quia Affinitas est longe minus impedimentum, consequenter a majori ad minus bene fit argumentum, per vulgaris Juris. 131

Dein super eodem secundo gradu Affinitatis ex copula licita ortae dispensare etiam solet cum principalioribus Personis alicujus loci; item cum Divitibus, ac etiam cum quibusvis aliis de honesta familia, intuitu universalis illius causae, dictae *ex certis rationabilibus causis*; seu potius ob majorem taxam pecuniariam pro bono communi applicandam. Tambur. *lib.* 8. *de Matrim. tract.* 2. *cap.* 7. *a n.* 25. Gobath *in Theolog. experiment. Tract.* 9. *n.* 678. 132

133 III. Super eodem secondo dictae Affioitatis gradu dispensare solet cum quovis. I. Ob defectum Dotis puellae. II. Si Matrimonium bone fide jam est contractum. III. Et si proles ex illa jam est concepta. IV. Si ex separatione timeotur scandala. Navarr. *de consanguinit. et Affinit. Consil.* 13. Sanch. *lib.* 8. *de Matrim. Disp.* 19. *aumer.* 4. et alii. V. Ob copulam, per dicta *num.* 94.

134 Resp. V. Super eodem secondo grado Affinitatis ex copola illicita ortae dispensat cum quovis ex quavis causa rationabili. Communis. Patetque experientia. Et Ratio est ; quia secondos gradus Affinitatis ex copola illicita respectu hujus impedimeoti jam est remotissimus, utpote ultimus gradus, qui dirimit juxta dicta sopra *Tit. XIV. de Consangui. et Affinit. nu.* 47.

135 Qoaeritur V. Cum quibus ? et ex qua caosa dispensare licite possit, et soleat Papa super impedimento palicae houestatis ex Sponsalibus de futuro proveniente. (de quo *Tit. IV.*) Resp. super hoc impedimento potest, et solet Papa pro otroque foro eum quovis ex quavis causa retionabili dispensare. Commonis. Ratio est ; quia est uuum es minoribus impedimeatis, unde super eodem etiam Episcopis ab urbe longe distantibus specialem facultatem dispensandi eoncedere solet, uti patet ex copia allegata supra *n.* 22.

136 Quaeritur IV. Cum quibos ? et ex qua causa dispensare soleat super impedimento cognitionis spiritualis ? (de quo *Tit. XI.*) Resp. I. Super Paternitate, vel filiatione spirituali, seo super impedimento versante inter levaotem, et levatum, tenentem, et confirmatum nunquam, aot vix, et non nisi ex urgentissima causa (qualis v. g. foret periculom vitae oratoribus ob carnalem eorundem commixtiooem imminens) dispensatur. Justis *de Dispensat. lib.* 2. *cap.* 5. *a num.* 72. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 24. *num.* 15. Corrad. *lib.* 8. *cap.* 8. *nom.* 15. et alii. Ratio est, quia Cognatio spiritualis assimilatur aliquo mudo generstioni caroali, uoda sicut indecentissimum esset Matrimoniom inter patrem et filiam carnalem, sic etiam inter Patrem et filiam spiritualem : Sanchez *loc. cit.* addens, se nunquam legisse, quod Papa super hoc impedimento aliquando dispensaverit. Affert tamen aliquod exemplum Justis *loc. cit. n.* 74.

137 Resp. II. Potest tameo et solet Papa eom quovis ex qualibet causa rationabili ex supra *a num.* 69. allegatis dispensare super compaternitate, et commaternitate spirituali, seu super impedimento cognationis spiritualis inter baptizantem et levantem ex ona, ac baptizati parentes ex altera parte : sicut etiam inter confirmaotam et tenentem ex ona, ac canfirmati patrem et matrem ex altera parte ; inter hos enim versatur compaternitas spiritualis juxta dicta *Tit. XI. de Cognatione spirituli.* Caeterum de Conelusione testatur praetici Corrad. *lib.* 8. *cap.* 8. Justis *de Dispensat. num.* 72. et alii. Patetque esperientia. Hinc bene notandum, quod in supplicatione non sufficiat in genere allegare impedimentum cognationis spiritualis, sed oporteat specifice rem declarare, ot pateat, an inter oretores versetur paternitas vel compaternitas spiritualis.

138 Quaeritor VII. Com quibus ? et ex qua causa Pontifex dispensare soleat super impedimento criminis ? (de qoo *Tit. VII.*) Resp. I. Super impedimento criminis nunquam dispensat Papa pro foro externo, si alterater in mortem conjogis defuncti machinatus est Corrad. *in Prax: Dispensat. lib.* 8. *cap.* 9. Justis *de Dispensat. lib.* 2 *cap.* 16. *a* num. 60. et alii communiter. *arg. can. Si quis vivente* 5. *cau.* 31. *q.* 1. ubi ita criminosi *sine ulla spe conjugii perpetuo manere jubentur, si machinatio probata fuerit* ; quod teste Corrado exacte observat Curia Romana. Et merito : ne aliis detor ausa machinandi in mortem.

Resp. II. Si Impedimentum criminis, machi- 139
natione alterius qualificatum, est occultom, dispensatur qoidem super eodem pro foro interno in Poenitentiaria, tamen non nisi difficillime, et urgentissima de causa. Justis *loc. cit. num.* 65. Corrad. *cit. lib.* 8. *cap.* 9. et alii. Imponitor etiam ita dispensatis gravis poenitentia, de qua vide citatos DD.

Resp. III. Super criminis impedimento nullam 140
machinationem secum habente dispeosatur pro otroque foro ex causa rationabili, v. g si oratrix diffamata et innupta maneret, et scandala verosimiliter orirentur, nisi Matrimonium inter eos sequatur. Corrad. *loc. cit.* Josfis *do Dispensat. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 71. Praecipue vero si matrimonium jam est contractom. Ratio est ; quia, si machinatio revera abest, impedimentum criminis inter difficilia dispensatu non reputatur ; uti inde qooqoe colligitur, quod etiam Episcopis super illo dispensandi specialis facultas concedi soleat, ut patet ex dictis *num* 22.

Quaeritur VIII. Com quibus ? et ex qua caosa 141
Pontifex dispeosare soleat super impedimento Ordinis, et voti solemnis, Professionis nempe Religiosae ? (de quo *Tit VI*) Resp. I. quamvis Papa possit dispensare super impedimento Ordinis aut Professionis Religiosae, ita ut Subdiaconus, Diaconus, Sacerdos, Episropos, Cardinalis, nec non Religiosos, vel etiam Monialis professi possint licite et valide contrahere Matrimoniom, tamen id facere non solent sine causa utilitatis publicae. Sanch. *lib* 8. *Disp.* 8. *num.* 2. *et* 8. Cajetan. Cathar. Medin. Valent et Justis *de Dispensat. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 107. Corrad. *in Praxi Dispens. lib* 8. *cap.* 10 *n* 29. Causas hujusmodi aliquas adducit Gratiae. *Discept. forens cap.* 457. *usque ad n.* 22. et alii. Velnti si Matrimonium sacris initiati, vel Religiosi necessarium est, vel plurimum servit I. Pro conservatione alicujus Regni, caso, quo v. g. solos Religiosus aliqois, vel sacerdos, aut Episcopus haeres existeret. Vel II. Pro conversione Regoi, aot Provinciae ad fidem, vel conservatione illius in fide. Vel III Pro extinguendo, vel avertendo magno bello, seu pro acquirenda vel conservanda pace Regni, aut Provinciae Vel IV. Pro conservatioue familiae valde nobilis, ne absque haerede deficiat, quia conservatio Nobilium familiarum etiam pro bono communi servit juxta dicta *num.* 70 Patetque multiplici experientia, qua constat, quod varii Pontifices ob has et similes causas communis utilitatis saepe jam dispensarint etiam eum Episcopis, Cardinalibus, Religiosis, Monialibos, uti videre est apud Corrad. *loc. cit.* nu. 28 et alios, Recentissimum Exemplum Dispensationis pro conservanda illostri familia addoximos etiam sopra *Tit. VI. Qui Clerici, vel voventes nu.* 16 Rationem et majorem discussionem hujus conclusionis qui desiderat, videat apud Sanch. *cit. lib.* 8. *Matrim. cap.* 8. ubi specialiter etiam demonstret, quod, etsi valide, tamen licite non possit dispensare Papa super impedimento ordinis, vel Professionis Religiosae sine causa publicae utilitatis.

Resp II. Soper voto simplici servandi castita- 142
tem, vel ingrediendi Religionem (quod est tantum impediens impedimentum) non requiritur causa communis utilitatis, sed potest, et solet Papa dispensare ex aliis causis etiam privatis, de quibus vide *Lib. III. Tit. XXXIV. de Voto, et Vot. Redempt a num.* 22.

143 Quaeritur IX. Utrum eaedem causae, ob quas juxta hactenus dicta *a num.* 69. dispensare potest, et solet Papa, sufficiant, quod super impedimentis Matrimonii possint etiam dispensare Episcopi, vel alii in casibus, in quibus dispensandi potestatem privilegio, vel ex speciali facultate, vel jure ordinario habent? Resp. I. In casibus, in quibus Episcopus jure ordinario dispensare potest super impedimento occulto pro solo foro interno juxta dicta *a nu.* 15. non sufficit quaevis ex dictis causis, sed omnino requiritur *magna, seu gravis, simulque urgens causa, vel necessitas.* Ita communis. Patetque conclusio ex dictis *n.* 15. *et* 68.

144 Resp. II. In casibus, in quibus super impedimento Matrimonii dirimente dispensare possunt Episcopi, vel alii ex speciali facultate, vel privilegio, requiruntur, et sufficiunt eaedem causae, ob quas potest, et solet dispensare Papa. Rursus communis. Ratio patet; quia hoc ipso, quod alicui per privilegium vel specialem facultatem communicat super certis impedimentis dispensandi potestatem, quam ipse habet, praesumitur velle, ut ea uti possit ex omni, et sola causa, ob quam ipse dispensare potest, et solet. Nec juste praesumi potest concedere dispensandi potestatem ex causa, ex qua ipse dispensare non solet, utpote eam insufficientem agnoscens.

145 Infertur, quod Episcopi Germaniae ex quavis causa ex allegatis *a num* 69 dispensare possint cum quovis paupere. I. Super tertio et quarto simplici et mixto gradu Consanguinitatis, et Affinitatis. II. Cum quovis etiam non paupere super impedimento publicae honestatis. III. Cum quovis super impedimento Criminis, neutro conjugum machinante in mortem conjugis. IV. Super impedimento Cognationis spiritualis, praeter levantem, et levatum. Ratio est; quia super his vigore specialis facultatis dispensare valent, ut patet ex copie facultatum allegata supra *n.* 22. Ubi sola facultas dispensandi super tertio et quarto gradu restringitur ad pauperes; reliquae vero facultates universaliter conceduntur, consequenter etiam universaliter de quavis Persona sunt intelligendae: Tum quia potestas, seu facultas dispensandi generaliter concessa (non item specialiter delegata) tanquam favorabilis, et late interpretanda est, uti cum communissima et quasi certa aliorum bene docet et probat Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 2. *num.* 1. Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 4. *nu.* 13. Sperell. *Decision.* 110. *nu.* 16. Justis *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 1. et teste Sanchez omnes. *arg. c. olim de V. S. et l. Beneficium ff. de Constit. Princip.* Tum quia universim *verba generalia generaliter sunt intelligenda c. quia circa.* 22. *de Privileg.*

146 Quaeritur X. Quandonam debeant verificari causae? Item quid Juris, si plures allegantur, et una tantum, vel non omnes verificantur? Resp. Ad hoc quaesitum petere infra §. 5.

§. IV.

De iis, quae necessario exprimi debent in supplicatione, ne Dispensatio sub- vel obreptitia, consequenter invalida sit.

SUMMARIUM.

147 *Ratio Continuationis.*
148 *Sub- et obreptio quid? remissive.*
149 *Ad evitandam sub- et obreptionem Dispensationis, necessaria in supplicatione sunt exprimenda, quae de Jure, vel stylo curiae exprimi debent. Si aliquid eorum etiam ignoranter omittitur, Dispensatio subreptitia est, etsi illo expresso Papa dispensasset: Non item si tantum omittitur aliquid, quo expresso Papa difficilius dispensasset. Ibid.*
150 *Super quocunque impedimento petatur Dispensatio, necessario debet exprimi I. Ipsum impedimentum in sua specie.*
151 *II. Si plura sunt impedimenta, debent omnia exprimi.*
152 *III. Et quidem in una, eademque supplicatione.*
155 *Nisi forsan unum impedimentum esset occultum, et alterum publicum: quid Juris tunc?*
154 *Non est necessario exprimendum, quod Dispensatio super eodem impedimento jam semel petita, et denegata fuerit.*
135 *IV. Si copula allegatur pro causa, quae habita est sub spe facilius impetrandae Dispensationis, debet hoc exprimi.*
156 *Etsi una pars tantum habuerit hanc spem.*
157 *V. Si Dispensatio petitur post contractum Matrimonium debet exprimi, an sit contractum bona vel mala fide.*
158 *Etiam unius tantum.*
159 *Item an sub spe facilius impetrandi Dispensationem?*
160 *Et an etiam consummarint?*
161 *Item an in facie Ecclesiae praemissis denuntiationibus?*
162 *Quae procedunt de quocunque impedimento.*
163 *Quando petitur Dispensatio super impedimenta Consanguinitatis, debet exprimi. I. Gradus in specie, quamvis si exprimeretur secundus pro tertio non vitiaretur Dispensatio, et num. seq.*
165 *II. Pluralitas consanguinitatis.*
Et quidem in una eademque supplicatione. Ibid.
166 *III. Debet exprimi gradus etiam propinquus, si oratores inaequaliter distant.*
167 *Constitutio Pii V. desuper.*
168 *Episcopus graviter peccat exequendo litteras Dispensationis non expresso gradu propinquo obtentas.*
169 *Differre debet executionem, donec oratores impetrant litteras declaratorias periade valere.*
170 *Juxta aliquos, Episcopus vel alius delegatus saltem valide exequitur litteras dispensationis non expresso gradu propinquo obtentas.*
171 *Quando gradus propinquus est primus a communi stipite, debet certo exprimi.*
172 *Propinquus gradus quicunque, si non exprimitur, requiruntur ad valide dispensandum litterae declaratoriae, illum non obstare.*
173 *Probatur efficaciter ex Brevi Urbani VIII.*
174 *Frustra impugnatur hoc Breve.*
175 *Quia vere decisive, et non pure relative loquitur.*
176 *Urbanus VIII. non correxit Bullam Pii V. sed ei conformiter statuit.*
177 *Et quomodo.*
178 *Bulla Urbani in sensu nostrae sententiae fuit recepta, et semper in usu apud curiam.*
179 *Affirmat recens simile Breve Innocentii X.*
180 *Responsio ad fundamenta Adversariorum.*
181 *Pro foro interno non requiritur gradus propinqui expressio, nec litterae declaratoriae.*
182 *Causa prolixioris discussionis.*
183 *IV. Debet exprimi, si pro causa Dispensationis allegatur copula, quae habita est sub spe facilius consequendi Dispensationem.*
184 *Si copula non allegatur pro causa, non est necessario exprimenda juxta aliquos.*
185 *Contrarium est verius ac probabilius.*

186 *Probatur primo ex stylo Curiae.*
187 *Probatur ratione.*
188 *Probatur ex declarationibus Cardinalium.*
189 *Probatur ex praejudicio tertii, quod inducit contraria sententia.*
190 *Quando agitur de valore Sacramenti, non licet sequi sententiam minus probabilem, qualis est contraria nostrae.*
191 *Si copula est occulta, non est necesse eam exprimere in supplicatione.*
192 *Ne quidem in Poenitentiaria.*
193 *Publica vero debet exprimi, etsi habita sit post litteras Apostolicas jam obtentas, sed nondum executioni mandatas: secus si fit post executionem.*
194 *Non est necesse exprimere copulam esse saepius habitam.*
195 *Si petitur Dispensatio super impedimento Affinitatis, debent exprimi omnia, quae pro Dispensatione consanguinitatis sunt exprimenda.*
196 *Item an Affinitas orta sit ex copula licita vel illicita?*
197 *An etiam, et quando debeat concurrens honestas publica exprimi?*
198 *Debet etiam exprimi, an sit in linea recta, vel transversali.*
199 *Si Dispensatio principaliter petitur super impedimento publicae Honestatis, debet exprimi, an ex Matrimonio, vel Sponsalibus proveniat?*
200 *In petitione super spiritualibus cognationis Dispensatione debet exprimi, an sit filiatio, vel compaternitas.*
201 *Item an simplex, vel duplex sit Cognatio spiritualis? quando sit duplex?*
202 *Super impedimento criminis exprimi debet, an cum, vel sine machinatione in mortem exstitat.*
203 *Compendiosa repetitio eorum, quae necessario exprimi debent.*

147 Examinata potestate dispensandi, visisque causis ad dispensandum requisitis, merito progredimur nunc magis ad praxin et modum procurandi Dispensationem, indagando imprimis, quaenam necessario exprimi debeant in supplicatione, ne Dispensatio sub-vel obreptitia, aut alias defectuosa censeatur.

148 Supponitur autem ex *Lib. I Tit. III. de Rescriptis* §. 7. *et* 8. quid sit *subreptio*, et *obreptio*, ac quando universim committantur in impetrandis Rescriptis, praesertim Apostolicis v. g. Dispensatione: Ubi in specie dictum, et ex Jure probatum habetur, eam dupliciter fieri, videlicet, vel exprimendo in supplicatione falsum, vel omittendo verum, quod de Jure vel stylo Curiae exprimendum est. De posteriori sxa de expressione falsi agemus §. sequenti; de priori vero, sat de expressione veri in praesenti. Itaque

149 Quaeritur I. In genere, quaenam observari, et necessario exprimi debeant in supplicatione pro impetranda quacunque dispensatione Matrimoniali, ne sub-vel obreptitia censeatur, aut omnino denegetur, vel defectuosa reputetur, sive apud Pontificem, sive apud Episcopum, vel Nuncium, sive in foro interno, sive externo fiat instantia? Resp. I. super quocunque impedimento petatur Dispensatio, omnia ea, quae de Jure, vel de stylo Curiae sunt exprimenda, necessario exprimi debent: adeo, ut si aliquid eorum etiam ignoranter omitteretur, Dispensatio sub-vel obreptitia, consequenter invalida foret, etsi illo expresso Papa dispensasset. Sanchez *Lib.* 8. *Disp.* 21. *a num.* 13. Justis *de Dispens. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. *et* 18. cum communi aliorum contra nonnullos, volentes, valere Dispensationem, etsi omittantur aliqua de Jure, vel stylo Curiae exprimenda, si illis expressis Papa nihilominus dispensasset. Conclusio autem nostra patet ex dictis *Lib. I. Tit. III. de Rescript.* §. 7 *a num.* 156. *usque ad num* 167. inclusive, ubi etiam invenies, quod omissio eorum, quae de Jure, vel stylo exprimenda non sunt, Rescriptum, Dispensationem v. g. minime vitiant, si illis expressis Papa nihilominus, etsi difficilius dispensasset: quod, dum cum communi aliorum etiam docet Justis *loc. cit. a nu.* 10. bene addit, *num.* 12. quod, si omnia ea, quae quidem de Jure, vel stylo necessario non sunt exprimenda, Dispensationem tamen difficiliorem reddunt, exprimi deberent, vix ulla Dispensatio esset tuta.

Resp. II. De Jure, et stylo Curiae sunt aliqua, quae semper observari, et exprimi debent, super quocunque tandem impedimento petatur Dispensatio. Patet inductione. Nam I. necesse est, ut impedimentum, super quo petitur Dispensatio, rite ac in sua specie proponatur; nam si unum pro alio v. g. Affinitas pro Consanguinitate, vel econtra exprimitur, Dispensatio juxta communem nulla est. Ratio clara est; quia licet potestas dispensandi favorabilis sit, et consequenter late interpretanda juxta *n.* 145. tamen ipsa dispensatio utpote *a* Jure exorbitans, et vulnus Juris faciens stricte interpretari, et consequenter ultra expressa extendi, et intelligi non debet. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 1. *num.* 3. Justis *de Dispensat. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 2. Pirh. Corrad. *in prax. Dispensat. lib.* 1. *cap.* 5. Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 21. *num.* 2. cum communi, *arg. c.* 1. *de Filiis Presbyt. in* 6. cum Concord. Neque valeret, etsi impedimentum expressum majus esset illo, quod exprimi debuisset. v. g. si exprimeretur Consanguinitas loco Affinitatis. Ratio est; quod, licet alias valeat argumentum a majori ad minus *arg. c. Cui licet. de R. I. in* 6. *et L. Jurisgentium* §. *Adeo ff. de Pact.* tamen hoc non procedit in Dispensatione, Corrad. *loc. cit. n.* 3. cum communi Joan. Andreas *in c. Ea quae de R. J. in* 6. *arg. c. fin. de Translat. Episc. et c. Cui de non sacerdotali. de Praeb in* 6.

Caeterum quomodo quodvis impedimentum in praxi rite proponi debet, dicetur §. *seq. a numer.* 267.

II. Si Oratores plura impedimenta habent, v. g. si nubere volentes sunt simul consanguinei, et affines, vel duplici vinculo Consanguinitatis conjuncti, aut laborent simul impedimento criminis, et publicae honestatis, vel Cognationis spiritualis, debent omnia fideliter exprimi. Justis *de Dispensat. lib.* 1. *cap.* 4. *a numer.* 96. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 24. *num.* 1. ibique teste omnes. Ratio patet ex dictis; quia Dispensatio utpote a Jure exorbitans ultra expressa non extenditur per Jura *num. praeced.* citata; consequenter, si aliquod impedimentum omittitur, Dispensatione non tollitur, sed adhuc manet, et obstat; Nam Papa non censetur velle sanare defectum, quem ignorat. *arg. c. si eo tempore.* 9. *de Rescript. in* 6 151

III. Requiritur, ut omnia impedimenta, quae obstant, in una, eademque supplicatione fideliter exprimantur. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 25. *num.* 2. Justis *loc. cit. num.* 87. Pontius *de Matrim. cap.* 17. §. 5. *n.* 25. Basco *de Matrim Disp.* 12. *sect* 15. *concl.* 11. et alii communiter contra Navarr. *Consanguinit. et Affinit. consil.* 1. *et* 4. et nonnullos alios volentes sufficere, si successive in pluribus supplicationibus proponantur. Ratio autem nostrae doctrinae est; quia Papa concedens dispensationem secundum allegata, censetur semper dispensare sub tacita condi- 152

tione, *si aliud non obstet. arg. c. 1. de aetat. et qualit. ordinand. in* 6. Atqui in proposito obstat aliud impedimentum, de quo nulla facta est mentio: ergo. Confirmatur ex stylo curiae, ut post alios testatur Justis *loc. cit. nu.* 89. stylus enim curiae facit Jus, et stet pro lege, praesertim in Dispensatione Matrimoniali juxta dicta *num.* 149.

153 Sed quaeris, quid Juris? si contingat unum impedimentum esse publicum, et alterum occultum v. g. Affinitatem ex fornicatione, et consanguinitatem publicam. Respondetur, tunc debere publicum impedimentum proponi in Dataria, vel Cancellaria ad impetrandam Dispensationem pro foro externo, utrumque autem tam publicum videlicet, quam occultum in Poenitentiariae pro foro interno, non quod haec etiam super impedimento publico dispenset, sed quia, si duplex obstat impedimentum, difficilius dispenset Poenitentiaria etiam super solo occulto. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 23. *nu.* 7. pro hoc allegans Declarationem Cardinalium. Justis *de Dispens. lib.* 1. *cap.* 4. *a num.* 103. Ubi testatur etiam de praxi et stylo curiae Ponti. et alii communiter. Nec refert, sive prius in Poenitentiaria pro foro interno, sive in Dataria pro foro externo petatur Dispensatio. DD. citati, quod idem declaravit S. Congregatio.

154 Praeter haec necessario vult Menoch. *de Arbitr. casu* 203. *num.* 6. etiam exprimendum esse in quavis supplicatione, si Dispensatio super eodem impedimento jam semel petita, sed denegata fuit. Verum id necessarium esse rectius negat Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 22. *n.* 14. Pontius *lib.* 8. *cap* 17. *nu.* 3. Diana, Suarez, et alii. Ratio est; quia nec Jure, nec stylo curiae requiritur. Neque valet ratio a Menoch in contrarium allegata, videlicet, quasi Dispensatio secundo petita semper denegetur, si mentio fit, eam jam semel denegatam fuisse. Nam contra est, quod facile contingere possit, ut in secunda petitione graviores causae, et rationes, quam in priori, vel alio, et efficaciori modo proponantur, indeque Papam moveant ad dispensandum super impedimento, super quo prius non dispensavit.

155 IV. Si copula allegatur pro causa dispensandi super aliquo impedimento, debet exprimi, an sub spe facilius obtinendi Dispensationem fuerit habita, vel non. Justis *de Dispensat. lib.* 1. *cap.* 4. *nu.* 366. Sanchez *lib.* 8. *Disp* 25. *nu* 38. Gutierez *lib.* 1. *canon. qq. cap.* 15. *nu.* 20. Gobath *in Theolog. experiment. tract.* 9. *nu.* 616. eoque teste omnes. Ratio est: quia est notorius stylus curiae. Et merito, ne quis ex fraude, et dolo facile reportet commodum *contra c. si vir de Cognat. spirit. et c.* 1. *de eo, qui duxit, cum Concord.*

156 Et licet plures, ut Gobath *loc. cit.* Portel *in Respons. cas. moral p* 3. *casu*, Diana et alii velint, non esse exprimendam hanc spem, si fuit tantum ex parte unius, vel si quidem ex parte utriusque, tamen unus alteri non manifestavit; tamen in praxi contrarium est tenendum, uti bene advertit Corrad. *lib.* 8. *cap.* 1. *nu.* 18. allegans inveteratum stylum curiae, simulque addens, praefatos et alios Doctores contrarium asserentes toto coelo aberrare.

157 V. Si Dispensatio petitur post Matrimonium arte jam, sed invalide contractum, debet fideliter exprimi primo, an illud bona vel mala fide contraxerint, scientes versari inter illos impedimentum. Communis et certa. Idque ob rationes et Jura in simili allegata supra *nu.* 57. *et seq.* ubi etiam *nu.* 58. explicatum habetur, quandonam contrahentes dici possint, mala fide contraxisse.

158 Et quamvis ad hoc, ut Episcopus pro foro conscientiae dispensare valeat, bona fides unius sufficiat ob Jura, et rationes, atque DD. *nu.* 59. allegatos: nihilominus quando dispensatio petitur in Curia Romana, securius est, et pro praxi omnino consulitur, ut si saltem una pars fuit conscia impedimenti, casus fideliter proponatur, prout se habet a parte rei, sive dein pro foro externo, sive interno petatur Dispensatio, eo quod plures DD. etiam practici, ut Justis *lib.* 3. *cap* 16. *nu.* 15. Navarr. *Consil. de Consag.* Genuens. *in Praxi Cur. Archiep cap.* 20. *nu.* 7. Corrad. *lib.* 1. *cap.* 8. *nu* 9. allegans notorium stylum, velint necessario esse exprimendum, si una pars conscia fuit impedimenti, et consequenter mala fide contraxit. Imo consulitur etiam pro praxi, ut si una pars saltem conscia fuit impedimenti occulti, non apud Episcopum, sed Poenitentiarium petatur pro foro conscientiae Dispensatio, allegando ibidem fideliter casum. Ratio est; quia, quando agitur de valore Sacramenti, securior via suadenda est.

Ulterius requiritur, ut exprimatur, si Matrimonium fuit contractum sub spe facilius impetrandi Dispensationem. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 25. *nu.* 22. Gutierez *lib.* 2. *can. qq cap.* 15. *num. penult* cum communi aliorum ob notorium stylum curiae, ac rationes et Jura infra in simili allegata *num.* 55. *et* 56. de copula habita sub spe facilius consequendi Dispensationem. Ubi etiam applica dicta ibidem in casu, quo una tantum pars sub spe facilius consequendi Dispensationem contraxit Matrimonium. 159

Insuper requiritur, ut exprimatur, si Matrimonium mala fide contractum etiam consummarunt. Omnes sub textum, *Concilii num.* 57. allegatum, juxta *Clement. Eos, qui de Consang. et Affinit.* ac speciali constit. *Clement V.* apud Corrad. *lib.* 8. *cap* 4 *num.* 4. Idque intellige, etsi una tantum pars fuerit conscia impedimenti, per dicta *num.* 56. *et* 58. 160

Quod, si ambo cum ignorantia impedimenti, consequenter bona fide contraxerunt quidem, sed clandestine, vel sine praemissis Denuntiationibus, hoc quoque necessario exprimendum erit. Omnes. Cum et istos Dispensationis gratia carere velit Concil. Trident. *Sess.* 24. *de R form. Matrim. cap.* 5. cujus textum vide supra *num* 60 quo tamen Concilium, vel Pontifex nec vult, nec potest ligare Manus Pontificum Successorum, quin possint, si velint, ac etiam soleant (casu fideliter expresso et existente legitima causa) etsi difficilius dispensare; ut bene advertit Corrad *lib* 8 *cap.* 3. *nu* 6. cum Papa sit supra Concilium, *et par in parem non habeat imperium, c. Innotuit de Elect* cum Concord. 161

Caeterum quae hactenus de necessario exprimendis dicta sunt, casu quo petitur Dispensatio post jam contractum Matrimonium, intelligi debent non tantum de contrahentibus consanguineis, vel affinibus, sed etiam quocunque alio impedimento dirimente ligatis, ut egregie ex jure demonstret, et solutis argumentis contrariis efficaciter confirmat per specialem constitutionem Clementis V. Pirhing. Corrad. *in Praxi Dispensat. lib.* 8. *cap.* 3. *a num.* 1. 162

Quaeritur II. Quaenam necessario exprimi debeant, quando petitur Dispensatio super impedimento Consanguinitatis? Resp. I. debet fideliter exprimi gradus, quo conjuncti sunt oratores, an videlicet in linea recta, vel transversali, in secundo, vel tertio, vel quarto etc. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 24. *n* 2. eoque teste Omnes. Ratio est; quia difficilior est Dispensatio in propinquiori, quam remotiori gradu. Accedit stylus curiae ad praesens pro lege observandus. Hinc subreptitia et invalida censetur Dispensatio, si gradu non expresso, tantum in genere dicerent oratores, illos esse consanguineos. 163

Illud tamen hic notandum, quod, si oratores ex. 164

priment gradum propinquiorem loco remotioris, dicentes v. g. se esse in tertio, cum sint in quarto, Dispensatio non vitiatur. Justis *lib. 1. cap. 4. nu. 131.* et magis dicetur infra *nu.* 215.

165 II. Debet exprimi, si duplici consanguinitatis vinculo sunt conjuncti, et multo magis si plura diversae rationis habent impedimenta. Et quidem in eadem supplicatione juxta dicta *num.* 151. *et* 152.

166 III. Si consanguinei inaequaliter distant a communi stipite v. g. unus in secundo, alter in tertio, vel unus in secundo vel tertio, et alter quarto, consequenter ambo sint in secundo, et tertio mixto, vel in secundo, vel tertio et quarto, debet non tantum exprimi gradus remotior, sed etiam propinquior dicendo quod sint v. g. *in secundo et tertio*; idque non ideo, quasi super propinquiori necessarie etiam foret Dispensatio, sed ut per speciale Breve declaretur, proximiorem gradum non obstare. Ita namque expresse statuit Pius V. *in Constit.* quae incipit *Sanctissimus. edita* 26. *Augusti* 1566. sequentis tenoris.

167 *Sanctissimus in Christo Pater, et Dominus noster D. Pius divina providentia Papa V. attendens per quandam constitutionem dudum per fel. record. Pium Papam IV. Sanctitatis suae Praedecessorem editam, qua cavetur, quod in dispensationibus matrimonialibus pro diversis consanguinitatis, seu affinitatis ex eodem stipite provenientibus gradibus conjunctis, non remotioris solum, prout olim fieri solebat, sed etiam propinquioris gradum expressa mentio fieri debeat, alioquin dispensationes, ac desuper confectae litterae nullius sint roboris, vel momenti, prout in dicta Constitutione plenius continetur, a dispositione Juris communis, et laudabili ac antiquo Romanae curiae stylo nimium recedi, ac favorem matrimonii debitum restringi, volensque propterea Juri, et stylo praedictis, nec non piae mem. Gregorii X. et Clementis VI. Romanorum Pontificum, etiam Sanctitatis suae Praedecessorum vestigiis inhaerendo, Sacramento, et libertati matrimonii, quantum cum Deo potest, favere, statuit, et ordinavit, quod de caetero in quibuscunque dispensationibus, quas pro matrimoniis contractis, aut contrahendis inter viros et mulieres invicem diversis prohibitis consanguinitatis, seu affinitatis, aut mixti ex communi, seu ab eodem stipite surgentibus, quicunque illi sint, dummodo primum quoque modo non attingant, cum in eo Sanctitas sua nunquam dispensare intendat, gradibus conjunctos ab eadem Sanctitate sua, et pro tempore Romano Pontifice, aut Sede Apostol. impetrari, vel alias concedi contigerit, ac litteris, commissionibusque desuper etiam locorum Ordinariis faciendis gradus remotior attendatur, trahatque secum propinquiorem, ac ob id sufficiat remotiorem tantum gradum exprimere: obtentis tamen postea super propinquiore litteris declaratoriis, juxta Gregorii, et Clementis Praedec. hujusmodi Constitutiones, quas quo ad hoc innovavit, et inviolabiliter observari mandavit, dispensationesque, seu dispensandi commissiones, ac desuper confectas litteras, et processus habitos per easdem, dispensatis, seu his cum quibus, dispensari mandatur, propter proximioris gradus hujusmodi non expressionem, de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus, et per omnia suffragari perinde ac si in litteris, seu commissionibus hujusmodi de proximiore, seu propinquiore gradu specialis, et expressa mentio facta fuisset. Sicque per quoscunque Judices, et Commissarios, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere, ac quidquid secus super his a quocunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum et inane decrevit, constitutione Pii Praedecessoris hujusmodi, ac caeterisque contrariis non obstantibus quibuscunque.*

Ex hac constitutione infertur I. Episcopum, vel alium deputatum Executorem licite non posse exequi Dispensationis litteras, si deprehendit, oratores non expresso gradu propinquiori eas obtinuisse, nec habere litteras declaratorias. Corrad. *in Praxi Dispensat. lib. 7. cap. 7. n.* 59. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 24. Bonacina *Tom.* 2. *Disp.* 1. *de leg. q.* 2. *punct.* 5. *n.* 77. Henriq. *de Matrim. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 6. Filliucius et alii. Imo Corrad. *loc. cit.* docet, Executorem mortaliter peccare, si in tali casu pro foro externo exequeretur Dispensationis Breve. Ratio est; quia in materia gravi transgrederetur legem Pontificiam, quod graviter peccaminosum esse constat ex *Lib. I. Tit. II. de Constit.* 168

Infertur II. Oratores, qui absque gradus proximioris expressione obtinuerunt Dispensationem, pro litteris declaratoriis Romae sollicitare, Episcopum vero, donec illas viderit, interea ab Executione abstinere debere, quae tamen litterae declaratoriae necessariae non sunt, imo non dantur, si cum alio inaequali gradum primus concurrit, ita ut oratores sint in primo, et secundo v. g. vel tertio gradu. Justis *lib.* 1. *cap* 4. *n.* 172. Ratio est; quia in tali casu super utroque gradu fit Dispensatio, debetque uterque gradus necessario exprimi, ut fiat declaratio, *proximiorem non obstare*, *sed* quia super utroque necessaria est Dispensatio. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 71. Et haec satis sunt certa. 169

At vero maxima controversia est inter DD. An non tantum illicita, sed etiam invalida sit Dispensatio ab Executore Brevis Apostolici facta, consequenter Matrimonium nullum, si conjuncti in gradibus inaequalibus v. g. secundo, et tertio, vel tertio et quarto litteras Dispensationis Romae impetrant super gradu remotiori, *non facta mentione* gradus proximioris, *nec habitis litteris declaratoriis gradum propinquiorem non obstare.* Sanchez siquidem *lib.* 8. *de Matrim. cap.* 24. *a. nu.* 29. absolute docet, Dispensationem hujusmodi propterea non irritari, nec invalidam esse, ideoque Executorem, Episcopum v. g. valide exequi Breve, valideque dispensare, licet ante executionem et contractum Matrimonium optime sciat, oratores in gradibus inaequalibus distare, et gradum propinquiorem non expressisse, nec litteras declaratorias habere; Idem docet Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 17. §. 5. *n* 26 *et* 27. Tambur. *de Sacram. lib.* 8. *cap* 9 §. 7. *n.* 3. Gobath *in Teolog. experiment. Tract.* 9. *n.* 621. Perez *de Matrim. Disp* 46. *sect.* 5. *n.* 7. Engel *L. IV. T. XIV.* §. 3. *n.* 10. Ratio eorum, et fundamentum praecipuum est; Tum quia gradus remotior imbibit, et trahit *ad se* propinquiorem, *arg. c. fin. de consang.* Tum quia constitutio Pii IV. vi cujus contra Jus commune requirebatur ad valorem Dispensationis expressio etiam propinquioris gradus, fuit revocata a Pio V. et reducta ad Jus commune per constitutionem *nu.* 167. allegatam, ubi expresse declaratur, Breve Dispensationis non esse sub-vel obreptitium, etsi omissa *mentione* gradus proximioris obtineatur: dummodo postea obtineantur litterae declaratoriae proximiorem non obstare, uti clare patet ex tenore Bullae *cit. nu.* 167. allegatae. Neque dictas declaratorias litteras esse necessarias ajunt, ad valide dispensandum, sed ad vitandum scandalum, cujus si nullum est periculum, neque ad licite dispensandum requiruntur. Ita DD. citati; num autem bene, et satis secure, 170

patebit infra, ubi nostram de hac controversia aperiemus mentem.

171 Interea ut clarius procedamus, tanquam certum supponimus, et praemittimus ad valorem Dispensationis necessario requiri expressionem propinquioris, si cum remotiori concurrat primus gradus, ita ut duo conjuncti sint in primo et secundo, vel primo et tertio v. g. Sanchez *loc. cit. nu.* 42. et alii Doctores citati cum communi. Ratio est, quia circa hoc non fuit revocata constitutio Pii IV. ad valorem Dispensationis requirens expressionem propinquioris gradus, sed potius confirmata per constitutionem Pii V. *supra num.* 167. allegatam. uti clare patet ex tenore ejusdem, nam postquam constitutionem Antecessoris correxit, expresse addidit: *dummodo primum* (intellige gradum) *nullo modo attingat, cum in eo Sanctitas sua nunquam dispensare intendat,* (intellige, *nisi exprimatur.*) Unde nec dantur litterae declaratoriae, illum non obstare, sed necessaria est vera Dispensatio super eo juxta dicta *n.* 169. Hoc ostenso, ac praemisso,

172 Respondemus ad Controversiam supra *num* 170. propositam dicendo, quamvis omissio gradus propinquioris non vitiet, nec subreptitias reddat litteras Dispensationis a Curia Romana obtentas (nisi sit primus juxta dicta *num. praeced.*) tamen illas nec licite, nec valide exequi potest deputatus Executor, nisi prius obtineantur, et eidem exhibeantur litterae declaratoriae, propinquiorem gradum non obstare, ut proin Ordinarius, vel alius, cui committitur dictarum litterarum Dispensatoriarum executio, non tantum graviter peccet, sed etiam invalide agat, et nulliter dispenset: consequenter Matrimonium invalidum sit, si non habitis prius praefatis litteris declaratoriis dispenset, casu quo ante contractum Matrimonium scit, nupturos in gradu inaequali esse conjunctos. Ita expresse docet summe practicus in Curia Corrad. *in Praxi Dispensat. lib.* 4. *cap.* 7. *a n.* 71. Justis *de Dispensat. lib.* 2. *cap.* 3. *n. n.* 40. ambo testantes de stylo Curiae addit Corrad. *loc. cit. n.* 72. ita fateri omnes practicos curiales, seque pluries observasse, Matrimonia fuisse declarata nulla, quae contracta fuere vi Dispensationis sine memoratis litteris factae. Bonacina et *alii*, quibus etiam adhaerere videtur Barb. *lib.* 1. *votor. Decisiv. voto* 3. *n.* 18. Probatur responsio imprimis ex ipsa Constitutione Pii V. ubi postquam declaravit sufficere ad valorem Dispensationis, si exprimatur gradus remotior, illico addit: *obtentis tamen postea super propinquiore litteris declaratoriis etc.* quae verba, quia in ablativo absolute posita sunt, videntur modum, et conditionem importare: *arg. L. si debitor* §. 1. *ff. quibus modis Pign. vel Hypoth.* modus autem et conditio necessario sunt implenda *arg. L. qui haered. et l. Maevius ff. de Condit. et demonst.* ergo etc.

Nec dicas cum Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 25. *nu.* 29. illa verba *obtentis tamen postea etc.* jam supponere perfectum actum Dispensationis factae, consequenter non importare conditionem. Negatur enim, quod jam supponant actum totaliter perfectum: quamvis enim jam supponant gratiam a Papa factam, seu validas Dispensationis litteras, seu mandatum de dispensando commissum alicui delegato, tamen non supponunt ipsam Dispensationem, consequenter nec actum, vel gratiam omnino perfectam, eo quod (uti ex copia litterarum Apostolicarum, et praxi patet) Papa vi illarum ipsemet non dispenset, sed tantum alicui delegato mandatum, et potestatem tribuat, ut auctoritate Papae dispenset, uti videre est in Copia infra, servatis utique servandis, etiam constitutione Pii V. quatenus nempe postquam petiis fuit Dispensari super remotiore postea etiam in eadem supplicatione petantur litterae declaratoriae, ut habet stylus curiae juxta dicenda infra, vel si in eadem supplicatione petitae non sunt, saltem postea, et antequam fiat ab Executore Dispensatio, petantur, et exhibeantur. Corrad. *loc. cit. n.* 72. ubi memorata verba conditionem importare probat etiam ex adjecta dictione, *tamen*, ibi *obtentis tamen*: nam dictio *tamen* de sua natura conditionem et modum importat Barb. *de Dictionibus. Dictione Tamen. n.* 3.

Probatur et quidem principaliter et efficaciter secundo ex Brevi Urbani VIII. emanato 1. Novembris 1625. 173
in quo expresse declarat, Officialem Toletanum (cui executionem Brevis, et potestatem Auctoritate Papae more solito commiserat) *invalide dispensasse*, et Personas Consanguineas, quae vi talis Dispensationis Matrimonium contraxerunt, invalide contraxisse, ac merum incestum commisisse, ex hoc solo, quod Officialis praefatus dispensaverit cum illis, de quibus ante contractum Matrimonium sciverat, illas esse in secundo et tertio gradu consanguinitatis conjunctas, et tamen nulla facta mentione propinquioris gradus solum remotiorem expressisse dicendo praefatos esse in tertio gradu conjunctas, nec habere litteras declaratorias secundum non obstare uti magis videre est ex copia, quae hic subjungitur.

Urbanus Episcopus, servus servorum Dei, Dilecto filio nostro, et Sedis Apostolicae Nuncio Matriti commoranti salutem, et Apostolicam benedictionem. Alias pro parte dilecti Filii A. Laici. et dilectae in Christo filiae C. mulieris Toletanae Dioecesis nobis expositum fuit, ipsos. qui de vere nobili genere procreati existunt, ex certis rationabilibus causis animos eorum moventibus cupere invicem matrimonialiter copulari. Sed quia tertio consanguinitatis gradu invicem erant conjuncti, desiderium eorum illa in parte adimplere non posse absque Sedis Apostolicae dispensatione. Quare pro parte eorum A. et C. nobis humiliter supplicatum, quatenus eis in praemissis de opportunae dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos hujusmodi supplicationibus tunc inclinati, dilecto filio Officiali Toletano per alias nostras litteras dedimus in mandatis, quatenus, si preces veritate niti reperiret, cum eisdem A. et C. quod impedimento tertii consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum permanere libere et licite valerent, auctoritate nostra dispensaret, prolem suscipiendum exinde legitimam nuntiando, prout in dictis litteris continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum A. et C. petitio continebat. litteris praefatis dilecto Officiali praesentatis, idem Officialis contenta in eis verificari mandaverit, et quamvis in verificatione ipsa ei constaret ipsos A. et C. secundo, et tertio a communi stipite provenientibus consanguinitatis gradibus invicem esse conjunctos, nihilominus cum dictis A. et C. super impedimentis hujusmodi licet nulliter, et de facto dispensavit. Cujus quidem dispensationis praetextu ipsi A. et C. matrimonium inter se per verba de praesenti publice, servata forma Concilii praedicti, nulloque detecto, neque denuntiato impedimento contraxerunt, illudque in facie Ecclesiae solemnizarunt, et carnali copula consummarunt, proindeque, iidem A. et C. cum in hujusmodi Matrimonio remanere non possint absque Sedis Apostol. dispensatione, et si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possent verosimiliter exoriri. Quare pro parte eorundem A. et C. nobis denuo fuit humiliter supplicatum, quatenus eis, ne dictarum litterarum frustrarentur effectu, ut prae-

missit opportune providere de simili benignitate dignaremur. Nos igitur eisdem A. et C. ac eorum quamlibet amplioris gratiae favore prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, posterioribus supplicationibus hujusmodi etiam inclinati, fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus negotium hujusmodi reassumens, litterasque praefatas valere decernens, monito praedicto Officiali, ut a similibus imposterum omnino abstineat, ac imposita dictis A. et C. propter incestum hujusmodi arbitrio tuo poenitentia salutari, et quatenus intra ipsos causa super praemissis in judicium quoquomodo deducta fuerit, pariter judicato, eosdem A. et C. si hoc a te humiliter petierint, ab excommunicationis sententia, quam propter praemissa incurrerunt, incestus reatu, et excessibus hujusmodi in utroque foro dicta auctoritate absolvas in forma Ecclesiae consueta, ac cum eisdem A. et C. quod impedimento tertii consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, matrimonium inter se de novo publice, servata forma ejusdem Concilii contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum remanere libere, et licite valeant, eadem auctoritate dispenses. Distantiam vero secundi gradus praedicti eis non obstare declares, prolemque susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernas, ac in earundem litterarum executione servata alias earum forma, de novo procedas in omnibus, et per omnia, perinde ac si in illis A. et C. non tertio, sed secundo et tertio a communi stipite provenientibus conjunctis gradibus minime esse conjunctos expressum, ac eum eisdem desuper dispensari, et declarari mandatum, praemissaque sequuta minime fuissent. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Tusculi anno Incarnationis Dominicae 1624. nono Kalend. Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

174 Hoc Breve Apostolicum mire fatigat nostrae sententiae Adversarios *n.* 170. positos, inter quos Gobath *loc. cit. a n.* 620. omnes vires intendit, ut illud infirmare, et in contrarium probare valeat, illo non obstante validam esse Dispensationem super gradu remotiori, nulla facta mentione gradus propinquioris, nec habitis litteris declaratoriis *illum non obstare*; sed plane frustraneo conatu. Videamus illum et cum illo sentientium fundamenta.

175 Primo dicit, Urbanum in praefata Bulla non affirmative, vel decisive, sed tantum relative loqui. Hoc fundamentum non indiget refutatione, quia illud non subsistere cuivis vel obiter legenti textum luce meridiana clarius patet; quamvis enim ibidem relative narraverit Pontifex, quid fecerit Officialis Toletanus, tamen post ea expresse declarat, illum *nulliter* dispensasse et nuptias inde secutas *incestuosas* consequenter invalidas fuisse.

176 Secundo dicit, non esse credibile, quod Urbanus VIII. secundo statim sui Pontificatus anno abrogarit Pii V. et aliorum Antecessorum constitutiones juri communi conformes. Resp. Urbanum VIII. non abrogasse Pii V. et aliorum constitutiones, sed eis conformiter egisse: Nam etiam juxta Pii V. constitutionem *n.* 167. allegatam Dispensatio ab Officiali Toletano acta fuit nulla, non quidem, quia oratores omisso propinquiori solum remotiorem gradum expressere, sed quia hoc sciens Officialis dispensavit ante obtentas litteras declaratorias, ob quarum defectum etiam Urbanus VIII. Dispensationem illam nullam declaravit.

Hinc bene notandum Pium V. tantum in hoc derogasse constitutioni Pii IV. quod hic statuerit Breve dispensatorium solo expresso gradu remotiori impetratum esse bene subreptitium, ipsamque dispensationem inde secutam esse nullam ex hoc solo, quia gradus propinquioris nulla facta est mentio, nil suffragantibus litteris declaratoriis postea forsan obtentis; Pius V. autem istud corrigendo statuerit, hujusmodi Breve ex hoc capite *non* esse subreptitium, sed perinde valere, ac si gradus propinquus expressus fuisset; dummodo postea, et quidem ante Matrimonium obtineantur litterae declaratoriae, quas expresse requirit, *obtentis tamen NB. postea litteris declaratoriis.* Ex quo patet Pium nullatenus statuisse, ut Adversarii putant, quod litterae dispensatoriae omisso propinquo gradu obtentae possint executioni mandari, et ipsa Dispensatio a Delegato valide fieri ante obtentas, et exhibitas litteras declaratorias, sed tantum, quod ob praefatam omissionem litterae Apostolicae non sint sub- vel obreptitiae, possintque valide executioni mandari, si obtineantur, (id est, post ita impetratum Breve, et adhuc ante Matrimonium) litterae declaratoriae, propinquum *non* obstare. Quod ipsum etiam vult, et consequenter priorum correctio non est Constitutio Urbani VIII. Et ita interpretari Bullam Pii jubent *non* tantum ipsa Bulla, et clausula Bullae Pii V. inserta, *obtentis tamen* postea litteris declaratoriis, sed etiam constitutionum Concordantiae *arg. c. cum expediat, de Elect. in* 6. quae ex tali interpretatione genuina sequitur. ipsaque Curiae praxis, stylus, et consuetudo, quae *est optima legum interpres c. 8. de Consuetud.* 177

Sed dicit tertio Gobath, esto in hoc sensu accipiatur Bulla Urbani VIII. tamen non est attendenda: Tum quia in illo sensu non est recepta. Tum quia post aliquos annos primum a Barbosa e tenebris fuit producta: Tum quia post illam plures DD. expresse docuerunt contra hunc sensum Bullae. Resp. Etiam has rationes nec quidem probare: Non prima, quia falsum est, Bullam in hoc sensu non esse receptam, cum Pyrrhus Corrad. (cui utpote in hac materia summe practico, et in Curia per plures annos sedenti utique credendum) *loc. cit. lib. 7. cap. 7. nu. 72. et* nu. 171. expresse testetur, *omnes Practicos Curiales* juxta praefatum sensum Bullae Urbani procedere, eique conformem esse praxim curiae, ita, ut ipse saepius observaverit, plures Dispensationes fuisse declaratas nullas ex eo, quod in casu nostro a Delegatis fuerint factae, non habitis prius litteris declaratoriis. Ex quo corruit etiam secunda ratio; cum constet Bullam Urbani VIII. juxta memoratum sensum semper fuisse in usu et vigore. 178

Quod ut magis credant, clarisque oculis videant, adducimus recentiorem aliam Urbani Bullae simillimam Innocentii X. qui sicut Urbanus VIII. declaravit Delegatum e se invalide dispensasse, et nuptias inde secutas incestuosas, consequenter etiam invalidas fuisse, ex hoc solo, quod litterae Pontificiae non expresso propinquo gradu fuerint obtentae, et non obtentis postea litteris declaratoriis eas executioni demandarit, seu dispensarit Delegatus. Uti videre ex copia sequenti. 179

Innocentius Episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri nostro Episcopo N. Salutem, et Apostolicam benedictionem. Alias pro parte dilecti filii Joannis Falconii laici, et dilectae in Christo filiae Annae Sabinae mulieris Asculan. Dioecesis, nobis expositum fuit, praedictam Annam dotem habere minus competentem, juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere posset, invenire nequiret, et dictum Joannem illam cum dicta minus competenti dote in uxorem ducere, intendere: Sed quia Quarto Consanguinitatis gradu invicem erant conjuncti, desiderium eorum ea in parte adimplere non posse absque Sedis

Apostolicae dispensatione. Quare pro parte eorundem Joannis, et Annae nobis humiliter supplicatum fuit, quatenus eis in praemissis de opportunae dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos hujusmodi supplicationibus inclinati, dilecto filio Vicario venerabilis fratris nostri Episcopi Asculan. per alias nostras litteras dedimus in mandatis, quatenus, si preces veritate niti repereret, cum eisdem Joanne, et Anna, quod impedimento Quarti Consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, Matrimonium inter se publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum remanere libere et licite valerent, auctoritate nostra dispensaret: prolem suscipiendam exinde legitimam nunciando, prout in dictis litteris continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum Joannis, et Annae petitio continebat, litteris praedictis dicto Vicario praesentatis, idem Vicarius contenta in eis verificari mandaverit, et quamvis in verificatione ipsa ei constaret, ipsos Joannem, et Annam Tertio et quarto Consanguinitatis gradibus invicem esse conjunctos, nihilominus cum dictis Joanne, et Anna super impedimento hujusmodi, licet nulliter, et de facto dispensavit, cujus quidem dispensationis praetextu, ipsi Joannes, et Anna Matrimonium inter se per verba de praesenti publice, servata forma Concilii praedicti, nulloque detecto, neque denunciato impedimento contraxerunt, illudque in facie Ecclesiae solemnizarunt, et carnali copula consummarunt, proindeque iidem Joannes, et Anna in hujusmodi Matrimonio remanere non possint absque Sedis Apostolicae dispensatione, et si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possent verisimiliter exoriri. Quare pro parte eorundem Joannis et Annae nobis denuo fuit humiliter supplicatum, quatenus eis, ne dictarum litterarum frustrentur effectu, in praemissis opportune providere, de simili benignitate dignaremur. Nos igitur eosdem Joannem, et Annam, ac eorum quemlibet amplioris gratiae favore prosequi volentes, et a quibusvis etc. censentes posterioribus supplicationibus hujusmodi etiam inclinati, fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus negotium hujusmodi reassumens, litterasque praedictas valere decernens, monito praedicto Vicario, ut a similibus in posterum omnino abstineat, ac imposita dictis Joanni, et Annae propter incestum hujusmodi arbitrio tuo poenitentia salutari, et quatenus contra ipsos, causa super praemissis in judicium quoquo modo deducta fuerit, pariter judicato, eosdem Joannem, et Annam, si hoc a te humiliter petierint, a generali excommunicationis sententia, quam propter praemissa incurrerunt; incestus reatu, et excessibus hujusmodi in utroque foro, dicta auctoritate absolvas in forma Ecclesiae consueta, ac cum eisdem Joanne, et Anna, quod impedimento Quarti Consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, Matrimonium inter se de novo, publice servata forma ejusdem Concilii, contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum remanere libere et licite valeant, eadem auctoritate dispenses. Distantiam vero Tertii gradus praefati eis non obstare declares: prolemque susceptam si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernas, ac ad earundem litterarum executionem, servata alias earum forma, de novo procedas, in omnibus, et per omnia: perinde, ac si in illis Joannem et Annam praedictos non Quarto, sed tertio, et Quarto a communi stipite provenientibus consanguinitatis gradibus esse conjunctos, expressum, ac cum eisdem desuper dispensari, et declarari mandatum, praemissaque minime secuta fuissent. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae etc.

Et ex his abunde patet litteras Dispensationis non expresso propinquiori gradu obtentas carere quidem vitio sub et obreptionis, Delegatum tamen v. g. Ordinarium, non posse eam executioni mandare, seu actu dispensare, nisi prius obtineantur, et eidem exhibeantur litterae declaratoriae, consequenter non attendendos esse Doctores contrarium docentes.

180 Ad fundamenta Adversariorum jam patet ex dictis. Ad illud, quo dicitur, quod gradus remotior trahat ad se propinquiorem, gratis conceditur; quia non dicimus dispensationem esse necessariam super gradu propinquo, sed litteras declaratorias *illum non obstare*, quibus non habitis Delegatus concessam non habet potestatem dispensandi, consequenter invalide dispensat, juxta dicta.

181 Notandum tamen, haec procedere de solo foro externo: Nam si pro solo interno petatur Dispensatio, propinquioris gradus expressio non est necessaria, nec litterae declaratoriae, *illum non obstare*. Ratio est; quia tam Pii IV. quam Pii V. Constitutiones requirentes, ut etiam propinquior gradus exprimatur, vel litterae declaratoriae obtineantur, emanatae sunt pro solo foro externo ad evitanda scandala, et ob alias causas, quae locum non habent, quando dispensatio petitur pro solo foro interno.

182 Caeterum placuit hanc controversiam exactius discutere, ne Executores aliqui auctoritate plurium caeteroquin classicorum DD. decepti in re tanti momenti, ubi agitur de valore Sacramenti, invalide dispensent maximo cum praejudicio putative dispensatorum, utpote qui invalide copulati, in perpetuis incestibus saltem materialibus vivant, et destituti gratiis Sacramentalibus, ad sustinenda onera Matrimonii summe necessariis, malos effectus experiantur.

183 IV. Si super impedimento consanguinitatis petitur dispensatio, et pro causa allegatur copula, seu potius sequentia inde scandala, diffamatio mulieris etc. illaque habita fuit sub spe facilius obtinendae Dispensationis, debet necessario exprimi, alias Dispensatio erit subreptitia, et nulla, etsi una tantum pars talem spem habuerit. Patet ex dictis supra *nu.* 55. Dicitur autem, si pro *causa allegatur.*

184 Num autem necessario semper exprimi etiam debeat copula cum consanguinea ante Matrimonium cum, vel absque spe facilius consequendi Dispensationem habita, casu quo alia legitima dispensandi causa affertur, celeberrima, et gravissima controversia est inter Doctores. Justis quidem *de Dispensat. lib* 1. *cap* 4. *a nu.* 229. *usque ad finem* negativam tenet, eamque per extensum probare, et fundamenta contraria refutare conatur. Eandem negativam amplectuntur Pontius *lib.* 8. *cap.* 17. §. 6. *per totum.* Dianus *p.* 1. *Tract.* 10. *Resolut.* 44. *et p.* 8. *Tract.* 3. *Resolut.* 31. Cavall. *in specul. aureo. qq. commun. contra commun. q.* 737. *per totum.* Escobar, et alii relati a Justis, et Diana. Ratio eorum praecipua est: Tum quia nec Jure (ut ajunt) nec stylo curiae, nec ratione requiri videtur, ut copula habita exprimatur, casu quo alia legitima causa dispensandi allegatur.

185 Econtra Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 25. *nu.* 8. Gutteres *de Matrim. cap.* 124. *nu.* 12. *et ex professo lib.* 1. *can. q q cap.* 15. *a n.* 16. Barbos. *lib.* 2. *Votorum. voto* 17. *a nu.* 37. Garcias *de Benef. p.* 8. *cap.* 3. *a nu.* 30. Corrad. *in Praxi Dispensat. lib.* 8. *cap.* 71. *a n.* 3 Layman. *lib.* 1. *Tract.* 4. *cap.* 22. *n.* 18. Bonacin. *de Legibus Disp* 1. *q.* 1. *punct.* 5. *n* 9. Marc. Anton. Genuens. *in Pract. Archiepisc Neapolit. cap.* 23. *nu.* 4. et plurimi alii cum Rota *De-*

cis. 72. nu. 1. apud Farin. *Tom.* 2. *consil crimin.* et apud Guttierez *loc. cit. n.* 25. ac Garciam *loc. cit.* docent, copulam, si jam est publica, necessario esse exprimendam, etiamsi alia causa dispensandi allegetur. Quorum sententiae tanquam veriori, et probabiliori etiam nos subscribimus.

186 Probatur haec nostra sententia primo ex stylo Curiae, de quo testatur Barb *loc. cit. n.* 60 Gruuens. *loc cit. n.* 4. Bonacios *loc. cit.* et in Curia summe practicus Corrad. *loc cit.* addens *n.* 36. ita fateri omnes Curiales, quae enim stylus curiae exprimere vult, sunt necessario exprimenda, ut fatentur etiam adversarii, cum stylus Curiae stet pro lege *arg. c. Ex litteris de Constit et c. quam gravi de Crimine falsi.* Ratio autem inducendi hunc stylum fuit, ut consanguinei, et Affines arcerentur ab incestibus.

187 Probatur secundo: Taciturnitas veri, quo expresso Papa alio modo et non nisi certis cum moderationibus concedere solet Dispensationem, reddit eam subreptitiam Sanch. *lib.* 8. *Disp.* 21. *n* 17. et alii; atqui expressa copula incestuosa, alio modo, et cum certis moderationibus concedere Dispensationem solet Papa, eo quod ob eandem copulam jubeat majorem imponi poenitentiam, majoremque exigat compositionem seu taxam pecuniariam, et ita dispensatus prohibet ad alias nuptias transire, si alteruter moriatur: uti fatentur omnes ob notorium stylum Curiae: ergo etc.

188 Probatur et quidem efficaciter tertio ex pluribus Declarationibus, quas allegat Corrad. *loc. cit. nu.* 37. Guttierez, Barbos *loc. cit.* Garcias *nu.* 70. et alii. Una declaratio apud Corrad. *loc. cit. numer.* 38. ita sonat: *Congregatio Cardinalium Concilii censuit Dispensationem subreptitiam, si inter consanguineos, vel affines, aut spirituali cognatione conjunctos carnalis copula praecessisset, cujus mentionem in supplicatione non fecissent etc.* prout stylus Curiae observat.

Quod intellige non tantum quando copula praecedit supplicationem Pontifici porrigendam, sed etiam, si eam sequitur; imo etiam, quando contingit, postquam litterae dispensationis a Papa jam sunt concessae, a Delegato vero nondum executioni mandatae: uti tenent DD. *numer.* 185. citati, patetque ex declaratione infra *num.* 193 allegands.

Nec valent argumenta, quibus has declarationes impugnat, et infirmare conatur Justus *loc. cit. a nu.* 300. ubi principaliter duo opponit Primo, quod de eis non constet authentice. Secundo quod non sint promulgatae Nam ex primum patet ex dictis *lib.* 1. *in prooemio* § 8. *a nu.* 137. ubi ex Fag. *in c. quoniam de constit. nu.* 59. ostendimus, vix ab irreverentia, et temeritate abesse, sententiam declarationibus Cardinalium contrariam libere tueri ex hoc solo, quod non afferantur in forma authentica, si in probatis collectoribus (quales utique censendi Corrad. Guttierez, Garcias, Ledesma etc.) fideliter allegatae inveniuntur, et caeteroquin de earum existentia nulla probabilis dubitandi ratio appareat: Ad secundum pariter ex citato Prooem. §. 8. *a n.* 138. ubi clare ostendimus, ad hoc, ut Declarationes Cardinalium obligent, non requiri earum publicationem, nisi novum jus, legem, vel Decretum faciant, quod non fit in allegatis Declarationibus, utpote, quae praecise declarant mentem Pontificis, et stylum Curiae prius jam existentem.

189 Probatur quarto: Illud est necessario exprimendum, quo non expresso fit injuria, et praejudicium tertio; nam Papa nunquam vult tertio praejudicare *per vulgaria*; atqui si copula non exprimitur, praejudicatur tertio, Officialibus nempe Curiae, qui propterea fraudantur majori taxa, seu compositione, ad quam habent jus, quia Officia emerunt sub conditione percipiendi solita: quorum jura tollere, aut eis praejudicare nunquam censendus est Papa, ut cum aliis bene observat Corrad. *lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 67. *arg c super eo. de Offic. Delegat. et l. id, quod nostrum ff. de Reg. Jur.*

Probatur quinto: quando agitur de valore Sacramenti, non licet sequi sententiam probabilem minus tutam, relicta probabiliori tutiori, uti patet ex Decreto Innocentii XI opinionem contrariam condemnantis: atqui spectatis probationibus supra dictis, stylo curiae, et Declarationibus Cardinalium sententia nostra requirens expressionem, copulae praehabitae, si non moraliter certa, saltem probabilior videtur, simulque hic agitur de Sacramenti valore, utpote qui a valore Dispensationis dependet: ergo etc. Hinc minime audiendus, minus sequendus est Justis in eo, quo propositioni damnatae conformiter dicit, *dato, quod nostra opinio* (videlicet, valere Dispensationem etsi copula praehabita non exprimatur) *sit minus probabilis, ex quo tamen probabilis est, ut diximus, potest quis tuta conscientia eam sequi relicta probabiliori, quia ad effectum non peccandi, sufficit in foro conscientiae sequi opinionem probabilem*: siquidem haec doctrina damnata est, ut dictum 190

Dicitur autem notanter *num* 185. *si copula jam est publica*: haec enim si est occulta, ejus expressionem necessariam non esse, bene cum aliis docet Sanchez *lib* 8. *Disp.* 5. *nu.* 10. Ratio est: quia praesumi non potest, quod Ecclesia pia mater velit, ut quis se ipsum gravissime diffamet, et vitae periculo exponat, manifestando incestum occulte commissum. Unde sicut nullum aliud, ita neque crimen occultum in foro externo propalare tenetur petens Dispensationem. Hinc argumenta hactenus pro necessitate exprimendi copulam allata intelligenda sunt de casu, quo copula jam est manifesta: neque Papa velle censetur, neque Officiales Curiae juste praetendere possent, ut ob aliquam majorem taxam eis obventuram, oratores manifestando, in foro externo gravissimum incestus delictum occultum, famam, et vitam prostituant. 191

Et quamvis Sanch. *loc. cit. n.* 11. velit, quod copula existens occulta saltem apud S. Poenitentiariam exponi, et sollicitari debeat, ut vitium Dispensationis suppleat. Verum hujus expressionis non apparet solidum fundamentum; si enim, ut ipse fatetur Sanchez pro utroque foro valide dispensatur a Dataria v. g vel Cancellaria, tanquam Dicasterio pro utroque foro deputato, non apparet, cur dein adhuc etiam in Poenitentiaria pro solo foro interno deputata proponatur incestus, praesertim cum incestus cum consanguinea propria Dispensatione non indigeat, et ob illam S. Poenitentiaria taxam exigere nec possit, nec soleat, utpote quae cunctas suas litteras expedit gratis, et propterea a tergo litterarum signat *gratis ubique*: uti notat Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 34 *nu.* 64. 192

Caeterum debet copula publica (*non item occulta*) exprimi, etsi eam Oratores primum habuerint, postquam supplicationem Papae jam praesentarunt, vel postquam Papa mandatum de dispensando jam expedivit, si Delegatus illud executioni nondum mandavit, seu si hic actu nondum dispensavit, licet dispensati Matrimonium adhuc non contraxerint. Barb. Corrad *lib* 8. *cap.* 1. *a num.* 38. Sanchez *lib* 8. *Disp.* 24 *nu.* 11 Ratio est: quia antequam Delegatus dispenset, Dispensationis gratia non censetur perfecta, consequenter semper adhuc currit necessitas exprimendi copu- 193

lam publicam praebebitam; prout bis expresse declaravit etiam S. Congregatio apud Corrad. *loc. cit. nu.* 41.

Prima sic sonat: *qui Romam miserunt pro Dispensatione, et habito nuncio quod litterae fuerunt expeditae, contraxerunt, vel se cognoverunt, et ita verum est, fuisse expeditas, ut habere datam ante Contractum, vel commixtionem, nullas Dispensationes esse, Congregatio Cardinalium censuit.*

Altera sic sonat: *Congregatio Cardinalium censuit Dispensationem reddi nullam ex copula praecedente Dispensationem, si de ea non fuerit facta mentio in supplicatione: Copulam vero sequentem post Dispensationem ab Ordinario factam non impedire Matrimonii validitatem.*

194 Illud tamen notandum, non esse necesse exprimere, quoties copula sit habita, sed sufficere, si exprimatur copulam esse habitam. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 24. *numer.* 7. Justis *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 162. Garz *p.* 8. *cap.* 3. *numer.* 77. et alii communiter. Corrad. *lib.* 8. *cap.* 1. *num.* 79. testans de praxi. Ratio est; quia multitudo copulae non auget Affinitatem, nec reddit difficiliorem Dispensationem.

Ex hactenus dictis patet, nostram sententiam de necessitate exprimendi copulam, minime esse duram, cum enim juxta eam copula occulta exprimenda non sit, publica vero, si, ut fieri debet, exprimitur, Dispensationem magis facilitet, et exprimentem non diffamet, utpote jam prius diffamatum, non apparet, cur quis difficultate velit, copulam manifestare; nisi quia majorem poenam sustinere, majoremque taxam porrigere debet: quod utrumque tamen aequitati conforme, aliis ad terrorem, et exemplum merito fuit statutum.

195 Quaeritur III. Quaenam necessario debeant exprimi, quando petitur Dispensatio super impedimento Affinitatis et publicae honestatis? de quorum primo *Tit. XIV.* altero autem *Tit. IV.* Resp. I. Super impedimento Affinitatis debent exprimi omnia, quae *a n.* 163. de consanguinitate diximus esse manifestanda, videlicet I. Gradus juxta dicta nu. 163. II. Multiplicitas vinculi, si adest, juxta dicta *nu* 165. Et quidem in eadem supplicatione, conformiter dictis n. 166. III. Etiam gradus propinquus, si inaequaliter distant, per dicta *a n.* 266. IV. Copula praehabita, juxta dicta *a nu.* 183. Ratio est; quia Jura, stylus Curiae, et rationes in hoc puncto de Consanguinitate, et Affinitate aequaliter procedunt, juxta communem Doctorum; patetque ex *Bulla* Pii V. supra *n.* 167. allegata.

196 Ulterius debet exprimi, utrum Affinitas proveniat ex copula licita, vel illicita, si super primo, vel secundo gradu petitur Dispensatio. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 24. Justis *de Dispens. nu.* 151. et alii. Ratio est; Tum, quia difficilius dispensatur super Affinitate ex copula licita, quam illicita: Tum ut cognoscatur, an etiam concurrat publica honestas, haec enim cum semper concurrat cum Affinitate ex copula licita, tacite exponitur, et super eadem tacite dispensatur, si exprimitur, quod Affinitas orta sit ex copula licita.

197 Unde, ut bene ibidem docet Sanchez, non est necesse, ut qui concurrentem cum Affinitate exprimat etiam publicam honestatem, si exprimit Affinitatem ex copula licita, secus si in genere tantum illam exprimat; quia, cum tunc de Affinitate tam ex copula licita, quam illicita intelligi possit, ex hac autem non oriatur publica honestas, debet ista honestas necessario exprimi; cum alias super ea utpote nec tacite nec expresse proposita non caderet dispensatio, quae tanquam odiosa, et stricte ultra expressa non extenditur per dicta superius.

Hoc ultimum tamen limita in casu, quo super tertio vel quarto Affinitatis gradu petitur Dispensatio; tunc enim non est necesse exprimere, ex qua copula oriatur, nec, an concurrat cum honestate publica: hoc ipso, quod Affinitas ex copula illicita ultra secundum gradum non extenditur, consequenter si tertius vel quartus gradus exprimitur, sufficienter jam innuitur, eam esse ex copula licita, et habere secum concurrentem Honestatem publicam. Et hinc *nu.* 169. notanter dictum est: *si petatur Dispensatio super primo, vel secundo gradu Affinitatis.*

An Affinitas sit in linea recta, vel transversali, 198
exprimi quoque debet, Sanchez *loc. cit. num.* 14. Justis *loc. cit. num.* 152. Ratio est; Tum vel non datur Dispensatio in linea recta Affinitatis ex copula licitae, juxta dicta *Tit. XIV.* vel ducere affinem in linea recta v. g. matrem, vel aviam, aut neptem uxoris defunctae, aut patrem vel avum, vel nepotem mariti defuncti longe indecentius est, quam affinem in transversali v. g. sororem, aut ex sorore neptem uxoris defunctae. Addit tamen recte Sanchez *loc. cit nu.* 14. lineae rectae vel transversae expressionem non esse necessariam, si affinitas oritur ex copula illicita, eo quod ex hac non oriatur notabiliter major reverentiae obligatio ex linea recta, quam ex transversa.

Resp. II. Si super Honestate publica petatur 199
Dispensatio, debet exprimi, an sit ex Sponsalibus, vel Matrimonio. Justis *lib* 1. *cap.* 4. n. 152. Sanchez et alii, quia ex Matrimonio fortius oritur vinculum honestatis publicae, quam ex Sponsalibus. Dixi, si *super primo gradu*, quia, si super remotiori petatur, id exprimere non erit necesse, quia jam scitur, eam peti super Honestate ex Matrimonio hoc ipso, quod ex Sponsalibus primum gradum non excedat per dicta *Tit. IV.*

Quaeritur IV. Quaenam necessario debeant 200
exprimi, quando petitur Dispensatio super impedimento Cognationis spiritualis? de quo *Tit. XI.* Resp. Debent oratores. I. Cognationem spiritualem ita exprimere, ut cognoscatur, an intercedat filiatio, et paternitas, vel maternitas, an vero tantum compaternitas, seu Commaternitas: Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 24. *nu.* 15. Aversa *de Matrim. q.* 19. *sect.* 5. §. *secta.* Justis *loc. cit. nu.* 168. Ratio est; quia longe indecentius est Matrimonium inter patrem, et filiam spiritualem, quam inter compatrem et matrem hujus filiae aut commatrem et patrem ejusdem. Accedit, quod in paternitate spirituali nunquam, aut vix dispensare soleat Papa juxta dicta *num.* 136.

II. Exprimi debet, si Cognatio spiritualis est 201
duplex, puta, si quis alicujus prolem unam e fonte lavavit, et eandem in Confirmatione tenuit: vel ejusdem prolem unam tenuit, alteram levavit; vel si unus alterius liberos vicissim levat, Justis *lib.* 1. *cap* 4. *nu.* 169. Aversa *loc. cit.* et alii. Haec tamen cognatio non multiplicatur, nec erit necesse exprimere, si quis plures ejusdem liberos e sacro fonte levavit, aut in confirmatione tenuit; uti ex declaratione Clementis VIII. refert Garcias *p.* 8. *cap.* 3. *n.* 78. Justis *loc. cit. n.* 170. Neque erit necesse, exprimere, an Cognatio spiritualis proveniat ex Baptismo, vel Confirmatione, sed sufficit exprimere spiritualem filiationem, vel compaternitatem. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 24. *n.* 15. Ratio est; quia haec nihil, vel parum mutent, vel augent.

Quaeritur IV. Quaenam necessario sint exprimen- 202
da, quando petitur Dispensatio super impedimento Criminis? de quo *Tit. VII.* Resp. Esse exprimendum I. An sit ex Machinatione in mortem conjugis; an ex solo Adulterio sine Machinatione, vel an ex

utroqoe simul. Justis *loc. cit. nu.* 188. et alii commoniter. Ratio est ; qoia, si ex Machinatione procedit, Papa pro foro externo nunqnam dispenset, pro laterao enim difficulter juxta dicta superius *n.* 138. et 139.

203 Quaeritur V. Majoris commoditatis gratia, quaenam in compendio sint, quae juxta dicta hoc §. necessario exprimi debent, ne Dispensatio sub-vel obreptitia censeatur? Resp. I. Super quocunque impedimento petatur Dispensatio necessario exprimenda (praeter justam, ac legitimam causam, quae ad quamvis Dispensationem requiritor juxta dicta §. I.) sunt in compendio sequentia, videlicet. I. Nomen, et cognomen oratorum. II. Nomen Dioecesis, et si petatur Dispensatio ob angustiam loci, vel locum ad litus maris, etiam locus oratorum. III. impedimentum in specie, et distincta, juxta dicta *nu.* 150. IV. Si oratores plura impedimenta habent, debent omnia exprimere, et quidem V. In eadem supplicatione juxta dicta *nu.* 151. et *seqq* VI. Copula praehabita, justa dicta *n.* 155. VII. Matrimonium prius jam contractum, juxta dicta *n.* 157.

Resp. II. Pro Dispensatione super impedimento consanguinitatis, praeter dicta *numer. praeced.* Specialiter exprimi debet I. Gradus consanguinitatis et linea, juxta dicta *num.* 163. II. Multiplicitas vinculi per dicta *num.* 165. III. Etiam gradus propinquus, si inaequaliter distant, juxta dicta *a nu* 166. IV. Copola praehabita, juxta dicta *a nu.* 183.

Resp. III. Pro Dispensatione super Impedimento Affinitatis, omnia sunt exprimanda, quae super Consanguinitate, et insoper ea, quae diximus, *a. nu.* 196.

Resp. IV. Pro Dispensatione super impedimentis publicae honestatis, Cognationis spiritualis, et criminis compendiosa recapitulatio superflua, quia compendiose jam habetur *a. n.* 199.

§. V.

De Falsitate, et Errore precum, seu supplicationis, vitiante Dispensationis litteras, easque sub-vel obreptitias reddente: Item de Tempore et Modo, quo verificari debent causae pro Dispensatione obtinenda allegatae.

SUMMARIUM.

204 *Causa dispensandi alia est motiva, seu finalis, ac principalis: alia tantum impulsiva.*
205 *Non quaevis, sed illa tantum Falsitas vitiat Dispensationem, qua non expressa Papa non dispensasset.*
206 *Falsitas circa causam finalem, seu motivam invalidat Dispensationem.*
207 *Nisi sint plures causae finales, et una saltem earum vera*
208 *Falsitas circa causam impulsivam non vitiat Dispensationem.*
209 *Unde cognosci valent, causam esse motivam, vel impulsivam? remissive.*
210 *Error Nominis, vel pronominis oratorum de Jure non vitiat Dispensationem, bene vero de stylo Curiae.*
211 *Maxime quando Dispensatio in forma pauperum est.*
212 *Nisi error esset tantum in aliqua syllaba, vel oratoris unum nomen baptismale omitteretur.*
213 *Error in nomine Dioecesis vitiat Dispensationem. Si oratores sunt diversae Dioecesis, debet utraque exprimi: et delegatur dein Ordinarius oratricis.*
214 *Error circa locum, vel patriam Oratorum non invalidat Dispensationem, nisi petatur ob angustiam loci.*
215 *Error circa impedimentum et gradum vitiat Rescriptum.*
216 *Nisi ejusdem impedimenti gradus propinqoior esset expressus loco remotioris.*
217 *Varia consideratio temporis.*
218 *Non est necesse, causam allegatam veram esse, aut existere tempore, quo fit supplicatio.*
219 *Solvitur objectio*
220 *Nec est necesse, existere allegatam causam tempore, quo litterae expediuntur Romae.*
221 *Sed sufficit, et requiritur eam verificari tempore, quo Delegatus litteras Dispensationis exequitur et acta dispensat: Et duobus seqq.*
222 *Doctrina practica inde deducta*
223 *De facto non Papa, sed ejus Nomine Ordinarii dispensant ex speciali mandato.*
224 *Est distinguendum inter mandatum de dispensando, et inter ipsam Dispensationem*
225 *Solvitur Objectio*
226 *Facta semel per Delegatum Dispensatione non requiritur, ut causa adhuc duret, dum contrahitur Matrimonium.*
227 *Ponitur, et solvitur objectio: et duobus seqq.*

Notandum primo, Falsitatem in supplicatione posse varie praecipue vero circa causas dispensandi contingere: idque vel circa causam motivam seu finalem (quae etiam principalis vocari solet) vel circa impulsivam tantum. Ubi per causam *motivam, seu finalem* intelligitor illa, quae movet Papam ad dispensandum, seu qua non expressa Papa vel omnino non, vel saltem non tam absolute, sed solum restricte, seu sub certis conditionibus, vel limitationibus dispensasset. Per causam *impulsivam* (quae etiam secundaria, et minus principalis dicitur) intelligitur, quae non movet ad dispensandum, sed juvat, et facit, ut facilius dispensetur, ita tamen, ut etiam illa non expressa Pontifex nihilominus, etsi difficilius dispensasset. Ita in re communis. Et patet ex dictis *Lib* 1. *Tit. III. de Rescriptis* §. 8. *n.* 182. Hoc notato 204

Quaeritur I. Quaenam falsitas precum, seu supplicationis, praesertim circa causam vitiet Rescriptum, seu Dispensationem, eamque sub- et obreptitiam, consequenter nullam reddat? Resp. I. Non quaevis falsitas, sed illa tantum vitiat Dispensationem, qua non expressa Pontifex non dispensasset; etsi per ignorantiam vel simplicitatem fuerit expressa. Ita communis, texto clarissimo c. *super Litteris* 20. *de Rescript.* cujus textum, sicut et totam conclusionem amplius probatam, et applicatam vide *cit. Lib. I. Tit. III.* §. 8. *a n.* 156. 205

Resp. II. Falsitas circa causam motivam seu finalem etiam ex simplicitate, vel ignorantia commissa vitiat, et nullam reddit Dispensationem. Unanimis et certa. *Arg. cit.* c. *super litteris de Rescriptis* Accedit, quod omnis Dispensatio expresse, vel tacite habeat hanc clausulam conditionatam; *si preces veritate nitantur*, texto claro c. 2. *de Rescriptis* Quae verificari debet saltem in principali, seu motiva causa; ne alias Pontifex sine legitima causa dispensare videatur. 206

Limitatur tamen conclusio in casu, quo plures causae motivae seu finales, id est, tales sunt expressae, quarum qualibet etiam tacitis aliis movisset ad dispensandum: tunc enim valet Dispensatio, si unica est vera, licet una vel plures aliae allegatae 207

sint falsae, ut cum aliis bene advertit Sanchez *Lib.* 8. *Disp.* 21. *n.* 42. et 44. Sperell. *Decis.* 30. *n.* 39. Justis *de Dispensat. Lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 59. Gobath in *Theolog. experiment. Tract.* 9. *n.* 633. *et* 615. *arg. cit. c. super litteris.* 20. *de Rescript.* Ratio est; tum quia *utile non debet per inutile vitiari.* c. *Utile de R. I. in* 6. Tum quia si saltem una causa est vera, et talis, ob quam etiam tacitis aliis dispensasset Papa, jam censentur reliquae potius impulsivae, quam finales, consequenter Dispensationem non vitiantes, etsi sint falsae, juxta conclusionem statim sequentem. Tum tandem, quia quando plura non necessaria narrantur, resolvitur copulativa in disjunctivam *arg. c. Cum jam dudum. de Praebend.* At cum disjunctive narrantur causae, sufficit ad valorem Rescripti alteram esse veram, textu claro c. *Inter caeteras. de Rescriptis.* Et ibi Glossa ac DD. communiter. Et hoc bene est advertendum, quia in praxi saepe juvare potest.

208 Resp. III. Falsitas commissa circa causam impulsivam non vitiat Rescriptum seu Dispensationem, nec obest valori illius. Hanc conclusionem solutis etiam objectionibus fuse probatam habes per Doctores, Jura, et rationes allegatas *Lib. I. Tit. III.* §. *VIII. a n.* 184. ubi vide, ne fiat superflua repetitio. Auctoribus *loc. cit.* allegatis adde pro conclusione etiam Justis *de Dispensat. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 28. et plures alios ab eodem ibidem citatos.

209 Si quaeras, unde cognosci valeat, causam aliquam esse motivam seu finalem, vel potius impulsivam tantum, consequenter utrum illa tacita Papa dispensasset vel non? Resp. Ad hoc quaesitum rursus satis patere ex *cit. L. I. Tit. III.* §. *VIII. a num.* 194. ubi inter alia dictum, et probatum est primo, quod si in Dispensatione allegetur unica tantum causa, ea semper censeatur finalis, consequenter falsa existens vitiat, et invalidet Dispensationem. Secundo, quod pluribus allegatis causis desumendum sit ex stylo Curiae, et in illius defectu, prudenti Judicis arbitrio, quaenam sit causa finalis, seu motiva, quaenam impulsiva. Ex quo colliges causas §. 69 allegatas, utpote stylo Curiae receptas, esse motivas, seu finales, et principales, in casibus, et gradibus ibidem expressis. Tertio, quod, quando consideratis considerandis dubium remanet, an causa falso allegata sit finalis, seu motiva, an vero impulsiva, praesumendum sit, eam esse impulsivam tantum, nisi sola sit allegata. De quibus amplius vide *loc. cit.*

210 Quaeritur II. An, et qualis Error vitiet, ac invalidam reddat Dispensationem? Ante responsionem nota, Errorem ad praesens potissimum contingere in Nomine, vel Cognomine Oratorum; Item in loco Oratorum, praesertim Dioecesis; Item in ipso impedimento, vel gradu illius. Resp. I. licet error in Nomine et pronomine de Jure non vitiet Rescriptum *textu claro L. si in Nomine C. de Testam.* ibi: *si in nomine, vel pronomine seu cognomine, seu agnomine, testator erraverit, nec tamen de quo senserit, incertum sit; error hujusmodi nihil officit*: ac propterea Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *Disp.* 21. *nu.* 37. Justis *cap.* 4. *n.* 65. Paris. *de Resig. lib.* 11. *q* 6. *n.* 53. et plures alii velint, id etiam procedere quoad errorem nominis, vel cognominis Oratorum in Dispensatione Matrimoniali, tamen teste Corrad. *lib.* 7. *cap.* 5. nu. 3. et seqq. allegante testimonium omnium Curialium (quibus utique credendum) de hodierno stylo et praxi, contrarium servatur, et consequenter ab executoribus observandum est, cum stylus Curiae stet loco legis, *arg. c. Ex litteris. de Constit. et c. quam gravi de Rescript.* Nec locus est correctioni erroris, sed debet de novo fieri supplicatio, uti ex stylo idem docet Corrad. *loc. cit. nu.* 7. dicens, stylum hunc merito esse introductum ad evitandas innumeras fraudes, quibus omnia jura resistunt. *L. si cui. ff. de servitut.*

Et hoc maxime procedit, Dispensationemque invalidam reddit error nominis, vel pronominis, si Dispensatio est in forma pauperum; ut ipse priori conclusioni adversarius etiam fatetur Justis *loc. cit. nu.* 56. eo quod alias Officiales Curiae in eorum emolumentis jure sibi debitis saepe praejudicium paterentur. 211

Illud tamen cum Corrad. *loc. cit. num.* 8. notandum, quod, si in aliquo Dispensationis Rescripto reperiretur verisimilis error consistens praecise in mutatione alicujus litterae, vel syllabae, ut si loco *Antonii* scriberetur *Antonini*, vel loco *Bernardi*, *Bernardini*, valeret Dispensatio: sicut etiam, si quis duo nomina Baptismalia habens, v. g. *Joannes Adamus*, unum tantum exprimeretur v. g. *Joannes.* 212

Resp. II. Error in Nomine Dioecesis, quo dicitur v. g. Oratores esse Dioecesis Ratisbonensis, cum sint Frisingensis, vitiat, et invalidam reddit Dispensationem. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 21. *nu.* 39. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 5. *nu.* 28. Justis *lib.* 1. *cap.* 4. *a num.* 66. cum communi, ob notorium stylum Curiae, de quo testatur Corrad. et Justis *loc. cit.* bene etiam notantes, quod, si Oratores sint diversae Dioecesis, debeat utraque exprimi: quo casu dein litterae Dispensationis committuntur Ordinario Oratricis. Ratio autem, cur error Dioecesis vitiet, est, quod tunc nullus Ordinarius possit exequi litteras, non proprius Oratorum, quia eidem, uti supponitur, data commissio non fuit; nec ille, cui per errorem data est; quia est contra intentionem dantis, qui non nisi Ordinario impetrantium delegare intendit conformiter Concil. Trident. *Sess.* 22. *cap.* 5. ibi: *committantur Ordinariis illorum, qui eas impetrant.* 213

Resp. III. Error circa locum, seu patriam Oratorum non vitiat Rescriptum, nisi petatur Dispensatio ob *angustiam loci*, vel ob locum ad littus maris. Justis *loc. cit. a nu.* 59. Corrad. *loc. cit. a nu.* 30. et alii. Ratio est; quia expressio patriae, nisi sit Dioecesis, vel ob angustiam, aut locum ad littus maris petatur Dispensatio, omnino non est necessaria; consequenter error circa illam nil importat. Secus est, si *ob angustiam*, vel locum ad littus maris petitur Dispensatio. Ratio est; quia tunc locus denominatus est causa motiva, seu finalis; consequenter error circa illam vitiat Rescriptum per dicta supra *n.* 206. 214

Resp. IV. Error circa ipsum impedimentum, vel gradum vitiat et invalidat Dispensationem; prout supra jam dictum *nu.* 150. 215

Excipe tamen casum, quo exprimeretur propinquior gradus pro remotiori ejusdem speciei; dicendo v. g. Oratores esse in tertio consanguinitatis gradu, cum tamen essent in quarto: Tali siquidem in casu etsi Papa expresse tantum dispenset in propinquo v. g. tertio utpote solo expresso, tamen tacite etiam censetur dispensare in remoto. Sanch. *lib.* 8. *Disp.* 24. *nu* 17. Justis *lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 131. Pont. *lib.* 8. *cap.* 17. §. 5. *nu.* 31. cum communi aliorum. Ratio est: quia gradus propinquus includit in se etiam remotum ejusdem, non item diversae speciei. Hinc licet juxta dicta *nu* 150. in Dispensatione non valeat argumentum a majori ad minus, valet tamen, si gradus sunt ejusdem speciei; v. g. consanguinitatis. DD. citati. 216

Quaeritur III. Quo tempore verae esse, seu verificari debeant causae pro obtinenda Dispensatione allegatae? Notandum prius, non sufficere, adesse vel adfuisse legitimam dispensandi causam; nisi 217

tempore requisito adsit. Potest autem ad praesens quadrupliciter considerari tempus, videlicet. 1. Tempus, quo Oratores supplicationem pro Dispensatione mittunt, vel tradunt Pontifici. 2. Tempus, quo litterae Dispensationis Romae expediuntur. 3. Tempus, quo illas sibi exhibitas Ordinarius, vel alius Delegatus exequitur, et actu dispensat. 4. quo facta jam Dispensatione Matrimonium ineunt dispensati. Hoc noteto,

218 Resp. I. Non est necesse, causam Dispensationis veram esse, vel existere tempore, quo supplicatio mittitur, vel traditur Pontifici. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 30. *nu.* 2. eoque teste Doctores fere omnes, dissentiente tamen Justis *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 299. *et* 300. Ratio est; quia tempus antecedens Dispensationem in considerationem non venit. Nec clausula illa, *si ita est*, vel *si preces veritate nitantur*; ad illud refertur, ut statim magis patebit ex dicendis infra.

219 Dices Falsitas circa causam motivam vitiat Rescriptum juxta dicta, praesertim si eam dolose proponant Oratores, scientes, illam non subsistere, *arg.* c. *super litteris.* 20. *de Rescript.* ergo si causa non subsistit tempore, quo fit supplicatio, Dispensatio erit irrita: praesertim si oratores sciunt eam non subsistere. Resp. Distinguendo antecedens, falsitas circa causam finalem vitiat Rescriptum, si falsitas illa adest tempore executionis, concedibur, tempore sollicitationis, negatur. Nec possunt dici fraudulenti oratores, si praevident causam modo quidem non subsistere, eventuram tamen tunc temporis, quo ejus existentia, et verificatio erit necessaria.

220 Resp. II. Neque requiritur, ut existat, et verificetur causa tempore, quo litterae Dispensationis Romae expediuntur. Ita Doctores citandi nu. sequenti contra Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 30. *nu.* 4. Abbas *in* c. *Quia circa. de Rescript. n.* 6. et ibi Joan. Andr. *num.* 3. Hostiensis paulo post *principium.* Gutierez *Canon. qq. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 131. et plures alios. Probatur autem Conclusio ex sequenti. Nam

221 Resp. III. Ad valorem Dispensationis requiritur, et sufficit existere, et verificari causam tempore, quo Ordinarius, vel alius Delegatus Pontificius exequitur litteras Dispensationis, seu actu dispensat. Primam partem, quod requiratur, ut existat, et verificetur, habet communissima DD. signanter Sanchez *loc. cit. nu.* 12. Pyrr. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 6. Justis *de Dispensat. lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 285. Paris. Pontius *lib.* 8. *cap.* 20. *n.* 3. Gutierez *de Matrim. cap.* 126. *n.* 2. Bonacin. *de Legib. Disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 10. *prop.* 2. Ratio est; quia gratia Pontificia non habet vim perfectae et consummatae dispensationis, sed potius est mandatum de dispensando sub conditione tacita, vel expressa *si ita est*, seu, *si preces veritate nitantur*, consequenter, si haec conditio, seu clausula non adimpletur, seu si allegata causa non verificatur tempore, quo Dispensatio fit, aut fieri deberet, Delegatus valide dispensare nequit. Nec refert, quod prius tempore nempe sollicitationis, et gratiae a Papa concessae jam exstiterit: tum ob rationem datam: tum quia cessante causa finali cessat mandatum *c. si pauper. de Praebend. in* 6.

222 Infertur cum Doctoribus allegatis, in sequentibus ac similibus casibus Delegatum nec licite, nec valide dispensare posse, et si dispensat, Dispensationem, ac Matrimonium nullum fore. 1. Si Puella, quae ob defectum dotis petiit et obtinuit Romae Dispensationem, postea, sed antequam Delegatus dispensarit, alia via, donatione v. g. haereditate etc. sufficientem obtinuit dotem, prout jam dictum est supra *n.* 90. 2. Si lis super re magni momenti, ob quam Romae impetrata fuit Dispensatio, plene terminata fuit ante Dispensationem ab Ordinario factam. 3. casu, quo ex causa angustiae petita ac etiam obtenta est Romae Dispensatio, si ante ejus executionem a Delegato factam, aequalis vir mulierem pro Matrimonio expetiit.

Altera pars conclusionis, videlicet, quod sufficiat verificari causam motivam tempore, quo Delegatus actu dispensat, etsi tempore, quo sollicitata, et Romae impetrata fuit gratia Dispensationis, nullatenus extiterit, nec vera fuerit, docetur a Pyrrh. Corrad. *in Praxi Dispensat. lib.* 7. *cap.* 6. *numer.* 24. allegante modernum stylum curiae et 25. Garcia. *de Benef. p.* 6. *cap.* 1. *numer.* 283. et aliis. Ratio est; quia juxta dictum modernum stylum Curiae, Papa, vel Curia Romana ipsemet non dispensat, sed tantum dat mandatum, ut Delegatus dispenset, sub conditione, et clausula, *si ita est*, seu *si preces veritate nitantur*; ergo si Delegatus pro tunc, quo dispensare vult, reperit, rem de facto, seu de praesenti ita se habere, et causam revera existere, consequenter preces hoc tempore, quo vera Dispensatio fit, omnino niti veritate, conditio et clausula perfecte impleta habetur, consequenter nil impedit, quin Dispensatio fieri queat, et facta subsistat. Cum Papa aliud non requirat, quam ut preces veritate nitantur, antequam dispensetur, quod evenit in casu nostro. 223

Dices; haec conclusio videtur aperte militare contra SS. Canones, ubi Dispensationes nullae declarantur, casu quo causa motiva vel nunquam, vel non amplius extitit tempore datae, seu quo gratia Dispensationis Romae concessa fuit, ut patet ex c. *Quia circa. de Consang. et Affinit. et c. si eo tempore de Rescript. in* 6. Resp. Hos et alios Canones loqui de tempore antiquo, quo Papa, vel Curia Romana nulli alteri mandatum dispensandi committens ipsemet perfecte, et complete dispensabat; quo tempore utique debuit vere existere causa; sicut eam modo existere debere dicimus tempore, quo nomine Papae dispensat Ordinarius, vel alius Delegatus. Aliter autem res se habet tempore moderno, quo, ut sciunt practici et docet notorius, stylus, dispensationes completae, seu in *forma gratiosa*, uti vocari solent, non amplius fiunt, sed committuntur Ordinariis, ut ipsi habita sufficienti informatione et *cognita precum veritate* saltem tunc, quando actu dispensandum erit, re ipsa, et actu dispensent. 224

Hinc merito conqueritur Corrad. *loc. cit.* quod DD. non distinguentes tempus, nec stylum antiquum a novo, et mandatum de dispensando confundentes cum actuali Dispensatione decipiantur. 225

Instabis, si tempore, quo Romae expediuntur Dispensationis litterae, non existit causa dispensandi, non est credibile, quod Papa intendat dispensare, cum, si sciret, eam non existere, profecto non dispensaret; praesertim quia fraudem oratorum deprehenderet, quam semper abhorret, et ea concurrente nunquam censetur dispensare; textu claro c. *super litteris.* 20. *de Rescript.* Resp. Negando totum argumentum, vel suppositum; quia uti jam dictum est, etsi Papa sciret, tempore suae expeditionis allegatam causam dispensandi non subsistere, tamen, si simul sciret, eam eventuram ante actualem Dispensationem a Delegato faciendam, et ad id reflexisse oratores, indeque a fraude esse alienos, omnino concederet mandatum de dispensando teste stylo per Corrad. allegato. 226

227 Resp. IV. Non requiritur , ut Dispensationis causa finalis , seu motiva verificetur , et existat , seu perduret adhuc , quando Matrimonium contrahitur , sed sufficit , quod tempore Dispensationis a Delegato factae extiterit ; etsi post illam , et adhuc ante Matrimonium cesset , vel evanescat. Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 22. *numer.* 4. Guttierez *de Matrim.* 116. *nu.* 2. Sylvester ¶. *Dispensatio q.* 11. Justis *lib.* 3. *cap.* 1. *nu.* 82. cum communi aliorum contra Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 30. *n.* 14. Probatur conclusio partim ex conclusione praecedenti : partim ratione , videlicet , quod post factam e Delegato executionem , seu actualem Dispensationem , gratia Dispensationis jam sit perfecta et completa in ablatione vinculi , seu impedimenti ; atqui hujusmodi vinculum et impedimentum semel ablatum non amplius reviviscit *arg. c. Ex tun , de Filiis Presbyter.* juncta Glossa ibidem ¶. *irritari* , et *Regula* 73. *Juris in* 6. *Factum legitime retractari non debet , licet casus veniat , in quo non potuit inchoari* ; quam Regulam regulariter procedere , quando actus fuit perfectus et consummatus , passim fatentur DD. consequenter etiam Dispensatio semel perfecta et completa , superveniente casu non retractatur , nec impedimenti vinculum semel ablatum amplius redit.

228 Dices cum Sanchez et ei adhaerentibus *Cessante causa cessat effectus c. Cum cessante de Appell.* ergo pariter cessante causa finali , et motiva , cessat privilegium , *arg. c. suggestum de privilegiis* , juncta Glossa ibidem : *Hinc L. 1 ff. de Condit. sine causa* dicitur : *paria esse , sive ab initio sine causa promissum est , sive ea postea desierit , ut conditioni locus sit.* Confirmatur : *Actus non operantur ultra intentionem agentium arg. c. fin. de Praeb.* atqui dispensans non censetur dispensasse, nisi sub hac conditione saltem tacite intellecta , *dummodo causa permaneat* , nam alioquin male dispensasset , si voluisset Dispensationem suam extendi ad eum casum, quo causa prorsus cessaret. Confirmatur ulterius , et quidem a pari : quia Dispensatio comedendi carnes in quadragesima propter specialem infirmitatem cessat , cessante postmodum illa infirmitate ; ergo idem dicendum in proposito.

229 Verum respondetur ; et quidem ad illam Regulam, *cessante causa cessat effectus*, dicitur, eam procedere , quando effectus necdum plene perfectus , et consummatus est ; secus quando est plene perfectus et consummatus , uti in proposito ; ubi per praeviam Dispensationem vinculum impedimenti Matrimonialis est penitus sublatum

Ad textum Juris respondetur , id esse speciale in casibus illis , in quibus ea est intentio Principis , ut cessante causa cesset effectus : quod non fit in proposito , ut bene advertit Perez. Ad confirmationem negatur Minor : nam ad hoc , ut dispensans non dicatur male aut inique dispensare , sed potius Dispensatio censeatur valida , sufficit preces seu causam Dispensationis fuisse verificatam tempore actualis Dispensationis per Ordinarium, vel alium delegatum auctoritate Papali factae. Includi vero tacite illam conditionem , *dummodo causa perduret* , tanquam gratis dictum negatur

230 Ad alteram Confirmationem negatur paritas inter dispensationem carnes in quadragesima comedendi , causa infirmitatis , et inter Dispensationem super impedimento Matrimonii Nam Dispensatio illa prior habet tractum successivum , simulque sicut jejunium quadragesimale virtute multiplex est , et singulis diebus , quasi novam obligationem inducit , ita et Dispensatio illa multiplex est ; ac proinde non mirum , quod cessante causa infirmitatis , pro reliquis diebus cesset etiam ipse effectus. Secus fit in Dispensatione super impedimentis Matrimonii , utpote quae non habet tractum successivum , sed statim tota simul conceditur, et habet quasi effectum indivisibilem , tollendo ipsam inhabilitatem , seu impedimentum.

§. VI.

De Supplicatione pro obtinenda Dispensatione quoad forum externum forma ordinaria super impedimentis Matrimonii , et de formulis hujusmodi supplicationum.

SUMMARIUM.

260 Copula scienter habita *si pro causa proponatur, quomodo exprimenda?*
261 Copula habita *cum spe facilius obtinendi dispensationem quomodo proponendo?*
262 *Quando pro Dispensatione in secundo gradu supplicant ignobiles, addunt, imminere periculum vitae.*
263 Copula ignoranter habita *quomodo exprimatur?*
264 *Matrimonium scienter contractum sine spe facilius obtinendi Dispensationem pro causa quomodo proponatur?*
265 *Et quomodo si cum spe facilius obtinendi fuit contractum?*
266 *Quomodo, si ignoranter et bona fide fuit contractum?*
267 *Expressa causa exponitur obstans impedimentum.*
268 *Formula exprimendi* impedimentum Consanguinitatis in gradu aequali.
269 *Et in gradu innequali.*
270 *Quando concurrit cum remoto primus gradus, debet etiam provententia explicari, et quomodo?*
271 *Quando duplici vinculo sunt conjuncti, exprimi debet.*
272 *Formula exprimendi* Affinitatis impedimentum.
273 *Formula exprimendi* impedimentum publicae honestatis.
274 *Praxis rite proponendi* impedimentum Cognationis spiritualis.
275 *Formula rite proponendi* impedimentum Criminis.
276 *Formula rite proponendi* impedimentum voti, et ordinis sacri.
277 *Formula expressis exprimendis petendi Dispensationem, et claudendi supplicationem ordinarie.*
278 *Formula petendi, et claudendi supplicationem, si consanguinitas, vel Affinitas est in gradibus inaequalibus.*
279 *Vel si petitur Dispensatio ob copulam, vel contractum jam Matrimonium: et nu. seq.*
281 *Supplicatio rite concepta per quos, et quomodo Romam dirigi possit? et nu. seq.*
283 *Observantia practica, et num. seq.*
285 *Si copula incestuoso praecessit, expedit mature petere Dispensationem, et quare?*
286 *Ubi Romae offerri debeat supplicatio?*
287 *Compendiosa recapitulatio hactenus dictorum.*
288 *Alia praxis procurandi Dispensationem cuivis quadrans: Et duobus seqq.*

231 Notandum prius, Dispensationes super impedimentis Matrimonii alias sollicitari, et expediri pro foro externo, seu potius pro utroque foro tam externo nempe, quam interno: alias vero pro solo foro interno, quando videlicet impedimentum est occultum, Affinitas v. g. ex copula fornicaria proveniens, vel impedimentum criminis. Pro foro externo aliae petuntur, et conceduntur in forma pauperum, aliae in forma ordinaria.

232 Porro quae pro foro externo petuntur, et conceduntur, non in eodem, sed diverso loco, et per diversos Officiales Romae expediuntur: Aliae enim expediuntur in *Dataria* (quae etiam *Officium minoris gratiae* appellatur) per Officiales illius: et quidem omnes, et solae illae, quae in remotioribus gradibus videlicet, in *quarto*, vel *tertio*, et *quarto* petuntur, sive dein ab uno, sive a diversis stipitibus proveniant.

Aliae expediuntur in *Cancellaria*, illae scilicet omnes, et solae, quae in *tertio*, vel *secundo et tertio*, sive ex uno, sive pluribus stipitibus communibus proveniunt.

Aliae expediuntur in *Praefectura Brevium*, et sub annulo Piscatoris, illae nempe omnes, et solae, quae petuntur in *primo Affinitatis*, vel *primo et secundo*, vel in *primo et tertio*, vel *primo et quarto* Consanguinitatis, vel Affinitatis gradu. Corrad. *in Praxi Dispensat. lib. 7. cap. 4. n. 6.* Justis *de Dispensat. lib. 1. cap. 3. a n. 13.*

Quae pro solo foro interno super impedimento occulto petuntur, expediuntur a *Sacra Poenitentiaria*, quae super quovis impedimento dirimente, Jure Ecclesiastico, legitima existente causa dispensat, tam ante, quam post contractum Matrimonium, excepto impedimento consanguinitatis, super quo ante contractum Matrimonium nunquam, bene vero post contractum dispensat, si tamen primum et secundum gradum ejusdem excipias, ut post Fillinc. *Tract. 10. p. 2. cap. 10. nu.* 351. de quo magis infra §. IX. 233

Quando contingit, oratores pluribus laborare impedimentis, quorum unum, aut plura sunt occulta, et alia publica, petitur, et expeditur Dispensatio super occultis in Poenitentiaria, super publicis vero in Dataria, vel Cancellaria, vel Praefectura Brevium pro diversitate nempe graduum modo supra *a n.* 232. allegato H. N. 234

Quaeritur I. An certa aliqua supplicationis forma, seu modus? et qualis sit necessarius, si super impedimento Matrimonii publico, pro externo foro petitur Dispensatio in forma ordinaria: quaenam item in ea exprimi debeant? Et quomodo? Resp. I. Omnino necessarium est, ut supplicatio fiat in scriptis debito modo, alias non conceditur Dispensatio. Corrad. *lib. 7. cap. 4.* nu. 6. Et *lib. 2. cap. 1. nu.* 23. Justis *lib. 1. cap. 3. num.* 1. ita jubente stylo Curiae. 235

Resp. II. Supplicatio debet concipi latino idiomato, et quantum fieri potest verbis propriis in Curia usitatis, *ac* sine ambagibus, superfluis ceremoniis, simpliciter, sine quaesito ornatu dictionis, aut verborum. Corrad. *cit. lib. 2. cap. 1. a nu.* 24. Justis *loc. cit. a num.* 2. et alii. Ratio de lingua latina est, tum quia haec est dignior caeteris. Tum, quia est propria, naturalis, et materna Romanorum. Mandos. *ad Regul. Cancell. Reg.* 80. *de Idiomate. q. 10. n. num.* 4. Tum, quia haec lingua censetur communis omnium nationum, et caeterae accidentales, ob quod Roma, cum sit communis patria *L. Roma. ff. de Municip.* ut ab omnibus intelligetur, eam assumpsit. 236

Claritas quoque, proprietas, et simplicitas adeo est necessaria, ut si verbis inusitatis, obscuris, vel ignotis, et peregrinis utantur oratores, supplicatio dilacerari soleat, uti ex praxi bene advertit Corrad. *cit. lib. 2. cap. 1. nu.* 30. Estque conforme Juri communi, *c. Nuper a nobis, in fine de Donat. inter virum et uxorem.* 237

Resp. III. In supplicatione debent exprimi, quae §. IV. diximus et in compendio repetivimus *n.* 203. videlicet I. Nomen, et Cognomen oratorum. II. Nomen Dioecesis. Non item locus oratorum, nisi propter angustiam petatur Dispensatio, vel ob locum ad littus maris per dicenda infra. 238

Quaeritur II. Quomodo in praxi supplicatio formari, et qualiter exprimenda exprimi debeant? Resp. Ut clare, et pro faciliori captu, simulque pro majori commoditate pateat ad hoc quaesitum, exhibetur imprimis integra et continua Copia alicujus supplicationis. Dein fit discussio illius intermixtis diversis causis, ob quas petitur Dispensatio, diversisque impedimentis, super quibus petitur, adjuncta ubique praxi quaevis rite proponendi, 239

ipsam Dispensationem debite petendi, sicut et diversis personis, pro quibus petitur.

240 Formula supplicationis pro Dispensatione super impedimento Consanguinitatis in tertio, et quarto, ex causa defectus competentis dotis.

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter Sanctitati Vestrae pro parte devotorum illius oratorum Francisci N. laici, et Clarae N. Dioecesis Frisingensis: quod, cum dicta oratrix dotem habeat minus competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, et dictus orator cum dicta minus competente dote Oratricem in uxorem ducere intendat. Sed quia tertio, et quarto a communi stipite provenientibus gradibus invicem conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt, absque Sedis Apostolicae Dispensatione. Supplicant igitur humiliter Sanctitati Vestrae oratores praefati, quatenus cum eisdem oratoribus, quod impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante. Matrimonium inter se publice serveta forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodam remanere libere, et licite valeant, dispensare; distantiam vero tertii gradus non obstare declarare, prolemque suscipiendam exinde legitimam nunciare dignemini de speciali gratia. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscunque.

Haec est consueta verbis propriis, ac in Curia usitatis, et absque ullo superfluo concepta supplicatio, ad cujus normam etiam reliquae mutatis mutandis, praesertim causis, et impedimentorum speciebus, simulque additis necessariis formari debent. Quod ut facilius et commodius fieri a quovis valeat, membratim denuo adducimus, et discutimus praefatam supplicationem, addendo varias Dispensationis causas, variasque impedimenta, super quibus Dispensatio fieri solet, et praxin, qua eaecte proponi debent.

241 Quaeritur III. Qualiter supplicatio inchoati, et Nomina oratorum ac Dioecesis exprimi debeant? Resp. Quaevis supplicatio pro foro externo incipit: *Beatissime Pater*; quia non inscribitur summo Datario v. g. sicut inscribitur summo Poenitentiario, quando petitur Dispensatio pro foro interno, sed ipsi Papae, sicut nec Datarius, vel alius officialis, sed ipse Papa dispensat, licet per manus officialium transeat, uti bene notat Corrad. *lib.* 2. *cap.* 1. *a num.* 30.

242 *Exponitur humiliter Sanctitati Vestrae pro parte devotorum Illius oratorum Francisci N. laici et Clarae N. etc.*

Sic praemisso Papae titulo incipit quaevis supplicatio pro foro externo, addito deinde proprio nomine, et cognomine utriusque, quod inevitabiliter debet exprimi simulque exponi, an sit laicus, vel Clericus v. g. *Laici*.

Dioecesis Frisingensis.

243 Deinde exprimitur nomen Dioecesis oratorum: quod si sint diversae Dioecesis, utriusque expressio fieri debet juxta dicta v. g. *Antonii laici, Dioecesis Frisingensis, et Rosae mulieris Dioecesis Eistetensis.* Et si petitur Dispensatio ob angustiam loci, subjungitur etiam locus oratricis v. g. *ex oppido Tolzensi ortae*, vel *ortorum*.

Quaeritur IV. Quomodo in praxi proponantur causae dispensandi? Resp. Explicatis Nominibus, et Dioecesi oratorum ut supra, illico adducitur legitima dispensandi causa, addito desiderio, quod cupiant invicem copulari: idque exponi incipitur illis Verbis; *quod cum etc.* vel *quod etc.* ut statim magis patebit ex causis specificis. Ut autem appareat, qualiter quaevis dispensandi causa juxta stylum Curiae rite proponi queat, et debeat, subjungimus praxin rite exponendi quamlibet dispensandi causam ex dictis *a nu.* 69. 244

Praxis proponendi *praerogativam Regiae, aut vero principalis personae* de qua *cit. n.* 69. 245

Quod, cum oratores de Regio, vel magnorum Principum, de Ecclesia optime meritorum stemmate existant, et Matrimonialiter invicem copulari cupiant, sed quia, etc. vel *quod cum oratores de Regio, aut Magnorum Ducum stemmate existant, et valde expediat pro bono communi, ut orator Oratrici, et non alteri nubat; cupiunt invicem Matrimonio copulari. Sed quia etc.*

Praxis proponendi causam *ob Conservationem Familiae, ne deficiat*, de qua *n.* 70. 246

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter Sanctitati Vestrae pro parte devoti Oratoris Bonaventurae N. Clerici Diaconi, vel *Sacerdotis,* vel *Religiosi etc. Dioecesis N. quod, cum ipse de Illustri, et vere nobili, vel nobilissima, et antiquissima Familiae videlicet N. existat, praefataque Familia sine omni masculo haerede, Oratore solo superstite, decesserit, consequenter nisi ipse nubat, totaliter deficiat, cuivis tamen conservatio pro bono communi faciat, Matrimonium inire intendit. Sed quia etc.*

Praxis proponendi causam *ob conservationem bonorum in familia, vel ipsius Familiae in suo splendore*, de qua *cit. n.* 70. §. *Huc reducunt.* 247

Quod cum Nobilis Familia N. sine masculo haerede in sua linea decedens solam Oratricem pro universali haerede reliquerit, et Oratrix Oratori, qui alias de eadem Familia, licet diversae lineae, existit, ut bona conserventur in Familia, matrimonialiter copulari intendit. Sed quia etc.

Vel *cum Oratores de Illustri Familia videlicet N. existant, valdeque expediat pro conservatione illius in suo splendore, ut Oratrix Oratori, et non alteri nubat, cupiunt invicem matrimonialiter copulari Sed quia etc.*

Praxis proponendi causam *ab Excellentia meritorum*, de qua *n.* 71. 248

Quod dictus Orator, qui de nobili genere existens in bello turcico contra fidei hostes per decem annos sub Augustissimo Imperatore N. inservivit, et plura vulnera recepit, cupit cum Oratrice matrimonialiter copulari. Sed quia etc.

Pariter possunt alia merita etiam majorum adduci.

Praxis rite proponendi causam *n.* 72. propositam, quae est *Extinctio litis.* 249

Quod, cum inter dictos Oratores, vel eorum parentes, aut consanguineos graves lites super rebus magni momenti ortae sint, et ad praesens vigeant; aliunde tamen, quam ex causa Matrimonii inter dictos Oratores provenientes, ante illius tractatum exortae; certumque sit, quod si Oratores ipsi invicem matrimonialiter copularentur, lites hujusmodi omnino componerentur. Pro illis igitur componendis cupiunt matrimonialiter invicem copulari. Sed quia etc.

250 Praxis rite proponendi causam *n.* 73. propositam, quae est *Gravis inimicitia*

Proponitur haec causa eodem modo, ut prior, solo mutato, quod loco *graves lites*, ponatur *graves inimicitiae*

Praxis rite proponendi causam *nu.* 54. allegatam, quae est *Confirmatio, et Conservatio pacis.*

251 *Quod cum inter Oratorem, et Oratricem*, vel *eorum parentes*, vel *Consanguineos, graves inimicitiae viguerint, aliunde tamen etc.* ut supra *n.* 249. *et licet pax inter eos de recenti inita fuerit, nihilominus pro illius confirmatione cupiunt matrimonialiter copulari. Sed quia etc.*

252 Praxis rite proponendi causam *n.* 75. allegatam quae est *Evitatio scandalorum*

Haec causa, quamvis in variis, tamen potissimum procedit, quando intervenit copula, vel Matrimonium jam est contractum, de quibus vide infra *num.* 260. *et n.* 265

253 Praxis rite proponendi causam *num.* 76. allegatam quae est *Angustia loci.*

Quod, cum dicta Oratrix in dicto loco (qui prius exprimi debet juxta dicta *n.* 243) *propter illius Angustiam virum non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat; cupiant Oratores matrimonialiter invicem copulari. Sed quia etc.*

254 Haec causa subinde ponitur etiam cum nota clausula *etsi extra*, quae quidem licet necessaria non sit ad impetrandam Dispensationem super *tertio*, *vel tertio et quarto*, tamen videtur necessaria, vel certe valde expediens ad Dispensationem obtinendam super *secundo et tertio*, vel *quarto* gradu, si sola *Angustia loci*, et nulla alia causa proponatur, ut bene advertit Corrad. *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 11. Proponitur autem sequenti modo

Quod, cum dicta Oratrix in dicto loco propter illius angustiam virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, et si extra dictum locum nubere cogeretur, dos, quam ipsa habet, non esset competens, neque sufficiens, ut cum ea virum, cui juxta status sui conditionem nubere posset, invenire valeret. Cupiunt etc.

255 Praxis rite proponendi causam *nu.* 81. allegatam, quae est *defectus competentis dotis.*

Haec praxis jam patet ex formula supra *num.* 240. allegata. Notandum tamen, quod, si vir foeminam cum minus competente dote Oratricem non tantum accipere, sed etiam dotem illius juxta qualitatem Oratricis augere vult, Dispensatio facilius etiam in minus remotis gradibus videlicet secundo et tertio acquiri valeat, uti ex stylo bene observat Corrad. *lib.* 7. *cap.* 2. *numer.* 37. Tunc autem ita proponitur causa

Quod, cum dicta Oratrix dotem habeat minus competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, et dictus Orator illam cum dicta minus competente dote in uxorem ducere, illiusque dotem usque ad quantitatem, secundum dictae Oratricis qualitatem competenter augere intendat. Sed quia etc.

256 Si puella est omnino indotata, adhuc facilius, et pro nobilibus etiam in *secundo*; item *primo et secundo gradu* obtinetur Dispensatio. Causa autem tunc ita proponitur.

Quod, cum dicta Oratrix indotata existat, et dictus orator sic indotatam in uxorem ducere, ac usque ad quantitatem secundum dictae Oratricis qualitatem, competenter ex integro dotare intendat; quo casu tamen Dispensationem Delegatus executioni mandare non potest, nisi prius Orator Oratricem actu dotaverit; ob quod etiam inseritur Dispensationis literis clausula, *si, et postquam dicta Oratrix ex integro dotata fuerit, ut praefertur.*

Quod, si non ipse Orator, sed alius incompetentem 257
dotem puellae augere, vel eam indotatam ex integro dotare velit cum conditione, ut nubat Oratori: proponitur causa sequenti modo

Quod, cum dicta Oratrix dotem habeat minus competentem; juxta status sui conditionem, cum qua virum paris conditionis, cui nubere possit invenire nequeat; et quidam Oratorum consanguineus (vel bonus amicus) ad id alias non obligatus Oratricis dotem, ita tamen, ut Oratori nubat, et non alias usque ad quantitatem, secundum ejusdem Oratricis qualitatem competenter augere, dictusque Orator illam cum dicta minus competente dote, et illius augmento in uxorem ducere intendat. Sed quia etc.

Si indotatam alienus etiam ex integro dotare velit, proponatur juxta *num.* 256. et immediate praecedentem mutatis mutandis.

Praxis rite proponendi causam *nu.* 92. allegatam, quae est *Ætas mulieris* 24 *annorum.*

Quod, cum dicta Oratrix vigesimum quartum 258
annum, et ultra suae aetatis agens, virum paris conditionis, cui nubere possit, hactenus non invenit Cupiunt Oratores etc. matrimonialiter copulari. Sed quia etc.

Praxis rite proponendi causam *nu.* 69. allegatam, quae est *Locus ad littus maris.*

Exponitur circa hanc causam praeter locum 259
Dioecesis, etiam locus Oratorum, uti in Angustia loci, deia causa ita proponitur.

Quod, cum dictus locus ad littus maris existat, ac propterea continuis pyratarum, ac infidelium invasionibus obnoxius, et sic exteri homines cum difficultate, seu non ita libenter ad contrahendum cum ejusmodi habitatoribus ad illum accedere velint. Cupiunt etc.

Praxis rite proponendi causam *num* 49. allegatam 260
quae est *copula praehabita.*

Haec copula potest vel scienter, vel ignoranter inter impeditos haberi; item cum spe facilius obtinendi Dispensationem, vel sine tali spe, quae omnia, prout se habent, necessario sunt exprimenda juxta dicta *n.* 55. Porro in expositione hujus causae solet plerumque ipsum impedimentum ante causam poni, et sic aliqualiter alius esse modus proponendi. Hinc integram supplicationem ex hac utpote saepius redeunte causa proponam.

Si itaque praecedit copula scienter sine spe facilius consequendi Dispensationem, ita supplicatur.

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter Sanctitati Vestrae pro parte devotorum illius Oratorum Petri N. Laici, et Luciae N. Dioecesis Ratisbonensis, quod ipsis olim scientibus, se tertio consanguinitatis gradu a communi stipite provenientes invicem esse conjunctos, Orator praedictus, non quidem data opera, ut crimine admisso haec causa foret Sanctitatem Vestram, et Sedem Apostolicam ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliores reddendi, sed solum vesana libidine victus Oratricem carnaliter cognovit. Cum autem Pater S. nisi Matrimonium inter dictos Oratores contrahatur, dicta mulier diffamata, et innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent oriri. Cupiunt praefati oratores matrimonialiter copulari. Sed quia obstante impedimento ejusmodi desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicae Dispensatione. Supplicant etc.

Si scienter praecessit copula cum spe facilius obtinendi Dispensationem, ita supplicatur.

Beatissime Pater.

261 *Exponitur etc.* ut supra, *quod ipsis alias scientibus se secundo consanguinitatis gradu esse conjunctos, sub spe facilius obtinendi a Sanctitate Vestra Dispensationem carnis fragilitate devicti se carnaliter cognoverunt.* (Si tantum una pars sub tali spe peccasset, altera vero v. g. Oratrix non proponitur, uti res se habet *v. g. praefatus Orator sub spe etc. Oratricem, nullam spem habentem (Sanctitatem Vestram, et Sedem Apostolicam ad misericordiam et gratiam erga eam faciliores reddendi carnaliter cognovit. Cum autem Pater Sancte, nisi Matrimonium inter dictos Oratores contrahatur, dicta mulier diffamata, et innupta maneret, graviaque inde scandala possent oriri, simulque utrique parti periculum vitae immineret. Cupiunt etc.*

262 Nota, quod, quando Oratores non nobiles sollicitant pro Dispensatione super secundo Consanguinitatis, vel primo, aut secundo Affinitatis gradu, debeant juxta dicta *n.* 122. et alibi, allegare etiam periculum vitae, praesertim si sub spe facilius obtinendi Dispensationem peccarunt.

Si copula ignoranter fuit habita, supplicatur taliter.

Beatissime Pater.

263 *Exponitur etc.* ut supra num. 260. *quod ipsi, alias ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quo minus possent matrimonialiter copulari, carnis fragilitate devicti se carnaliter cognoverunt. Postmodum vero ad eorum devenit notitiam se secundo, et tertio Consanguinitatis gradu esse conjunctos. Cum autem Pater Sancte nisi Matrimonium etc.* ut supra *num.* 260.

Praxis rite proponendi causam *n.* 59. allegatam, quae est *Infamia Mulieris ex suspicione*, etsi falsa, *de copula ob suspectam conversationem.*

264 Expositis Nominibus Oratorum et Dioecesis ita dicitur: *quod ipsi, alias scientes se tertio v. g. consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, non quidem data opera etc. ut supra nu.* 260. *insimul conversati sunt; seque* (si oscula intervenerint) *deosculati sunt, carnali tamen copula inter eos minime subsecuta. Et nihilominus orta est suspicio, licet falsa, quod ipsi Oratores carnaliter se cognoverint. Cum autem Pater Sancte praemissa publica existant, et nisi Matrimonium inter eos contraharur, dicta Oratrix graviter diffamata, et innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent oriri. Cupiunt etc.* et supra *n.* 260.

Praxis rite proponendi causam *nu.* 97. allegatam, quae est *Matrimonium jam contractum.*

265 Sicut supra de copula diximus, potest etiam Matrimonium *scienter* vel *ignoranter*, seu bona, vel mala fide inter impeditos contrahi: idque vel cum, vel sine spe facilius obtinendi Dispensationem, in facie Ecclesiae, vel clandestine, potestque postea Matrimonium consummari, vel non, quae omnia debent exprimi. Si scienter contrahitur et consummatur absque spe facilius obtinendi Dispensationem.

Exponitur humiliter etc ut supra *num.* 260. *quod ipsi, alias scientes se quarto consanguinitatis gradu conjunctos, Orator praefatus non quidem data opera etc.* ut supra *num.* 260. *Matrimonium inter se de praesenti in facie Ecclesiae, vel clandestine, et de facto contraxerant, ac consummarunt. Cum autem Pater Sancte Oratores praefati in hujusmodi Matrimonio remanere non possint absque Sedis pro dictae Dispensatione, et si divortium inter eos fieret, gravia inde scandala possent verosimiliter exoriri. Supplicant igitur etc.*

Si scienter cum spe facilius obtinendi Dispensationem unies vel utriusque fuit contractum, eodem modo supplicatur, excepto quod loco verborum *Non quidem data opera etc.* ponantur verba *sub spe facilius etc.* ut supra *n.* 261.

Si ignoranter et bona fide ex parte utrinsque fuit contractum, ita supplicatur.

Exponitur etc. ut supra *num.* 260. *quod ipsi, alias ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quo minus possent invicem matrimonialiter copulari, Matrimonium inter se per verba de praesenti publico, factis denuntiationibus in eorum Ecclesia Parochiali* (vel si has omiserunt, *omissis tamen denuntiationibus*) *juxta formam Concilii Trident. nulloque detecto, vel denuntiato impedimento contraxerunt, illudque in facie Ecclesiae solemnizarunt, et copula carnali consummarunt. Postmodum vero ad eorum pervenit notitiam, eos tertio consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos; propter quod a carnali copula abstinuerunt* (si perrexissent in copula exprimi et dici deberet) *et nihilominus in eadem copula carnali perstiterunt. Cum autem Pater Sancte etc.* ut supra *n.* 264. *Supplicant igitur etc.* 266

Si tantum una pars ignoranter, altera vero scienter et mala fide contraxit, et de hoc nemo quid scit, supplicatur S. Poenitentiariae, ut infra §. *IX.*

Praxis rite proponendi causam *numer.* 98. allegatam, quae est generalis *ex certis rationabilibus causis.*

Notandum, quod quidem circa hanc causam soleat explicari qualitas, Oratores de honestis familiis aut nobiles existere, de eo tamen Executores pro verificatione indagare non debent, nec possint juxta *num.* 98. Caeterum proponitur haec causa taliter, nempe explicatis nominibus Oratorum et Dioecesis, dicitur: *Qui ipsi ex honestis familiis vel nobiles existent ex certis rationabilibus causis animos eorum moventibus cupiunt etc.*

Quaeritur V. Quo modo in praxi proponuntur ipsa impedimenta? Resp. Rite expressa Dispensationis causa, et patefacto desiderio ineundi invicem Matrimonium, exprimitur in specie obstans inter eos impedimentum, *Sed quia etc.* Excepto casu, quo ob copulam vel jam contractum Matrimonium, petitur Dispensatio: quia tunc paulo aliter fit expressio impedimenti, et causae juxta dicta *a num.* 260. Caeterum ut quivis rite et commode exprimere impedimentum valeat, subjungitur quoque praxis rite exprimendi quodvis impedimentum, super quo Papa pro foro externo dispensare potest, et solet. 267

Praxis proponendi impedimentum *Consanguinitatis.*

Sed quia in secundo, vel quarto Consanguinitatis gradu conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicae Dispensatione. Supplicant igitur etc. 268

Si inaequaliter distant a communi stipite, etiam propinquior gradus debet omnino exprimi, praecipue si sit primus ob dicta supra *a num.* 166. v. g. *Sed quia in primo et secundo*, vel *in primo et tertio*, vel *primo et quarto*, vel *secundo et tertio*, vel *secundo et quarto*, vel *tertio et quarto a communi stipite provenientibus consanguinitatis gradibus invicem sunt conjuncti, desiderium suum etc.* ut supra *num. praeced.* 269

Ubi tamen notandum, quod si cum secundo vel tertio concurrat primus, non sufficiat simpliciter asserere, eos esse in primo et secundo v. g. vel in primo et tertio, sed debeat etiam addi provenientia, seu distincte declarari, qualiter sint in 270

his gradibus dicendo v. g. *Sed quia sunt conjuncti in primo et secundo Consanguinitatis gradibus ex communi stipite, et ex eo provenientibus, quia Orator est patruus, vel avunculus Oratricis*: vel *quia Oratrix est matertera*, vel *Amita Oratoris*: *vel quia sunt in primo et tertio Consanguinitatis gradibus ex communi stipite, et ex eo provenientibus, quod Orator sit patruus magnus, vel avunculus magnus Oratricis; vel quod Oratrix sit amita, vel matertera magna Oratoris etc.* Corrad. cit. *lib.* 7. *cap.* 3. *a n.* 22.

271 Quod, si duplici Consanguinitatis, vel Consanguinitatis et Affinitatis vinculo simul conjuncti sunt, fideliter quoque exprimi debet de quo ad longum vide practicam expressionem apud Corrad. *lib.* 7. *cap.* 6. *a n.* 62.

Praxis exponendi Impedimentum *Affinitatis*.

272 Hoc impedimentum eodem fere modo, quo Consanguinitas proponitur, addito tamen, an ex licita vel illicita copula oriatur Affinitas, casu quo super primo vel secundo gradu petitur dispensatio juxta dicta *n.* 196. Item an Affinitas sit in linea recta, vel transversali: debet etiam adverti, quod loco verborum *invicem conjuncti sunt*, adhiberi debeant verba *se attinent*, uti bene advertit Corrad. Justis, et alii practici Curiales.

Putat autem Corrad. esse quoque addendam provenientiam primi, vel primi et secundi gradus, etiam quando ex copula illicita orta est v. g. *Sed quia primo affinitatis gradu se attineat, ex eo proveniente, quod Orator matrem vel sororem adhuc superstitem* (si enim adhuc est in vita, etiam explicari debet) *carnaliter cognovit etc.* Vel si ex copula licita est: *Sed quia primo Affinitatis gradu se attinent ex eo proveniente, quod Orator prius uxorem habuerit matrem, vel sororem Oratricis*: Vel *sed quia primo et secundo Affinitatis gradibus se attinent ex eo provenientibus, quod Orator prius uxorem habuerit materteram Oratricis, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt. Supplicant igitur etc.*

In remotioribus gradibus v. g. tertio, vel secundo et tertio, vel tertio et quarto non amplius est necesse addere provenientiam juxta dicta.

Praxis rite exprimendi Impedimentum *publicae honestatis*.

273 Circa hoc debet exprimi provenientia, ut Papa intelligat, an ex Matrimonio rato non consummato, vel potius ex solis Sponsalibus de futuro proveniat; solet etiam addi in honestate ex Sponsalibus de futuro, quod Sponsus vel Sponsa carnaliter non fuerit cognita v. g. *Sed quia alias dictus Orator Sponsalia per verba de futuro cum Oratricis sorore*, vel *matre adhuc superstite*, vel *ad praesens defuncta contraxit, quae quidem Oratricis soror, vel mater ab eodem Oratore intacta remansit, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt. Supplicant igitur etc.*

Praxis rite exprimendi impedimentum *Cognationis Spiritualis*.

274 Circa hoc quoque impedimentum debet exprimi provenientia, ut Papa videre valeat, an sit filiatio vel paternitas Spiritualis juxta dicta *n.* 200. v. g. *Sed quia alias dictus Orator ipsam Oratricem, vel prolem Oratricis e sacro fonte levavit*, vel *in Confirmatione tenuit, desiderium suum etc.* Si est duplex cognatio spiritualis, pariter exprimi debet juxta dicta *num.* 201. v. g. *Sed quia Oratrix prolem Oratoris, et econtra Orator prolem Oratricis in Confirmatione tenuit*, vel *e sacro fonte levavit, desiderium suum etc.* vel *Sed quia Orator prolem Oratricis unam tenuit in Confirmatione, alteram e sacro fonte levavit, desiderium suum etc.*

Praxis rite exprimendi Impedimentum *Criminis*.

275 Circa hoc impedimentum debet exprimi, quod neutro machinante in mortem existat; alterutro siquidem et a fortiori, utroque machinante nunquam dispensatur pro foro externo, hanc tamen interno juxta dicta *n.* 138. *et* 139. Notandum insuper, quod, dum petitur dispensatio super hoc impedimento, illud ante causam dispensationis exprimi soleat: de quo ut magis pateat integram supplicationem pro Dispensatione super hoc crimine adducimus v. g.

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter S. V. pro parte devotorum illius Oratorum M. et N. Dioecesis N. Quod alias constante matrimonio inter ipsam Oratricem, et ejus virum praedefunctum, Oratores ipsi carnis fragilitate devicti, data sibi invicem fide de Matrimonio inter se, post obitum Oratricis viri praefati contrahendo se carnaliter cognoverunt. Postmodum vero Oratricis vir praedictus (neutro tamen eorum in ejus mortem machinante) sicut Domino placuit, ab humanis decessit. Cum autem Pater Sancte, nisi Matrimonium praedictum inter dictos Oratores contraheretur, dicta Oratrix diffamata, et innupta remaneret; graviaque exinde scandala possent verosimiliter exoriri. Cupiunt oratores praedicti matrimonialiter copulari, sed stante impedimento etc. Supplicant igitur humiliter E. S. V. etc. quatenus cum eisdem Oratoribus, quod impedimento ex praemissis proveniente hujusmodi non obstante, matrimonium inter se publice etc. dispensare, Prolemque susceptam post obitum viri praedicti, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo, dignemini de gratia speciali. Non obstantibus praemissis etc.

Praxis rite proponendi impedimentum *Voti*.

Votum aliud est solemne, aliud simplex: illud est dirimens, hoc vero impediens solummodo impedimentum per dicta superius. Utrumque si publicum est, proposita prius dispensandi causa, sequenti modo exprimi potest. 276

Sed quia Orator praefatus in Religione Ordinis S. Dominici Professus, et Sacerdos; vel *sed quia sacro Diaconatus, vel Presbyteratus Ordine initiatus, in nulla tamen Religione professus existit*. Vel si votum simplex habet: *Sed quia simplex votum castitatis emisit; desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicae Dispensatione. Supplicant igitur etc.*

Si votum est occultum, dispensetur super eo in Poenitentiaria juxta dicenda infra § *IX.* Et si non est perfectum, vel non absolutum, vel non perpetuum dispensant Regulares juxta dicta *Lib. III. Tit. XXXIV.*

Quaeritur VI. Qualiter in praxi fiat petitio pro Dispensatione, et quomodo finiatur supplicatio? 277
Resp. Expressis in supplicatione causa, et desiderio Dispensationis, nec non impedimento, super quo dispensatio est necessaria, supplicant humiliter Oratores, ut cum ipsis super allegato impedimento non obstantibus quibuscunque dispensare, et prolem suscipiendam legitimam declarare dignetur, sit autem talis petitio, modo sequenti.

Supplicant igitur humiliter Sanctitati Vestrae Oratores praefati, quatenus cum ipsis, quod impedimento quarti Consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, si est aliud impedimentum prius in supplicatione allegatum, hic pariter allegatur, v. g. *quod impedimento primi gradus publicae honestatis ex praemissis proveniente hujusmodi non obstante*; Vel *quod impedimento Cognationis spiritualis ex praemissis proveniente hujusmodi non obstante*; Vel *quod impedimento criminis ex praemissis proveniente hujusmodi non obstante*; Et sic de aliis impedi-

mentis; *Matrimonium inter se publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare et in eo postmodum remanere libere ac licite valeant, dispensare, prolemque suscipiendam exinde legitimam decernendo dignemini de gratia speciali: Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscunque cum clausulis opportunis.*

278 Quando supplicatur pro Dispensatione super impedimento Consanguinitatis, vel Affinitatis in gradibus v. g. *tertio et quarto*, uti in copia *num.* 240. allegata, fit primo humilis petitio pro Dispensatione super remotiori gradu, et dein pro declaratione, *propinquiorem non obstare* tali modo. *Supplicant igitur humiliter Oratores praefati, quatenus cum ipsis, quod impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante etc. et supra num. praeced. dispensare, distantiam vero tertii gradus praedicti non obstare, declarare, prolem etc.* et supra, *dignemini*, et supra *num. praeced.*

279 Si autem supplicatur pro Dispensatione super impedimento Consanguinitatis, vel Affinitatis, vel Cognationis Spiritualis, casu quo scienter, vel ignoranter praecessit incestuosa copula, vel Matrimonium jam fuit contractum sive bona sive mala fide, rogant Oratores prius pro absolutione ab Excommunicatione, et aliis, dein priorum pro Dispensatione tali modo praemissis nempe praemittendis ut supra ponitur: *Supplicant igitur humiliter Sanctitati Vestrae Oratores praefati quatenus vos ab excommunicationis sententia, quam propter praemissa incurrerunt, incestus reatu, et excessibus hujusmodi in utroque foro absolvere, ac cum eisdem Oratoribus, quod impedimento quarti Consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante etc.* ut supra *n.* 277.

280 Quod, si una pars v. g. vir cum spe facilius consequendi dispensationem copulam habuit, vel Matrimonium inique contraxit, rogatur pro absolutione taliter: *Supplicant igitur humiliter Oratores praefati, quatenus Oratorem a generali, Oratricem vero ab excommunicationis sententia etc.* et supra *num. praeced.* et videre est apud Corrad. *lib.* 8. *cap.* 1. *numer.* 26.

281 Quaeritur VII. Per quos? Ad quos? quo modo? et quando Romam dirigi? ac ubi ibidem tradi debeat supplicatio pro obtinenda Dispensatione Matrimoniali? Resp. I. Si supplicatio juxta stylum Curiae est rite concepta, potest variis viis et mediis dirigi Romam. Praesentissima et securissima via est recurrere ad RR. Ordinarium, vel ejus Vicarium Generalem, aut Consilium Ecclesiasticum, vel practicum Consiliarum, aut Secretarium ejusdem, rogando, ut supplicationem Romam dirigere, et per RR. Ordinarii Agentem (quivis enim Episcopus Roma longe distans Agentem ibidem habere solet) supplicationem in loco debito porrigere, atque Dispensationis litteras, earumque expeditionem urgere dignetur.

282 Quod, si quis ob rationes sibi notas hac via incedere nolit, potest per se ipsum, vel per tertium alium media posta Ordinaria supplicationem rite conceptam mittere Romam ad aliquem Agentem vel Episcopi, vel Principis territoralis, vel ad Procuratorem Generalem alicujus Ordinis per Religiosum talis Ordinis, vel ad alium notum bonum amicum ibidem existentem, rogando, ut eam in loco debito porrigere, et expeditionem urgere dignetur; addere tamen debet, quod taxam consuetam non tantum solvere, sed labores quoque sollicitatoris realiter recognoscere velit.

283 Notandum etiam hic, quod Domini Itali et Germani, nisi sufficientem de necessaria solutione habeant assecurationem, aut personam alias satis notam, cui fidere possint, non facile credant, ac propterea nec quid laboretur ibidem, nec obtineatur pro foro externo. Neque id eis vitio vertendum, ob plures fraudes ex parte Oratorum jam commissas, et facile adhuc committendas.

284 Notandum ulterius, quod Procuratores Generales Ordinum non libenter suscipiant munus procurandi Dispensationes matrimoniales pro foro externo, nisi concernant praecipuos Benefactores Ordinis, et necessaria solutio taxae per Cambium, et alia via certe ac secure ita ordinetur, ut semper ad manus haberi possit: idque procedit praecipue in Procuratore Generali Ordinis nostri Seraphici, utpote qui negotia Ordinem non concernentia illibentissime suscipit.

285 Resp. II. Si petitur Dispensatio ob copulam ex impraegnatione palam futuram, summe expedit, et matura, et antequam ad Judicem saecularem causa incestus deducatur, Dispensatio Romae sollicitetur, praesertim si incestus esset cum consanguinea in secundo, vel cum Affine in primo, aut secundo gradu ob rationem infra allegandam. *num.* 346.

286 Resp. III. Romae debet supplicatio offerri vel in Dataria, vel Cancellaria, vel Praefectura Brevium pro diversitate nempe graduum, quibus Oratores sunt *conjuncti* juxta dicta *n.* 231. quod Practici Romae existentes optime norunt.

287 Quaeritur VIII. Quomodo hactenus dicta compendiose sciri et pro rite formanda supplicatione in praxi applicari valeant? Resp. Sequenti modo. Ante omnia videri debet, an adsit justa aliqua ex recensitis *a num.* 69. rationabilis causa, ob quam Papa dispensare super impedimento obstante possit, et solet. Habita causa fiat supplicatio modo hactenus allegato: videlicet primo fit initium, et exprimitur nomen ac cognomen utriusque Oratoris juxta dicta *num* 251. et 252. Secundo exprimitur nomen Dioecesis, et (si ob angustiam loci petitur Dispensatio) etiam loci Oratricis juxta dicta *num.* 253. Tertio statim subjungitur dispensandi causa, et desiderium Matrimonium ineundi juxta dicta *num.* 254. *et* 255. *ac seqq.* Quarto exprimitur ipsum impedimentum juxta dicta *numer.* 267. *et seqq.* Notandum tamen circa expressionem causae, et impedimenti, quod, si ob praecedentem copulam, vel jam contractum Matrimonium petatur Dispensatio, paulo aliter proponatur ac exprimatur causa dispensandi, et impedimentum; nam impedimentum tunc ponitur ante causam, juxta formulas *a num* 260. *et seqq.* Quinto, Expressis praefatis cunctis, fit ipsa petitio pro Dispensatione juxta dicta a *n.* 277. et si Oratores inaequali gradu distant, pro declaratione juxta dicta *n.* 278. Nec non pro absolutione, casu quo copula incestuosa praecessit, vel Matrimonium jam fuit contractum.

288 Quaeritur IX. Quid faciendum illi, qui hactenus quantumvis clare et practice dicta non satis penetrat, vel sufficienter legendi, et rite applicandi tempus non habet, aut sibi ipsi non fidens securius procedere cupit? Resp. Talem, imo et quemvis alium optime facere, et securissime procedere, si necessario exprimenda breviter exprimit, videlicet 1. Nomen et cognomen utriusque Oratoris contrahere volentis. 2. Speciem, et gradum impedimenti addendo etiam propinquum, si inaequali gradu distant; ac copulam si praehabita est cum, vel sine spe facilius obtinendi Dispensationem. 3. Si Matrimonium jam est contractum, an bona vel mala fide, praemissis denuntiationibus, vel sine illis sub spe facilius consequendi Matrimonium, vel sine tali

spe, et tandem exprimat causam Dispensationis. Casum sit expressum mittat ad RR. Ordinarium, vel ad aliquem Romae jam existentem ex dictis *nu.* 282. rogando, ut Dispensationem juxta stylum curiae apud Sedem Apostolicam procurare dignetur pro oratoribus paratis ad solvendam taxam consuetam. Habito siquidem casu rite explicato, talis Romae existens bonus amicus, vel Agens supplicationem juxta stylum Curiae vel ipsemet faciet, vel per alium peritum Romae fieri curabit, et in loco debito porriget, expeditionem urgebit, et impetratas Dispensationis litteras ad Oratores diriget.

289 Sic v. g. Parochus aliquis potest casum venientium ad se Parochianorum, Dispensationem super impedimento desiderantium breviter et ruditer statim ita proponere v. g.

Petrus N. laicus, et Anna N. Dioecesis Frisingensis, vel quorum prior Frisingensis, haec vero Ratisbonensis Dioecesis est, cupiunt matrimonialiter copulari; quia vero laborant impedimento Consanguinitatis in tertio et quarto gradu, rogant humillime, et ego cum ipsis, dignetur RR. Dominatio sua etc. pro eis Dispensationem juxta stylum Curiae in forma ordinaria procurare. Causa Dispensationis allegari potest copula ob impraegnatam Oratricem jam publica, quae tamen absque spe facilius consequendae Dispensationis fuit habita. Sic potest etiam alia causa adduci, si adest, v. g. *pro causa dispensandi servit incompetens, dos Oratricis. Taxam consuetam, et alias expensas cum gratiarum actione, ut debita recognitione exacte solvent etc.*

290 Quod si in forma pauperum desideraretur Dispensatio, observanda erunt dicenda infra §. *VIII.*

§. VII.

De Formulis litterarum Apostolicarum, quibus Romae demandatur Dispensatio pro foro Externo per Executorem facienda: Et de Executore, atque Executionem earundem Litterarum: Nec non de quibusdam praefatarum litterarum clausulis observandis, et verificandis.

SUMMARIUM.

291 *Romae actu non dispensatur, sed datur tantum mandatum dispensandi Rescriptum in forma gratiosa, et in forma Dignum quid? Ibid.*

292 *Formula Apostolicarum litterarum pro Dispensatione super impedimento Consanguinitatis in gradibus inaequalibus sine copula ob Angustiam loci.*

293 *Formula super gradu aequali, et quando praecessit copula.*

294 *Formula quando Matrimonium jam est contractum.*

295 *Executor Litterarum Apostolicarum deputatur vel Ordinarius, vel ejus Vicarius Generalis, et hic plerumque constituitur,*

296 *Vicarius Generalis ultra montes vocari solet in Bulla Officialis.*

297 *Quo nomine nunquam intelligitur Officialis Capituli, unde nec exequi potest.*

298 *Si Vicarius deputatur, non potest exequi Episcopus, nec econtra: potest tamen unus alterum subdelegare.*

299 *Executor non potest exequi litteras, antequam eidem in originali praesententur.*

300 *Executio antea facta est nulla: sicut etiam, si ante Executionem de novo habent copulam.*

301 *Litterae Apostolicae difformes stylu, vel habentes insolitas clausulas sunt suspectae.*

302 *Stylus litterarum Apostolicarum qualis?*

303 *Primo ponitur Nomen Pontificis, et quomodo?*

304 *Secundo Nomen delegati, cui committitur executio: Vicario Generali quomodo scribatur?*

Papa omnes tam Ecclesiasticos quam Laicos vocat filios, apud foeminas addit dilectae in Christo; *Episcopus vocat fratres. Ibid.*

Episcopi sunt successores Apostolorum. Ibid.

305 *Fit etiam expressio Dioecesis, et quomodo?*

306 *Tertio fit salutatio consueta.*

307 *Quarto ponitur nomen et cognomen Oratorum, ut eorum Dioecesis.*

308 *Et quando ob angustiam loci petitur Dispensatio etiam locus Oratorum.*

309 *Quinto refert Papa petitionem Oratorum utendo eorum verbis formalibus.*

310 *Sexto fit absolutio a censuris.*

311 *Quae certis quibusdam non suffragatur.*

312 *Servit tantum ad effectum Dispensationis.*

313 *Septimo mandat Executori, ut observatis certis clausulis dispenset.*

314 *Clausula* Discretioni tuae *quomodo intelligenda?*

Discretio est Mater omnium virtutum. Ibid.

315 *Clausula* mandamus *importat praeceptum.*

316 *Per clausulam,* quatenus deposita per te omni spe cujuscunque muneris, aut praemii etiam sponte oblati, *graviter prohibetur receptio cujusvis muneris, etiam esculentorum.*

In claris non admittitur interpretatio. Ibid.

317 *Solvitur objectio.*

318 *Neque sub praetexto laboris, taxae papyri, vel consuetudinis aliquid accipere potest Executor, et num. seq.*

319 *Contra praeceptum et obedientiam Superioris non datur praescriptio, nec quid valet consuetudo.*

320 *An? et quid ratione Executionis recipere possit Notarius?*

321 *Post executionem factam etiam Executor aliquid accipere potest.*

322 *Ad validam executionem requiritur praevia informatio, seu cognitio Executoris.*

323 *Clausula,* si preces veritate nitantur, *cuivis Rescripto Papae de Jure tacite inest. Non est eadem cum clausula:* si preces veritate niti repereris.

324 *Informatio praevia de veritate precum non fit judicialiter, sed extrajudicialiter et quomodo?*

325 *Delegatus Executor potest pro capienda informatione alios subdelegare: et habet amplam potestatem.*

326 *Si adest contradictor, debent ita in scriptis redigi.*

327 *Clausula* si preces veritate niti repereris, *quomodo intelligenda? remissive.*

328 *Clausula,* quod ipsi Nobiles, vel de Nobili genere creati, vel Illustres existant, *An? quando? et quomodo verificando? et tribus seqq.*

331 *Asserentes* se esse Nobiles, *quid debeant Oratores?*

332 *Et quid, si dicant se esse* de nobili genere procreatos, *et num. seq.*

334 Principales, vel ex principalioribus populi vel loci *quinam intelligantur?*

335 Ex honestis familiis, *quinam dicantur esse?*

336 Defectus dotis, *quomodo intelligendus remissive?*

337 Per Angustiam loci *intelligitur domicilium originis?*

338 Ætas mulieris, *unde probetur ?*

339 *Mulier tempore dispensationis debet habere 24. annum perfecte completum.*

340 Ab incestu tanto, et excessibus hujusmodi absolvas: *haec clausula quando fit ? potest haec absolutio fieri extra confessionem ?*

341 Imposita eis salutari poenitentia, *quomodo intelligenda, adimplenda ?*

342 In utroque foro absolvas: *quid importet ?*

343 Et quatenus causa etc. in judicium deducta fuerit, parito judicato, *importat conditionem, qua non observata invalida esset Dispensatio.*

344 *Etiamsi Oratores de parendo judicato cautionem praestarent*

345 *Hinc antequam dispensent Executores, debent se prius informare, an jam in aliquo foro sint delati; et judicato paruerint*

346 *Si dispensatur cum incestuosis an equidem in foro externo alieno deferantur, non amplius possunt puniri, utpote pro utroque foro jam absoluti*

347 *Incestuosi ante dispensationem debent jurare, quod absque spe facilius consequendi Dispensationem peccarint*

348 *Quid Juris, et consilii, si falso jurent ?*

349 *Non dicuntur peccasse sub spe facilius consequendi Dispensationem, qui simpliciter habentes spem Dispensationis peccant.*

350 Dictu mulier diffamata etc. remaneret, gravisque inde scandala possent verosimiliter exoriri: *Ad verificandam hanc clausulam sufficit probabilis timor scandalorum*

351 *Et ratione infamiae suspicio copulae.*

352 *Consanguinitatis gradus vel Affinitatis quomodo probentur ?*

353 Dispenses, vi hujus clausulae debet ipse Executor dispensare, et non potest subdelegare.
Nudum ministerium subdelegare non potest. Ibid.

354 *Quando Oratores inaequaliter distant, debet etiam propinquior gradus exprimi.*

355 Prolem susceptam, si qua sit, vel suscipiendam exinde, legitimam decernendo: *quomodo intelligendum ? usque ad finem*

356 *Proles illegitime nata ante Matrimonium per Dispensationem legitimatur tantum quoad effectus Ecclesiasticos.*

357 *Nata vero ex Matrimonio nulliter contracto legitimatur etiam quoad effectus temporales.*

358 *Dispensare in radice Matrimonii quid sit ? et num. praeced.*

359 *De praxi, qua Executor in acta litteras exequi, et dispensare potest, ac debet. et num. seq.*

361 *Si reperit litteras subreptitias, debet scribi pro novis litteris Perinde valere dictis.*
Perinde valere *quid ? Ibid*

362 *Formulae supplicationis pro litteris Perinde valere et duobus seqq.*

365 *Formula Executionis a Delegato facienda.*

291 Quaeritur I. Quomodo? et in qua forma ad praeviam Supplicationem Romae dentur, et expediantur pro foro externo Dispensatio, seu potius litterae Apostolicae pro Dispensatione super impedimentis Matrimonii ? Resp. I. Quamvis praefatae litterae communiter vocari soleant Dispensatio Pontificia, vel litterae Dispensationis Pontificiae, tamen veram Dispensationem actualem non continent; eo quod juxta modernum stylum non amplius concedantur, ut olim *in forma gratiosa* (qua Papa ipsemet acte dispensat) sed *in forma commissaria*, qua Papa alteri, praecipue vero Oratorum Ordinario mandat, ut litteras praefatas exequatur, et Auctoritate Apostolica secum dispenset, *si preces veritate nitantur*, et consequenter Oratores dignos repererit Dispensatione. Corrad. cum communi aliorum. Estque notorius stylus Curiae

Ut autem magis pateat, exhibentur hic per extensum formulae Litterarum Apostolicarum dispensationis pro foro externo super impedimentis Matrimonii.

Formula litterarum Apostolicarum super impedimento consanguinitatis in gradibus inaequalibus sine copula ob angustiam loci.

Urbanus Episcopus Servus servorum Dei. Dilecto filio Vicario Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Neapolitani in spiritualibus generali Salutem et Apostolicam benedictionem. Oblatae nobis nuper pro parte dilecti filii Stephani N. Laici, et dilectae in Christo filiae Catharinae N mulieris Neapolit. dioecesis ex loco de Resina ortorum petitionis series continebat Quod, cum dicta Catharina in d. loco propter illius angustiam, virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat. Cupiant Stephanus et Catharina praefati invicem matrimonialiter copulari; sed quia Tertio, et Quarto a communi stipite provenientibus, Consanguinitatis gradibus invicem sunt conjuncti, desiderium eorum hac in parte adimplere non possunt, absque sedis Apostolicae dispensatione. Quare iidem Stephanus, et Catharina, asserentes se ex dicto loco ortos existere, nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eis in praemissis de opportunae dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem Steph. et Catharinam, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, Censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, ac certam de praemissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni tuae, de qua in his specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus deposita per te omni spe cujuscunque muneris, aut praemii etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere debere monemus, te de praemissis diligenter informes, et si per informationem eandem preces veritate niti reperreris, super quo tuam conscientiam oneramus: tunc cum eisdem Stephano, et Catharina (dummodo illa propter hoc rapta non fuerit) quod impedimento Quarti consanguinitatis gradus hujusmodi, ac Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus matrimonium inter se publice, servata forma Concil. Trid. contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum remanere libere et licite valeant auctoritate nostra dispenses Distantiam vero Tertii gradus praefati eis non obstare declares. Prolem suscipiendam exinde legitimam nunciando Volumus autem, quod si spreta monitione nostra hujusmodi aliquid muneris, aut praemii occasione dictae dispensationis exigere, aut oblatum recipere praesumpseris: excommunicationis latae sententiae poenam incurras. Dat. Romae etc. 292

Formula litterarum Apostolicarum pro Dispensatione super impedimento Consanguinitatis in tertio grado aequali ob praecedentem copulam.

Alexander Episcopus Servus servorum Dei. Dilecto filio Vicario venerabilis fratri nostri Archiepiscopi Neapolitan in spiritualibus generali, salutem, et Apostolicam benedictionem. Oblatam nobis 293

nuper pro parte dilecti filii Laurentii N. Laici, et dilectae in Christo filiae Joannae N. mulieris Neapolitan. petitio continebat. Quod, ipsis alias scientibus se Tertio affinitatis gradu invicem attinere, Laurentius praefatus non quidem peccandi data opera, ut crimine admisso haec causa foret Nos, et sedem Apostolicam ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliores reddendi, sed solum vesana libidine victus, praedictam Joannam cognovit. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, nisi matrimonium inter dictos Laurentium et Joannam contrahatur, dicta Joanna diffamata, et inaupta remaneret, gravidque exinde scandalo possent verosimiliter exoriri. Cupiunt Laurentius et Joanna praedicti invicem matrimonialiter copulari; sed stantibus impedimentis hujusmodi, desiderium eorum in hac parte adimplere non possunt absque Sedis praedictae dispensatione: Quare Idem Laurentius et Joanna Nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eis in praemissis, de absolutionis beneficio, et opportunae dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui salutem quaerimus singulorum et scandalis quibuslibet, ne eveniant, quantum cum Deo possumus, libenter obviamus, eosdem Laurentium et Joannam, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium duntaxat, consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, ac certam de praemissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni tuae, de qua in his specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus deposita per te omni spe cujuscunque muneris, aut praemii etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere debere monemus, te de praemissis diligenter informes, et si per informationem eandem preces veritate niti repereris; super quo tuam conscientiam oneramus; tunc eosdem Laurentium et Joannam ab incestus reatu, et excessibus hujusmodi, imposita eis prius propter incestum hujusmodi, arbitrio tuo, poenitentia salutari, et recepto ab eis juramento, quod sub spe facilius habendae dispensationis hujusmodi incestum hunc non commiserint, hac vice duntaxat in forma Ecclesiae consueta in utroque foro, auctoritate nostra absolvas. Et quatenus contra ipsos causa super praemissis in judicium, quoquo modo inducta fuerit, parite judicato; ac cum eisdem Laurentio et Joanna, dummodo ipsa propter hoc rapta non fuerit, quod impedimento Tertii affinitatis gradus hujusmodi, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis nequaquam obstantibus, matrimonium inter se publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum remanere libere, et licite valeant, dicta auctoritate dispenses, Prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam, exinde legitimam decernendo. Volumus autem, quod, si spreta monitione nostra hujusmodi, aliquid muneris, aut praemii, occasione praemissorum exigere, aut oblatum recipere temere praesumpseris, excommunicationis latae sententiae poenam incurras Dat. Romae etc.

Formula Litterarum Apostolicarum pro dispensatione super impedimento Consanguinitatis in quarto gradu ob contractum jam bona fide Matrimonium.

294 *Alexander Episcopus Servus servorum Dei dilecto filio Vicario Venerab. fratris nostri Archiepiscopi Neapolitan. in spiritualibus generali Salutem, et Apostolicam benedictionem. Ex parte dilecti filii Joannis nati Salvatoris; et dilectae in Christo filiae Franciscae natae Laurentii mulieris Neapolitan. nobis oblata petitio continebat. Quod ipsi, alias ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quo minus possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium inter se, per verba de praesenti, publice factis proclamationibus in eorum Parochiali Ecclesia juxta formam Concilii Tridentini, nulloque detecto, neque denuntiatio impedimento contraxerunt; illudque in facie Ecclesiae solemnizarunt, ac carnali copula consummarunt. Postmodum vero ad eorum pervenit notitiam, eos Quarto Consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos; et nihilominus in eadem carnali copula perstiterunt. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, Joannes et Francisca praefati in hujusmodi matrimonio remanere non possint absque Sedis Apostolicae dispensatione; et si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possent verosimiliter exoriri. Quare iidem Joannes et Francisca nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eis in praemissis, de absolutionis beneficio, et opportunae dispensationis gratia providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui salutem quaerimus singulorum, et scandalis quibuslibet, ne eveniant, quantum cum Domino possumus, libenter obviamus, eosdem Joannem et Franciscam, ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis; si quibus quomodolibet innodati existent, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, ac certam de praemissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati Discretioni tuae, de qua in his specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus deposita per te omni spe cujuscunque muneris, aut praemii etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere debere monemus, de praemissis te diligenter informes, et si per informationem eandem preces veritate niti repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, tum Joannem et Franciscam praefatos ab incestus reatu, et excessibus hujusmodi, imposita prius eis propter incestum hujusmodi, arbitrio tuo, poenitentia salutari, hac vice duntaxat in forma Ecclesiae consueta, in utroque foro auctoritate nostra absolvas: et quatenus contra dictos Joannem et Franciscam causa super praemissis, in judicium quoquo modo deducta fuerit, parite judicato: ac cum ipsis Joanne et Francisca, dummodo ipsa propter hoc rapta non fuerit, et ignorantia hujusmodi probabilis extiterit, quod impedimento Quarti Consanguinitatis gradus hujusmodi, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis nequaquam obstantibus, matrimonium inter se de novo publice servata forma dicti Concilii contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum libere et licite remanere valeant, auctoritate nostra dispenses; Prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo. Volumus autem, quod, si spreta monitione nostra hujusmodi, aliquid muneris, aut praemii occasione praemissorum exigere, aut oblatum recipere temere praesumpseris, excommunicationis latae sententiae poenam incurras. Qua tamdiu innodatus existas, donec per satisfactionem condignam absolutionis beneficium a Sede Apostolica merueris obtinere. Dat. Romae etc..*

Quaeritur II. Quis sit Executor litterarum pro 295
Dispensatione Matrimoniali? quando? et quomodo

in Executione procedere? ac quid observare debeat? Resp. I. Executor legitimus est solus Ille, qui a Papa in praefatis litteris deputatur, seu cui Executio illarum demandatur. Solet autem demandari Oratorum Ordinario, vel ejus Vicario Generali conformiter Concil. Trident. *Sess.* 22. *de Reformat. Matrim. cap.* 5. Patetque ex notorio stylo. Plerumque autem committitur Vicario Generali Episcopi uti bene observat Corrad. *lib.* 7. *cap.* 4. *n.* 13. et testatur praxis quotidiana.

296 Notandum tamen cum Corrad. *loc. cit. num.* 12. quod, si Dispensationes committantur ultra Montes v. g. apud nos in Germania exequendae, Vicarii Generales in Bulla vocentur *Officiales*, fitque inscriptio ad ipsos taliter: *Dilecto Filio Officiali Frisingensi* v. g vel *Ratisbonensi*; ubi, uti vides, licet non exprimatur *Episcopus* dicendo, Officiali *Episcopi Frisingensis* (uti fit, si scribitur Vicario Generali ultra Montes non existenti; sicut constat ex formulis supra a *n.* 292. allegatis:) sed tantum Dioecesis, dicendo, *Officiali Frisingensi*, tamen semper intelligitur Officialis, seu Vicarius Generalis Episcopi, quia hi duo termini idem significant, et sunt synonimi *arg. Clem.* 2. et ibi Gloss. ℣. *Officialis de Rescript.*

297 Hinc Officialis Capituli, vel alius Officialis, qui non est Vicarius Generalis Episcopi, talem Bullam cum inscriptione *Officiali etc.* exequi non potest; quod si exequaretur, Dispensatio, et inde sequens Matrimonium forent nulla, uti decisum refert Corrad. *cit. lib.* 7. *cap.* 4. *n.* 13.

298 Caeterum licet par ratio sit, sive committatur executio Episcopo, sive Vicario Generali seu Officiali, tamen si uni v. g. Vicario Generali committitur, non potest alter v. g. Episcopus exequi. Sperell. *Decis.* 97. *n.* 107. *et* 110. Decius *in c. Quoniam de Off. Delegat.* et ibi Abb. *nu.* 15. Ratio est; quia Dispensatio seu potestas dispensandi specialiter delegata, est strictae interpretationis per saepe dicta, potest tamen Episcopus Executor deputatus subdelegare Vicarium Generalem, vel alterum saltem ad capiendas informationes, sicut etiam Vicarius Executor deputatus potest delegare alterum. Ratio est; quia Delegatus Principis potest subdelegare alterum ad capiendas dictas informationes, non item ad dispensandum; vel absolvendum, prout magis infra *n.* 353.

299 Resp. II. Executor quicumque deputetur, nullam habet jurisdictionem, nec potest litteras exequi, consequenter neque dare Oratoribus potestatem contrahendi; antequam litterae Apostolicae in Originali praesentetur eidem; etsi aliunde jam sciat, illas fuisse concessas. Justis *de Dispensat. lib.* 1. *cap.* 6. *nu.* 2. Sperell. *Decis.* 85. *nu.* 31. Garcias *de Benef. p* 6. *cap.* 2. *nu.* 8. *arg c. super eo.* Tosch. *Litt. I. conclus.* 435. *num.* 1. et alii communiter *arg c. super eo.* 12. *de Appellat. ibi. tunc incipit currere, cum Judices contigerit litteras recepisse:* junct. *c. Pastoralis.* 14. *de Rescript.*

300 Hinc nullum est Matrimonium, quod Oratores contrahunt ex eo, quia sciunt Litterae Dispensationis Romae jam esse expeditas, vel eas jam existere in suis manibus, etiamsi e Deputato Executore ad id licentiam haberent; nisi prius dicto Executori praesententur, et ab eo videantur; prout ex declaratione Cardinalium bene observat Corrad. *Lib.* 8. *cap.* 2. *nu.* 44. Justis *loc. cit. nu.* 12. Imo in tali casu agent nulliter contrahentes novis Dispensationis litteris Romae obtinendis vigore citatae Declarationis Cardinalium, et Concil. Tridentin. *Sess.* 24. *de Reform. cap.* 5. ubi Dispensationes etiam in forma gratiosa carere dicuntur effectu, nisi prius ab Ordinario cognoscantur.

Pariter etiam novis litteris Apostolicis indigent, si obtentis, sed executioni nondum mandatis litteris Apostolicis Oratores non contrahunt quidem, sed tamen carnaliter invicem se cognoscunt, prout ex simili Declaratione Cardinalium observat Corrad. *loc. cit.*

Resp. III. Praesentatis sibi litteris in Originali, 301
debet executor ante omnia diligenter considerare, et videre, an sint conformes consueto stylo Curiae, et an solitas, vel insolitas habeant clausulas. Si enim litterae stylo Curiae non sunt conformes, aut insolitas continent clausulas, suspectae sunt de fraude et dolo, consequenter executioni mandari non debent. Barb. *lib.* 2. *Vot. canon. vota* 17. *nu.* 151. Justis *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 13. Gonzalez *ad Regul. Cancell.* 8. *Gloss.* 46. *num.* 86. Menoch. *de Praesumpt. lib.* 5. *praesumpt.* 3. *num* 103. textu expresso *c. quam gravi.* 6. *de crimine Falsi.* ubi tanquam falsae rejiciuntur litterae ex eo, quod in eis contra stylum Episcopus vocetur *Filius*, et inferior Frater: additur ad finem. *propter quod sic litteras Apostolicas studeas intueri tam in Bulla,* (id est, sigillo et plumbo pendente) *filo et charta, quam in stylo, quod veras pro falsis, et falsas pro veris non admittas.* Si vero juxta stylum solitum, solitoque plumbo, et cordulis munitae existunt, poterit servatis servandis, praecipue illis, quae in Bulla praescripta sunt, ad executionem procedere. Justis *loc. cit. nu.* 14. Paris. *de Resignat. lib.* 8. *q.* 2. *nu.* 18. *arg. cit. c. quam gravi.*

Quaeritur III. Quisnam sit stylus litterarum Apo- 302
stolicarum pro Dispensatione Matrimoniali? Et quas clausulas in eis potissimum observare debeat Executor? Resp. I. stylum pro foro externo esse illum, quem exhibent formulae a *n.* 92. adductae, qui cum clausulis ibidem contentis observari debet. Ut autem compendiosa habeatur de illis notitia, praefatarum formularum stylus una cum clausulis earum breviter hic discutitur.

Primo: Ponitur Nomen Pontificis taliter: v. g. 303
Episcopus servus servorum Dei: quod semper observatur, quando litterae expediuntur per Datariam vel Cancellariam: quando vero expediuntur per modum Brevis in Secretaria Apostolica super gradibus propinquioribus juxta dicta *nu.* 232. brevius proponitur Titulus taliter *Urbanus Papa VIII.* Justis *lib.* 1. *cap.* 6. *nu.* 47. citans Maudos. Regul. 42. *q.* 11. *n.* 1.

Secundo: ponitur Nomen Delegati: Et quidem 304
Vicario Generali, qui ultra montes non est, sic inscribitur: *dilecto filio Vicario Generali Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Neapolitani in spiritualibus Generali*: si vero ultra montes existit, fit taliter. *Dilecto filio Officiali Frisingensi*: ubi nota, quod Papa omnes Christianos tam Clericos, quam Laicos (*exceptis Episcopis*) vocet filios. Justis *loc. cit. cap.* 6. *num.* 75. *arg. c. quam gravi.* 6. *de crimine falsi*; hac tamen cum distinctione, quod, si ad foeminas Rescriptum est, addat: *dilectae nobis in Christo filiae. c. Dilecto.* 14. *de Excess. Praelat.* Episcopos vero vocat *Fratres*, quasi sibi aequales, *cit. c. quam gravi.* 6. *de Crimine Falsi*; quia ipsi quoque sunt successores Apostolorum, *can. In novo* 2. *dist.* 21. ibi: *ipsis decedentibus in locum eorum successerunt Episcopi.*

Exprimitur autem specialiter Dioecesis per illa 305
verba v. g. Vicario Archiepiscopi *Neapolitani*, vel Officiali *Frisingensi*, per quam Papa semper intelligit Dioecesin Oratorum; unde si circa hoc error est, litterae executioni mandari non possunt juxta dicta *n.* 213.

Tertio: sequitur salutatio consueta, videlicet *sa-* 306
lutem, et Apostolicam benedictionem.

307 Quarto: sequitur nomen et cognomen Oratorum cum expressione Dioecesis, in qua sunt, quod necessarium est juxta dicta *n.* 205.

308 Quod si ob Angustiam loci petitur Dispensatio, additur etiam locus Oratorum juxta dicta *supra.* Regulariter autem intelligitur et attenditur locus Originis, non domicilii, etsi quis longissimo tempore in tali loco existeret. Justis *lib.* 1. *cap.* 6. *a nu.* 127. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 5. *a nu.* 30. Hinc, si error sit circa nomen talis loci, Dispensatio est subreptitia, juxta dicta *n.* 214. cum sit error circa causam finalem seu motivam, DD. citati. Caeterum in aliis Dispensationibus non apponitur locus Oratorum, sed tantum Dioecesis.

309 Quinto: ponit et narrat Papa preces Oratorum una cum impedimento et causa dispensandi, prout ab Oratoribus fuere propositae, idque sequenti modo (quo etiam nomina et Dioecesin Oratorum exprimit) referre incipit: *oblato nobis nuper pro parte dilecti Filii Francisci N. Laici, et Clarae N. Mulieris Neapolitanae Dioecesis Oratorum, petitionis series continebat quod etc.* adducit deio Oratorum verba formalia, quibus causam dispensandi, impedimentum obstans, desiderium nubendi, et petitionem Dispensationis exprimebant.

310 Sexto: absolvit Oratores a censuris, et aliis poenis Ecclesiasticis in ordine ad assequendum Dispensationis effectum, quia casu, quo irretiti essent excommunicatione v. g. gratiae non essent capaces, cum gratia per excommunicatum obtenta non valeat *c.* 1. *de Rescript. in* 6. solet autem praefata absolutio fieri sequentibus verbis: *Nos igitur eosdem Franciscum et Claram, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, et poenis a Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum duntaxat praesentium consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, etc.*

311 Notandum vero, quod, etsi valde generalis et favorabilis sit haec absolutio, tamen nullatenos suffragetur *non parentibus rei judicatae, Incendiariis, Violatoribus Ecclesiarum, falsificari procurantibus litteras, et supplicationes Apostolicas, et illis utentibus, receptatoribus, et fautoribus eorum, ac res vetitas ad Infideles deferentibus, Violatoribus Ecclesiasticae libertatis, via facti ausu temerario Apostolicis mandatis non obtemperantibus, et Nuncios, vel Executores Apostolicae Sedis, et ejus Officiales, ejus commissa exequentes impedientibus, qui propter praemissa, vel aliquod eorum excommunicati a Jure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam hujusmodi sustinuerint. Et generaliter quibuscunque aliis, qui censuris aliquibus etiam alias, quam ut praefertur, quomodolibet ligati in illis per annum continuum insorduerint.* Ita expresse disponit 66. *Regula Cancellariae*, quam una cum aliis habes *Lib. III. Tit. V. §. XVI.*

312 Notandum ulterius, quod supra dicta absolutio praecise serviat ad consequendum Dispensationis effectum, et ad nullum alium. Hinc ante et post illam subjacet dispensatus iisdem censuris, et poenis effectibusque illorum quo ad alia Barbos. *de clausul. claus.* 179. *num.* 6. Justis *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 211. et alii communiter, patetque ex ipso tenore absolutionis, ibi: *ad effectum duntaxat praesentium consequendam.*

313 Septimo: se facti notitia carere asserens Papa committit Discretioni Executoris Delegati negotium, eique mandat, servatis et observatis certis clausulis ibidem expressis dispensat cum Oratoribus. De quibus clausulis subsequentar. Pergit itaque post absolutionem factam

Ac certam de praemissis notitiam non habentes Discretioni tuae, de qua in his specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus etc. 314

Ubi per clausulam *Discretioni tuae* non intelligitur liberum, sed prudentiale, et regulatum judicium, quo et juxta praescripta procedere, et simul attendere debet, an non ex Dispensatione scandala, vel alia gravia mala oriantur; in tali enim casu dispensationem denegare deberet, exigente id discretione, *quae est mater omnium virtutum, Clem.* 2. *de sent. et re judicat. et can. Praesentium, cau.* 1. *q* 5. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 6. *n.* 1. Si Episcopo ipsi committitur executio, loco verborum *discretioni tuae*, utitur Papa verbis *Fraternitati tuae.* 315

Mandamus haec clausula importat verum praeceptum dispensandi, et observandi clausulas sequentes, ac non nisi eisdem observatis et verificatis dispensandi, videlicet. 316

Quatenus deposita per te omni spe cujuscunque muneris, aut praemii, etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere monemus etc. quae verba, licet consilium importare videantur, ob terminum *monemus*, tamen ex antecedentibus, et subsequentibus, aperte constat, illis inovi grave, et quidem sub mortali obligans praeceptum; eo quod cujusvis muneris receptio, sub excommunicatione latae sententiae (quae non nisi ob peccatum mortale infligitur) subsequenter in quibusvis hujusmodi Dispensationis litteris Apostolicis expresse prohibeatur illis verbis *Volumus autem, quod si spreta monitione nostra hujusmodi, aliquid muneris, aut praemii occasione praemissorum exigere, aut oblatum recipere temere praesumpseris, excommunicationis latae sententiae poenam incurras.* Quae verba etiam de esculentis et poculentis, quae paucis diebus consumi possunt, intelligenda sunt. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 15. Justis *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 241. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 35. *num.* 12. Ratio est; Tum quia prohibitio Papae est universalissima, ibi: *Cujuscunque et si aliquid*, quibus verbis omnia comprehenduntur *arg. l. quacunque ratione ff. de Procurat.* etiam modica, ut bene advertit Barb. *de Axiom. Axiom.* 131. *nu.* 70. Tum quia *verba generalia generaliter sunt intelligenda c. quia circa de privileg.* Nec datur in hoc interpretatio, cum verba sint clara; in claris enim non admittitur interpretatio *arg. l. Illa, aut illa* 25. *ff. de Legat.* 3. *cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quaestio.* 317

Neque aliquid in contrarium evincit *c. statutum §. insuper. de Rescript. in* 6. ubi sub prohibitione receptionis munerum, esculenta et poculenta excepta dicuntur; quia ibi est sermo de Delegato ad lites, cujus commissio, cum ordinarie diu duret, et magni existat laboris, stipendio aliquo digna videtur: quae ratio non militat in casu, eo quod sit brevissimi laboris. 318

Hinc neque sub praetextu laboris in stopendo processui, examinandis testibus, capienda informatione etc. neque ratione sigilli, papyri, expeditionis, aut taxae Delegatus aliquid accipere potest, prout expresse declaravit S. Congregatio apud Corrad. *cit. lib.* 7. *cap* 6. *num.* 14. Justis *loc. cit. nu.* 143. Dian. *p.* 5. *Tract.* 13. *Resolut.* 71. Et merito, cum labor juxta dicta sit modicus, et si in loco distanti informatio esset capienda, possit executor eam delegare aliis, qui eidem parere tenentur. Justis *loc. cit.* *n.* 144. 319

Nec aliquid in contrarium valet consuetudo alicubi vigens. licet enim haec legitime introducta deroget legi *c. fin. de consuet.* non tamen quidquam valet contra Superioris praeceptum recenter positum) alias enim subditus consuetudine posset prae- 320

scribere contra obedientiam Superiori praestandam, quod omnes negant *arg. c. Cum non liceat. 12. de Praescript.*) consequenter cum in quibusvis Dispensationis matrimonialis litteris Papa de novo, et expresse praecipiat, ne quidquam accipiatur, penitus nil valet contra hoc praeceptum consuetudo etiam immemorabilis.

321 Notandum tamen, licitum esse Notario aliquid pro examinandis testibus, et aliis informationibus accipere, quartam nempe partem aurei; prout expresse habet S. Congregationis declaratio apud Corrad. illis verbis: *Gratis adeo dispensationes matrimoniales concedendae sunt, quod etiam Ordinarii, quibus istae dispensationes committuntur, suum Officium gratis praestent, ita ut nec ipse Vicarius aliquid suscipiat pro mercede. Notarius vero pro examinandis testibus, et sumendo caeteras informationes quartam partem aurei, seu ducati accipere possit.* Ratio est; quia praeceptum litteris Dispensationis insertum, solum Executorem, non item Notarium, vel alios afficit: ob quam rationem putamus, Notarium, et alios expeditionis Officiales etiam plus, quam quartam partem aurei accipere posse, si major taxa rationabili consuetudine introducta est; dummodo de hoc nil participet Vicarius Generalis, vel alius Executor; quia huic, non autem illis semper obstat recens praeceptum superioris.

322 Haec autem intellige ante factam dispensationem; quia postquam Dispensatio executioni jam demandata est, etiam Executor aliquid gratis oblatum accipere, (minime vero aliquid praetendere) potest. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 35. *num.* 14. Justis *lib.* 1. *cap.* 6. *nu.* 245. et alii; eo quod tunc jam cesset ratio prohibitionis, quae est, ne Judex muneribus excaecatus injque disponeret.

323 *Te de praemissis diligenter informes. et, si preces veritate niti repereris, tunc et dispenses.* Haec clausula conditionem importat, et est de forma, adeo ut invalide dispenset Executor, si prius se non informet, et reperiat, vel cognoscat preces veritate niti, etsi a parte rei preces veritate omnino nitantur. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 26. Justis *lib.* 1. *cap.* 6. *a n.* 246. Gutierrez *can. qq. lib.* 2. *cap.* 15. *nu.* 112. Garcias *de Benef. p.* 6 *cap.* 2. *nu.* 265. Filliuc. *Tom.* 1. *Tract.* 10. *p.* 2. *cap.* 10. *nu.* 334. cum communi, et saepius decidit Rota. Ratio est; quia non servata conditione et forma praescripta semper corruit, et nullus est actus. *arg. c. cum dilecta.* 22. *de Rescript.* et amplius dictum est *Lib. I. Tit III. de Rescript.* §. *VII. a n.* 144.

324 Dices: clausula, *si preces veritate nitantur*, cuivis dispensationi tacite inest de Jure, etsi non exprimantur *c.* 2. *de Rescript.* ibi: *in Ejusdem litteris intelligenda est haec clausula, si preces veritate nitantur, etsi non apponatur*; atqui expressio illius, quod de Jure tacite inest, nec formam, nec conditionem importat, ut late probat Sanchez *lib.* 3. *disp.* 33. *num.* 3. ergo. Resp. concesso antecedenti, negando suppositum vel potius paritatem inter clausulam, *si ita est*, vel *si preces veritate nitantur*; et inter clausulam *si preces veritate niti repereris*; quia prior quidem, sed non posterior inest de Jure. Unde conceditur, subsistere executionem habentem tacite vel expresse hanc solummodo clausulam, *si res ita est*, vel *si preces veritate nitantur*, dummodo res a parte rei ita se habeat, etsi illud Executor ignoret, vel non cognoverit, vel non satis sciat; negatur tamen, ita pariter procedere, quando adest clausula, *si preces veritate niti repereris*: quia haec expresse importat conditionem cognitionis praeviae. Ubi autem requiritur praevia cognitio, non sufficit rem ita se habere, ut asseritur, nisi etiam cognoscatur. *arg. l. Eum, qui duobus.* 51. §. 1. *ff. de Acquir. haeredit.*

Pro verificatione tamen precum non requiritur informatio, et cognitio Judicialis, sed sufficit extrajudicialis, sine ordine, et forma judicii, et per testes non juratos habita. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 35. *numer.* 15. Mascard. *de Probat. conclus.* 1362. *num.* 16. Justis *lib.* 1. *cap.* 6. *numer.* 262. Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancell.* §. 19. *et* 20. cum communi; *arg. Concil. Trident. Sess.* 22. *de Reform. cap.* 5. ibi: *summarie tantum, et extrajudicialiter* Ratio est; quia praevia cognitio, et informatio de veritate precum committitur conscientiae et prudentiae Executoris, ut liquet ex appositis verbis; *Super quo conscientiam tuam oneramus*; quoties autem aliquid conscientiae, et prudentiali judicio alicujus committitur, judicialis cognitio non est necessaria. Justis *loc. cit. num.* 308. Sperell. *Decis.* 109 *numer.* 48. et alii post Gloss. *in c. statutum* 11. §. *Relinquatur de Rescript. in* 6. Debet tamen attendere Delegatus, ne soli Oratorum asserto credat, sed accipiat testes fide dignos, et saltem ita se informet, ut prudenter credere possit, rem ita se habere. Justis *loc. cit. numer.* 263. *et* 268. quia id ad minimum requirere videtur clausula *Diligenter te informes.* 325

Pro capienda necessaria informatione potest Executor ex Officio alios subdelegare, et illos ad id per censuras adigere *c. Pastoralis. de Officio delegat.* potest insuper testes quoslibet citare, et censuris compellere juxta communem. Ratio est; quia Delegatus in causa delegata gerit vices Papae: estque omnibus superior, et concessa sibi jurisdictione censentur ei cum illa etiam concessa omnia ea, sine quibus illam cum effectu exercere non potest. *arg. c. Praeterea de Off. delegat.* 326

Porro etsi juxta dicta sufficiat extrajudicialis cognitio, tamen, si aliquis adesset contradictor, deberet citari pars, et acta in scriptis redigi. Garcias *cit. p.* 6. *cap.* 2. *n.* 247. Justis *loc. cit. n.* 267. 327

Si preces veritate niti repereris: quamvis intelligentia hujus clausulae a potiori jam pateat ex dictis *a num.* 322. tamen circa eam adhuc examinandum videtur, de quibusnam Executor necessario se informare, et cognoscere debeat, quod preces veritate nitantur. Ad quod respondetur, Executorem non de omnium, sed tantum de illorum veritate necessario se informare, et cognoscere debere, quorum falsa vel erronea expressio vitiat, et annullat Rescriptum, quaenam autem sint illa, abunde habes supra §. *V.* ubi in specie dictum, falsitatem, vel errorem circa nomen vel Dioecesin Oratorum, item errorem circa causam finalem seu motivam, item errorem circa impedimentum vel gradum vitiare Rescriptum. Ibidem etiam *a n.* 217. habes, quo tempore verificari debeant causae. 328

Caeterum qualiter verificari debeant, et satis verificatae censeantur, vide de quavis causa supra §. III. et etiam dicta *num.* 324. quibus adde, quod subinde pro causa etiam allegetur qualitas Oratorum v. g. *Quod ipsi nobiles, vel nobili genere procreati, vel illustres, aut de illustri familia existant.* Circa quas clausulas notandum, quod, si apponantur una cum causa illa generali: *ex certis et rationabilibus causis*, non sit necesse, ut de illis se informet Executor, vel ut verificentur, sed potest exequi litteras, etsi sciat, illam esse falsam juxta dicta *supra*. Ratio est; quia tunc non allegata nobilitas, sed major taxa est causa finalis. Justis Corrad. et Sanch. ubi infra *n. seqq.* 329

Si vero una cum alia causa apponitur, tunc videndum est, an apponatur tanquam causa finalis ad evitandam clausulam *etsi extra*, vel ad obtinendam dispensationem in propinquiori gradu, in quo ob allegatam causam alias cum ignobilibus non dispensaretur, 330

tunc enim probari, et verificari debet. Corrad. *Lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 15. *et seqq.* Sanchez *Lib.* 8. *disp.* 35 *nu.* 25. Justis *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 117. Ratio patet ex dictis.

331 Ad cognoscendum autem, utrum ex causa finali apponatur vel non, intelligendum est ex relatione Papae; si enim hic in suis litteris ponit, *ut asseris*, vel *asserentes*, vel *sicut asserunt*, vel *ut ab ipsis asseritur*, videlicet eos esse nobiles, censetur allegata nobilitas tanquam causa finalis, et est probanda. Corrad. *Lib.* 7 *cap.* 2. *nu.* 115. Justis *Lib.* 3. *cap.* 2. *n.* *n.* 118. Barbos. *de clausulis. clausul.* 116. *nu.* 1. Sanchez *Lib.* 8. *disp.* 35. *num.* 25. *arg. l. omnes.* 2. *C. de His, qui veniam aetat.* Si vero statim ab initio ponit, *ut asseritur*, non addendo, quod ab Oratoribus asseratur, censetur narrata non ab Oratoribus, sed ab aliis *poni*, et consequenter verificari necessario non debet. Justis *loc. cit. nu.* 121. Barbos. *loc. cit. clausul.* 188. *num.* 3. Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancell* Gloss. 32. *nu.* 12. et saepius Rota apud Justis *arg. Authent. si quando de constit. pecunia.*

332 Porro Nobilitas pro verificatione et probatione (quando est necessaria) rursus attendi debet, quomodo in litteris Dispensationis referatur: si enim Oratores simpliciter asseruerunt, *se esse nobiles*, tunc non requiritur, ut probent, se esse ex nobili stemmate natos, sed sufficit probare, ille nobiliter vivere, ac propterea abstinere ab his, quae populares facere solent. Corrad. *loc cit. nu.* 119. Justis *loc. cit. nu.* 123. quales sunt etiam Doctores; cum doctoratus nobilitati aequiparetur; item illi, qui Officia, vel dignitates exercent, quae alias Nobilibus conferri solent. Justis *loc. cit. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 131. Et multo magis illi, qui ex recenti privilegio, aut gratia Principis nobiles existunt. Justis *loc. cit. nu.* 132. quia absolute ac simpliciter loquendo revera pro tunc nobiles sunt.

333 Si autem allegant, *se esse ex nobili genere vel stemmate procreatos*, debet probari, quod etiam majores, vel saltem parentes fuerint Nobiles. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 2. nu. 119. Justis *loc. cit. nu.* 137. quia plus dicit esse *de nobili genere*, quam esse nobilem. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 19. *num.* 6. requiritur autem et sufficit probare nobilitatem patris. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 19 *nu.* 6. Justis *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 141 allegans Rotam. Ratio est; quia filios sequitur conditionem patris non matris, *per vulgaria.*

334 Caeterum probatio fieri potest, et debet vel per testes, vel instrumenta, vel communem famam vel aestimationem hominum attestantium, eos nobiliter vivere etc. vel se cognovisse Majores, vel parentes eorum, qui nobiliter vivebant, pro Nobilibus habebantur, vel Officia et dignitates Nobilibus conferri solitas possidebant. Justis *loc. cit. n.* 137. Corrad. *loc. cit. n.* 119.

335 *Principales, vel ex Principalibus populi vel loci alicujus* se esse, si pro causa allegant Oratores, sufficit probare eos esse viros valde divites, vel ibidem potentes. Sanchez *cit. Disp.* 19. *nu.* 6. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 121. Justis *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 142. allegantes praxin, et stylum, qui stat loco Legis: quae probatio omnino non requiritur, si allegatur pro dispensatione generali causa dicta *Ex certis et rationabilibus causis*; sicut supra *a nu.* 328. dictum est de Nobilibus.

336 *Ex honestis familiis* sese, si asserunt, et pro causa allegant Oratores, sufficit probare, eos honeste vivere, et familiam eorum nulla turpitudinis nota laborare. Corrad. *loc. cit. n.* 118. Justis *loc. cit. num.* 143.

337 Dotis defectus pro causa si allegatur, debet praeter dicta *n.* 81. advertere Executor, quod litteras Dispensationis exequi, seu dispensare actu non possit, nisi prius Instrumento publico assecuretur, quod dos competenter aucta, vel ex integro data et assignata sit, casu, quo in supplicatione allegatum habetur, quod incompetentem dotem mulieris augere, vel indotatam ex integro dotare intentio sit. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 37. quia apponitur expressa clausula, *et postquam dictae Oratricis dos competenter aucta fuerit etc. ut praefertur.*

Angustiam loci pro causa dum allegant, praeter 338
dicta supra *a. num.* 76. observandum, quod intelligatur, et probari debeat Angustia loci, seu domicilii originis non habitationis, nisi Pontifex aliud in litteris exprimat. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 41. Barbos. *de Offi. et potest. Episc. Allegat.* 4. *num.* 8. Justis *de Dispens. lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 2. docente id stylo et praxi.

Ætas mulieris pro causa si allegatur, probari po- 339
test vel ex libro Baptismali, vel per testimonium Parochi ex illo desumptum. Communis. Ratio est; quia libri Baptismales Parochorum plene probant juxta dicta *Lib. II. Tit. XXII. de Fide Instrument. num.* 127. In horum defectu eadem aetas probari etiam ad propositum poterit per parentes, fratres, aut sorores, uti merito docet Alexand. de Nevo *Consil.* 1. *num.* 11. contradicente Justis *lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 15. Ratio est; quia juxta dicta non requiritur probatio Judicialis, et de rigore Juris exacta aut perfecta, sed sufficit extrajudicialis, arbitrio judicis, cujus conscientiae, et discretioni relinquitur; prout patet in aliis dispensandi causis.

Illud tamen notandum, quod annus 24. debeat 340
esse perfecte completus, adeo ut si unicum diem deesse constaret, Dispensatio valida fieri non posset. Garcias *de Benefic. p.* 6. *cap.* 2. *numer.* 85. Justis *loc. cit. num.* 16 Paris. *de Resign. lib.* 4. *q.* 2. *num.* 17. Ratio est: Tum quia Dispensatio est odiosa, et strictae interpretationis juxta saepius dicta: Tum quia, quando lex vel Legislator certi anni meminit, intelligit completum. DD. citati. *arg. l. qua aetate. ff. de Testament.* Addit Justis *loc. cit.* nec sufficere, etsi mulier tempore executionis requisitam aetatem compleat; contrarium tamen supra *n.* 221. probavimus. Ex quo infertur, quod si aliquot dies, vel septimanae, aut etiam mensis deessent Oratrici tempore, quo litterae Dispensationis Roma adveniunt, possit vel Oratrix praesentationem illarum, vel Executor praesentatarum executionem differre per dicta *a n.* 221.

Ab incestus reatu et excessibus hujusmodi etc. ab- 341
solva pro utroque foro: haec clausula semper inseritur, quando ad praecedentem copulam incestuosam, vel jam contractum Matrimonium cum consanguinea, vel Affine fit Dispensatio; uti patet ex copia *num.* 293. *et* 294. allegata. Circa quam clausulam notandum, ad hanc absolutionem non esse necessarium, ut fiat Confessio Sacramentalis, sed posse a Judice Delegato fieri extra confessionem, etiam quoad forum internum, seu conscientiae, ita ut dein taliter absolutus tam in foro externo, quam interno sit immunis a poenis, v. g. excommunicatione, et aliis, quas ob incestum incurrebat. Justis *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 201. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 34. *num.* 29. et alii.

Imposita eis etc. salutari poenitentia: Etiam haec 342
clausula in casibus praecedentis numeri semper apponitur; quae tamen conditionem non importat, nec de forma esse censetur, quia de Jure inest, ut occasione absolutionis imponatur poenitentia. Sanchez *loc. cit. numer.* 29. Justis *loc. cit. numer.* 109. ut proin Dispensatio valida esset, quamvis poenitentia non fuisset injuncta. Aliud est de poenitentia publica injungenda, quando dispensatur in forma pauperum juxta dicenda infra, vel poenitentia specifica

determinetur, ui in litteris Poenitentiariae specificetur confessio *ad minimum per sex menses* juxta dicenda infra. Debet tamen etiam illam ex praecepto imponere Executor, cum ita mandet in litteris Pontifex; Quia vero nulla ibidem certa praescribitur poenitentia, relinquitur arbitrio Judicis imponende pro diversitate delicti, personarum, circumstantiarum, et tempore *can. Tempora.* 2. *cau.* 27. *q.* 7. *et can.* 1. *de Poenit. distinct.* 5. Nec tamen est necesse, ut publica poenitentia imponatur Oratoribus, etsi delictum eorum sit publicum, quia, si id vellet Papa, exprimeret, prout clare exprimit, si dispensat *in forma pauperum* juxta formulam infra *num.* 401. allegandam, ibi expresse mandat Executori *publicam poenitentiam imponas*, dum econtra in forma Dispensationis ordinariae tantum praecipit, *ut imposita salutari poenitentia* absolvat. Ratio diversitatis esse potest, quod taxa pecuniaria a dispensatis in forma ordinaria solvenda, vices quodammodo suppleat poenae publicae ob delictum publicum debitae.

342 *In utroque foro etc. absolvas*: vi cujus clausulae potest, et debet Executor Oratores a poenis in utroque foro, id est tam interno quam externo: tam Ecclesiastico quam civili absolvere: dummodo in foro aliquo externo nondum sint delati juxta dicenda infra *num.* 346. vel, si delati jam sint, dummodo sententiae contra se latae aut ferendae prius paruerint seu satisfecerint juxta dicenda *num.* statim *seqq.* Et quamvis Corrad. *lib.* 8. *cap.* 1. *nu.* 19. ex plurium Dioecesium consuetudine doceat, Executorem delegatum posse alteri subdelegare potestatem absolvendi Oratores ab incestu et poenis illius; tamen securius est, si ipsemet Absolutionem praestet; eo quod plures ut Maranta *in specul. Aureo p.* 4. *dist.* 5. *num.* 67. doceant, hujusmodi subdelegationem fieri non posse, *arg. c. fin. de Off. delegat.* et per ratione infra *a nu.* 353. allegandas. Accedit, quod, cum haec absolutio extra Sacramentum poenitentiae fieri valeat juxta dicta supra *nu.* 340. nullam prorsus in absolvendo difficultatem vel laborem habeat Executor.

343 *Et quatenus causa contra ipsos super praemissis in judicium quoquomodo deducta fuerit, parito judicato*: haec quoque clausula in casibus *numer.* 340. allegatis semper apponitur, eaque de forma, et conditionem importat, ita ut dispensatio sit invalide, nisi prius actu, et in effectu paruerint Oratores sententiae contra se latae vel ferendae, casu, quo ante dispensationem propter incestum, vel male contractum Matrimonium in foro aliquo externo jam fuissent delati, vel accusati. Corrad *lib.* 8. *cap.* 6. *a num.* 25. Justis *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 227. Barbos. *de claus. clause.* 97. *num.* 4. et saepius decidit Rota apud Justis et Corrad. Ratio est; quia, cum verba illa sint posita in ablativo, conditionem important *l. A testatore. ff. de condit. et Demonstrat.*

344 Nec sufficit ad valide dispensandum, si Oratores interea cautionem praestent de parendo judicato in illo foro, in quo jam fuere delati, vel accusati. Corrad. *loc. cit. num.* 25. Justis *loc. cit. numer.* 229. Genuens *in praxi Curiae Archiepisc. Neapolit.* idque ob rationem jam dictam; quia nempe clausula *parito judicato* conditionem importat, sub qua datur jurisdictio dispensandi, et consequenter qua non observata Jurisdictio nulla est; nec potest per aequivalens adimpleri. *arg. l. Qui haeredit.* §. *Maevius. ff. de condition. et Demonstrat.* Surd. *consil.* 186. *num.* 19.

345 Hinc in praxi bene notare, et observare debent Executores, ut, antequam cum incestuosis dispensent, seu litteras dispensationis exequantur, diligenter se informent, et interrogent Oratores, an non ambo, vel saltem aliquis eorum jam sit delatus vel accusatus in aliquo foro externo: si enim vel unus eorum jam delatus existit, nec valide, nec licite exequi vel dispensare potest, sed debet differre dispensationem, donec Oratores sufficientem attestationem afferant, quod in foro, ubi delati prius erant, paritionem plenam praestiterint, seu sententiae et poenis ibidem contra se latis, aut ferendis paruerint, aut satisfecerint. Expedit etiam Oratores edocere, Dispensationem fore nullam, si in aliquo foro jam essent delati, et ipsi hoc iniqua negarent, vel se ibi jam paruisse, vel satisfecisse falso assererent.

Caeterum si Oratores revera in nullo adhuc foro 346
essent delati, crimine incestus forsan adhuc existente occulto, posset omnino, ac etiam deberet Delegatus illos pro utroque foro tam e crimine incestus, et excessibus, quam etiam e poenis absolvere, et dein cum ita absolutis dispensare.

Et haec absolutio per Delegatum Nomine Pontificis facta suffragaretur dein Oratoribus in utroque foro tam Ecclesiastico, quam saeculari, adeo, ut nullus Judex saecularis propter incestum illos amplius punire, aut ullo modo vexare valeat. Justis *Lib.* 1. *cap.* 7. *a num.* 203. *usque ad numer.* 207. item *numer.* 230. et *Lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 26. citans Bartol. *de saxo ferrato inter Consilia Matrim.* Zilet *Volum.* 1. *consil.* 88. *n.* 12. Genuens. *Practic. Fori Ecclesiastici q.* 703. *num.* 1. ubi asserit, sic etiam fuisse judicatum in Lusitania. Ratio est; quia in criminibus mixti fori, quale crimen etiam est incestus, Reus absolutus e crimine per unum Judicem, ab alio de eodem crimine amplius judicari, et puniri non potest, *arg.* c. 6. *de Accusat.* et ibi Gloss. ac communis DD. juncto c. 2. *de Except. in* 6. Concordant Leges Civiles *ut L. Praevaricationis.* 3. §. 1. *ff. de Praevaricat. l. si cui crimen.* 7. §. 2. *ff. de Accusationib.* ibi: *iisdem criminibus, quibus quis liberatus est, non debet Praeses pati eundem accusari. l. senatus* 14 *ff. eod. senatus consuit, ne quis ob idem crimen pluribus legibus reus fieret.*

Quod procedit non tantum, quando absolutio facta est per viam justitiae, aut sententiae, sed etiam si per dispensationem conceditur pro foro externo, uti in casu nostro. Jul. Clar. §. *fin. q.* 57. *n.* 9. Covar. *variar. resolut. cap.* 10. *numer.* 2. Sperell. *Decisione* 134. *num.* 69. cum Gloss. communiter recepta *in cit. c.* 6. *de Accusat.* Ratio est; Tum quia *Divina clementia dimissa peccata in ultionem ulterius redire non patitur*, ut dicitur *Can. Divina Clementia. de Poenit. dist.* 4. et *can. si illae.* 29. *cau.* 23. *q.* 4. ubi ad imitationem Divinae clementiae homo Judex procedere jubetur. Tum quia Dispensatio in locum totalis poenae subrogatur, Baldus *in l. Cunctos populos. C. de summ. Trinit. numer.* 44. *arg. l. quid ergo.* 13. §. 7. *in fine ff. de His qui notantur infamia.*

Limitat quidem doctrinam hoc *numer.* 346. positam Sperell. *Decis.* 92. *numer.* 10. in casu, quo Judex Ecclesiasticus absolvit Reum a crimine subjecto poenae sanguinis; tali enim in casu, ait, cum Judex Ecclesiasticus poenam sanguinis infligere non possit, ab eadem etiam absolvere, vel cum eo dispensare non valet; consequenter Reus a Judice Ecclesiastico quoad caetera absolutus, adhuc puniri poterit a Jure statuta. Verum videtur loqui de Judicibus Ecclesiasticis inferioribus Papa, non item de ipso Papa, qui hoc ipso, quod in cuncta crimina plenam potestatem ac Jurisdictionem habet *per vulgaria*, Reum e quovis crimine et poena illius quaecunque absolvere potest, et per dictam clausulam *a poenis pro utroque foro absolvas*, dispensare censetur,

hoc ipso, quod generaliter, seu universaliter prolata generaliter veniat intelligenda, *arg. c. Quia circa de Privileg.*

347 *Et recepto ab eis juramento, quod sub spe facilius habendae Dispensationis incestum non commiserint*: vi hujus clausulae debent Oratores in manibus Delegati juramentum praestare, quod spe facilius consequendae dispensationis non peccarint, quia ad evitandam in hoc puncto omnem fraudem, pro majori securitate etiam juramentum ab Oratoribus praestari vult Papa, et merito; nam quae in solo animo consistunt, non nisi juramento probari possunt Barb *de Offic. et potest. Episc. allegat.* 32. *numer.* 23. Mascard. *de Probat. conclus.* 94. *num.* 5. quod si vel una pars fateatur, se sub spe facilius consequendi Dispensationem peccasse, non potest Executor dispensare Justis *lib.* 1. *cap.* 7. *numer.* 200. patetque ex dictis supra *num.* 55. quorum ulterior ratio est, quod, cum juramentum istud per clausulam in ablativo positam requiratur, conditionem importet. *cit. l. qui haeredi. ff. de Condit. et Demonstrat.*

348 Si autem Oratores vel saltem unus eorum falso juret, negando se habuisse praelatam spem, quam revera habuit, Dispensatio, et inde subsequens Matrimonium invalida sunt; quia deest mens et voluntas dispensandi. Potest tamen talibus dein succurri (absque hoc, quod juramentum falsum publice confitendo se ipsos diffament, et de novo dispensationem petant pro foro externo) si nempe scribatur pro eis ad Sac. Poenitentiariam; allegando fideliter casum, qualiter cum ipsis ad praecedens falsum juramentum dispensatum fuerit et rogando, ut cum delictum novum, et invaliditas Matrimonii publice contracti existant occulta, dispensare dignetur ad evitanda scandala vero similiter oritura ex eorum separatione, casu enim ita narrato solet Sac. Poenitentiaria in secreto dispensare: dummodo spes illa habita et juramentum falso depositum adhuc sint occulta, et scandala ex separatione vero similiter oriri possent, ut bene advertit Corrad. *lib* 8. *cap.* 1. *num.* 22.

349 Illud tamen specialiter hic notandum, posse contingere, quod aliqui habeant copulam cum spe consequendi dispensationem absque hoc, quod dicantur habuisse copulam *sub spe facilius obtinendi Dispensationem*; illi nempe, qui, dum carnaliter peccant, habent quidem spem obtinendi Dispensationem, sed non ideo peccant, ut facilius impetrent Dispensationem, seu non sub spe facilius consequendi Dispensationem. Ratio est; quia Pontifex per clausulam supra *num.* 347. allegatam non omnes cum spe obtinendi Dispensationem peccantes, sed illos tantum intelligit, qui sub *spe facilius obtinendi dispensationem*, seu qui ideo peccant, ut *facilius* obtineant Dispensationem, seu quia sperant, quod crimine admisso eam facilius sint obtenturi, adeo, ut spes facilius obtinendi sit causa, et motivum committendi crimen et consequenter scandalum, et causa peccati, prout aperte patet tam ex consueta formula supplicandi, quam dispensandi: Nam in consueta, et apud Curiam recepta forma supplicandi non comprehenditur sub praefata clausula, neque indignus Dispensatione reputatur, qui cum veritate proponit; quod non peccaverit *data opera, ut crimine admisso haec causa foret Sanctitatem Vestram, et Sedem Apostolicam ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliores reddendi*, hoc autem cum veritate dicunt illi, qui juxta casum nostrum carnaliter peccantes per accidens tantum conjunctam habent spem consequendi Dispensationem. Item in forma Apostolicarum litterarum Dispensationis illi in clausula praefata non includuntur, nec Dispensatione indigni reputantur, qui cum veritate jurare possunt, *quod sub spe NB. facilius obtinendi dispensationem incestum non commiserint*: quod utique omni cum veritate jurare possunt positi in casu nostro. Cum itaque in omni dispositione verba intelligenda sint juxta propriam suam significationem *l. Non aliter. ff. de Legat.* III. Et ultra proprium sensum non sint extendenda, praesertim in materia odiosa *c. odia de Reg. J. in* 6. *et l.* 4. *ff. de poenis.* Imo verba clara (qualia sunt verba clausulae) nullam admittant interpretationem texto claro *l. Ille, aut illo. ff. de Legat.* III. debemus in solo claro eorum sensu manere juxta dicta. Et nota; aliud esse *peccare cum spe Dispensationis*, vel etiam *peccare, quia spero Dispensationem*: aliud vero *peccare* NB. *ut inde facilius dispensationem obtineam*, vel *quia scio, vel spero ob copulam habitam facilius* dispensandum fore. Et de hoc posteriori, *non* item priori interrogari censentur, et jurare debent Oratores; cum per copulam sub sola hac posteriori, non item cum priori spe factam vitietur dispensatio.

Infertur; Oratores illos, qui ante, vel sub copula habuerunt quidem etiam spem obtinendi Dispensationem, sed tamen sub spe, seu propter spem *facilius* obtinendi Dispensationem, crimen non commiserunt, seu non peccarunt, ut facilius obtinerent Dispensationem, posse cum omni veritate et tota conscientia in supplicatione dicere, *non quidem peccandi data opera ut crimine admisso etc.* juxta formulam *num.* 293. allegatam. Et coram Executore jurare, quod *sub spe facilius obtinendi Dispensationem incestum non commiserint.* Quod bene notandum Confessariis, quia servit pro multorum consolatione, praecipue vero illorum, qui ignorant, quod post copulam incestuosam commissam facilius dispensetur; quales sunt fere omnes simplices et plebei et alias minus docti in his partibus, consequenter fere omnes sine spe facilius consequendi Dispensationem peccantes, cum *ignoti nulla sit cupido per vulgaria.*

Dicta mulier diffamata et innupta remaneret, gravioque inde scandala possent verosimiliter exoriri. Ad verificandam hanc clausulam non est necesse, ut scandala tempore impetrationis vel executionis litterarum Dispensationis, actu jam vigeant, vel certo et evidenter eventura credantur, sed sufficit probabilis timor secuturorum scandalorum v. g. inimicitiarum inter Oratorum consanguineos, vel incontinentiae Oratorum, vel quod mulier diffamata non possit amplius alii competenter nubere, et hoc ipso subjaceat periculo incontinentiae etc. Sanchez *lib.* 8. *Disp* 19. *num.* 9. *et* 10. Corrad. *lib.* 8. *cap.* 1. *num.* 7. Justis *lib.* 1. *cap.* 7. *a nu.* 47. Felin. *consil.* 56 *nu.* 19. suadente id stylo, et praxi conformiter subsequentibus Papae verbis in Dispensationis litteris. *Nos igitur, qui salutem quaerimus singulorum, ac scandalis quibuslibet, ne eveniant, quantum cum Domino possumus, libenter obviamus*: per quae verba satis indicat, se etiam ad vitanda scandalorum pericula dispensare. Hinc quia casu, quo copula jam est publica, consequenter mulier diffamata, vel Matrimonium jam fuit contractum, ordinaria scandalorum pericula sint timenda, nisi dispensetur, potest Executor absque scrupulo, et absque multa indagine in hujusmodi casibus dispensare, quando scandala exoritura fuere allegata; quia quae ordinarie contingunt, semper probabilem causant timorem ulterioris contingentiae in simili casu. 350

Porro ad probandam *infamiam* mulieris ortam non ex copula, sed suspicione copulae, sufficit probare, ab aliquibus visum esse, inter Oratores intervenisse oscula, amplexus, vel tactus impudicos, et su- 351

spectas confabulationes. Corrad. *loc. cit. num.* 8. et alii. Ratio est; quia ex talibus plerumque oritur suspicio copulae, Gloss. *in l. quod ait lex ff. de Leg. Jul. de Adult.* Mascard. *de probat. concl.* 57. *numer.* 5.

353 *Quod impedimento quarti Consanguinitatis vel affinitatis gradus hujusmodi etc. non obstante dispenses.* Antequam dispenset Executor, debet se informare de allegato impedimento, an revera ita se habeat, an non sit error circa illud, vel gradum, tunc enim exequi non posset per dicta supra *n.* 215. Porro Consanguinitas, et Affinitas, an, et qualis existat inter Oratores, optime probatur per eorum Consanguineos, vel Affines, utpote qui ordinarie majorem notitiam habere soleat de parentela propria, et affinitate. Mascard. *de Probat. Conclus* 410. *num.* 35. Corrad *Lib.* 7. *cap.* 6. *nu.* 46. quamvis et alii caeteroquin idonei testes admittantur, *arg. c. Licet ex quadam de Testib. et Attestat.* deficientibus consanguineis, etiam per alios idoneos praesertim concives, et Oratorum, eorumque majorum, ac consanguineorum notitiam habentes, probari potest. *arg. cit. c Licet.* ubi probandi consanguinitatem, et affinitatem forma praescribitur. Videantur etiam Arbor Consanguinitatis, et alia ad probandam, et cognoscendam Consanguinitatem et affinitatem dicta *Tit. XIV.*

354 *Dispenses*; qua clausula denotatur, gratiam Dispensationis nondum esse completam seu perfectam, sed perfici, et compleri primum debere ab Executore, et quidem personaliter, ita ut non possit potestatem dispensandi alteri subdelegare, ut bene docet Sanchez *Lib.* 8. *Disp.* 27. *numer.* 43. Menoch. *Consil.* 17. *num.* 12. Felin. *in c. fin. de Off. delegat.* et alii. *arg. c. fin. de Off. deleg.* Ratio est; quia dispensare est nudum ministerium *cit. c. fin.* Pro quo notandum, quod Papa in Dispensatione Matrimoniali duo committat Executori, videlicet *jurisdictionem* examinandi, et informationes capiendi, an preces veritate nitantur; et *nudum ministerium*, scilicet poenitentiam imponendi, absolvendi, dispensandi, et legitimandi prolem. Primum nempe *jurisdictionem* capiendi informationes, citandi, et examinandi testes etc. bene potest subdelegare Executor, non tamen posterius, eo quod Jurisdictionem quidem, non vero ministerium subdelegare possit Delegatus (excepto Legato Apostolico) uti bene et solide distinguendo docent DD. citati texto claro *cit. c. fin. §. fin. de Off. delegat.* ibi: *Caeterum (salva Legatorum Sedis Apostolicae auctoritate) nulli, cui commissum fuerit praedicare crucem, excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus, injungere poenitentias, liceat haec de caetero aliis demandare: quia sibi non jurisdictio, sed certum ministerium potius committitur in hac parte.*

355 *Distantiam vero tertii gradus praefatis eis non obstare declares*: quoties Oratores inaequaliter distant, debet necessario etiam exprimi propinquus, non ut super illo dispensetur (nisi esset primus) sed ut declaretur, eum non obstare, per dicta n *num.* 170. Hinc si reperit Executor, Oratores inaequaliter distantes, tantum expressisse remotiorem gradum (quod aperte colligit, si dicta clausula non habetur in litteris) dispensare non potest, per dicta *loc. cit.* sed instruere debet Oratores, ut novas litteras *perinde valere* dictas Romae obtineant. Quod si Executor nihilo minus dispensaret, Dispensatio, et inde subsecutum Matrimonium nulla, consequenter Dispensationis litterae *perinde valere* necessariae forent, quae dari solent juxta Formam supra *num.* 175. allegatam: quae tamen litterae non amplius illi, qui nulliter dispensavit, sed alii exequendae committuntur; uti patet ex copia *num.* 173. et *num.* 179. allegatis.

Prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam, exinde legitimam declarando: hac clausula utitur Papa, quando ex praecedente inter Oratores copula proles ante Matrimonium jam est concepta, vel adhuc ante Dispensationem, aut matrimonium timetur suscipienda; item si ex Matrimonio nulliter contracto fuit concepta. Qua clausula datur Executori mandatum, ut legitimet, seu legitimam decernat prolem illegitime natam. Est tamen magna differentia inter effectum legitimationis, qua legitimatur proles ante Matrimonium nata, et illius, quae legitimatur nata ex Matrimonio nulliter contracto. 356

Nam legitimatio, qua Pontifex, vel ejus Nomine Executor legitimat prolem natam ante Matrimonium, censetur tantum legitimata quoad effectus spirituales, seu Ecclesiasticos, beneficia v. g. Ordines, honores, dignitates Ecclesiasticas, non item quoad effectus temporales, civiles, et politicos, successionem v. g. haereditates, feuda etc. nisi de ejusdem territorio temporali existant subditi, Sanchez *Lib.* 8. *Disp.* 7. *numer.* 7. Corrad. *Lib.* 8. *cap.* 3. *numer.* 50. *et* 53. Justis *Lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 270. et alii communiter. Ratio est; quia has proles quoad effectus politicos legitimare non potest, prout citati; sicut et alii *Tit. XVII. num.* 49. allegati Doctores per Jura ibidem producta docent contra Lotherium *de Re Benefic. Lib.* 2. *q.* 48. *numer.* 109. et plures Decisiones Rotae apud Justis *loc. cit.* 357

Dicitur autem notanter, *nisi sint de ejusdem territorio temporali subditi*; cum his enim sicut quoad omnes tam Ecclesiasticos, et politicos effectus dispensare Papa potest; ita etiam per dictam clausulam dispensare censetur, hoc ipso, quod sit generalis, consequenter generaliter veniat intelligenda *arg c quia circa. de Privileg.* 358

Econtra legitimatio, qua Pontifex, vel ejus Delegatus legitimat prolem natam ex Matrimonio nulliter contracto, prodest proli quoad omnes tam politicos nempe, seu civiles, quam Ecclesiasticos effectus; eo quod tunc dispenset in radice Matrimonii, et ita dispensando faciat, ut Matrimonium prius invalide contractum, tanquam validum habeatur etiam pro illo tempore, quo invalide erat contractum, ac per consequens etiam proles ex illo prius invalide genitae, tanquam ex valido procreatae reputentur: prout *cit. Tit. XVII. numer* 51. jam dictum ac probatum habetur atque ulterius, et insigniter probant Corrad. *Lib.* 8. *cap.* 5. *a num.* 46. Justis *Lib.* 1. *cap.* 7. *a num.* 269.

Solum notandum, quod Papa censetur in radice Matrimonii dispensare, et per dictam clausulam proles ex illo genitas legitimare quoad omnes effectus, non tantum, quando utitur terminis *ut ex tunc, vel ut per prius*, sed etiam quando dicit, quod in Matrimonio prius nulliter contracto permanere, vel illud de novo contrahere valeant; dummodo praefatam clausulam pro legitimatione prolis ex invalido Matrimonio conceptae apponat, uti contra Sanchez *Lib.* 8. *Disp.* 7. bene probat Justis *Lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 284. Garcias *p.* 7. *cap.* 2. *num.* 42. Corrad. *Lib.* 8 *cap.* 3. *nu.* 50. *et seqq.* dicens, opinionem Sanchez in hoc puncto pluries esse rejectam ac reprobatam a Rota. 359

Solet Pontifex etiam adhibere clausulam, *prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiando* in casu, quo nulla praecessit copula. Verum hoc facere censetur ad abundantiam ad tollendos scrupulos; uti cum aliis bene notat Corrad *Lib.* 7. *cap.* 7. eo

quod proles ex subsequenti Matrimonio per Dispensationem valide contracto nata, absque ulla alia legitimatione, quoad omnia perfecte censeatur legitima, caeteris Juribus, quae habes supra *Tit. XVII. qui filii sint legitimi.*

359 Quaeritur IV. quomodo Executor visis et consideratis litteris Apostolicis in praxi se gerere, et qualiter ad executionem procedere, eamque expedire? vel inventa falsitate aut defectu eam negare, et Oratoribus consulere debeat? Resp. I. si visis, et consideratis litteris Apostolicis Executor reperit, eas esse conformes stylo consueto juxta dicta, nec insolitas continere clausulas, facit Decretum super capienda informatione tenoris v. g. sequentis.

Die etc. anno etc. Reverendissimus litteras ab NN. sibi praesentatas omni, qua decet, reverentia recepit, et mandavit super expositis, et narratis in praedictis litteris debitas capi informationes ad hoc etc. et ita etc.

Postea per se vel per alium incipit informationem capere de expositis per Oratores ac videre, an nil necessario exprimendum sit omissum, an preces veritate nitantur; Principaliter autem, an causa motiva subsistat, et impedimentum ita se habeat, ut fuit expositum, praesertim an etiam gradus propinquus fuerit expressus, casu, quo inaequaliter distant ob dicta *a num.* 170.

360 Si impedimentum et causae dispensandi probari possunt per testes, ut consanguinitas, Affinitas v. g. assumendi sunt duo testes idonei, qui examinari, et deponere debent super praefato impedimento et causa; qui testes, licet absque exacta forma judiciali, et sine juramento (nisi de paupertate Oratorum examineatur) examinari valeant, tamen aliqua cum forma examinandi sunt, ita ut saltem praemittantur generalia interrogatoria consueta, et quivis semper dicat causam sui dicti, sive scientiae, id est, unde vel quomodo sciat, quod dicit, seu deponit.

361 Resp. II. Si ex informatione capta Executor deprehendit, esse omissum aliquid de necessario exprimendis juxta dicta §. *IV.* vel errorem vitiantem Dispensationem juxta dicta *a num.* 210. aut falsitatem in causa finali seu motiva commissam juxta dicta *a numer.* 203. non potest litteras exequi, sed, si defectus sanari potest, suadere debet Oratoribus, ut procurent novas litteras Apostolicas *perinde valere* dictas exinde, quod sanant et revalidant gratiam seu litteras prius nulliter obtentas, *perinde* ac si ab initio rite et valide impetratae fuissent, prout bene observat Corrad. *Lib.* 8. *cap.* 5. *a num.* 39.

362 Porro ad impetrandas novas litteras Dispensationis *perinde valere*, fit supplicatio eodem fere modo, quo pro primis litteris juxta dicta *a num.* 240. ita tamen, ut facto solito ingressu enarretur, qualiter prius per errorem, aut falsitatem, aut omissionem necessario exprimendi impetratae sint litterae Dispensationis, fideliter etiam exprimendo plures errores, defectus, aut falsitates, si in prioribus litteris reperiantur: alias enim, si unus tantum error, aut falsitas enarratur, et mediante *perinde valere* sanatur, ipsum etiam *perinde valere* nullum, ac subreptitium erit novaeque litterae *perinde valere super alio perinde valere* dictae impetrari debent, casu, quo duo vel plures vitiantes errores aut falsitates in prioribus continebantur.

Ut autem facilius fieri valeat supplicatio pro novis Dispensationis litteris *perinde valere* dictis, unam et alteram formulam subjungimus.

Formula supplicationis pro *Perinde valere* ob impedimentum novum contracto jam Matrimonio detectum.

Beatissime Pater. Alias S. V. pro parte devotorum illius Oratorum Bizantii Lorenzani laici, et Dorothea Parmesinae mulieris Neapolitan. Dioecesis exposito, ipsos Oratores, qui ex honestis familiis existunt, ex certis rationabilibus causis, animos eorum moventibus, cupere invicem matrimonialiter copulari: Sed quia quarto Consanguinitatis gradu invicem erant conjuncti etc. Quare etc. prout in dictis litteris continetur. Quibus quidem litteris Ordinario praefato praesentatis, idem Ordinarius contenta in eis verificari mandavit: verificatisque in eis contentis cum dictis Oratoribus super impedimento praedicto dispensavit; illisque Matrimonium contrahendi licentiam concessit, cujus quidem licentiae vigore Oratores ipsi Matrimonium inter se, per verba de praesenti, publice factis proclamationibus in eorum Parochiali Ecclesia, servata forma Concilii praedicti, nulloque alio detecto impedimento contraxerunt, illudque in facie Ecclesiae solemnizarunt, et carnali copula consummarunt, in eoque per plures annos permanserunt, prolemque susceperunt, postmodum vero ad eorum pervenit notitiam, eos duplici Quarto Consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, propter quod a carnali copula hujusmodi abstinuerunt. Cum autem, Pater Sancte, Oratores praefati, in hujusmodi matrimonio remanere non possint absque Sedis Apostolicae dispensatione: et si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possent verosimiliter exoriri: Supplicant igitur humiliter E. S. V. Oratores praefati, quatenus eos, ne dictarum litterarum frustrentur effectu, amplioris gratiae favore prosequendo, eidem Vicario, ut negotium hujusmodi reassumens, litterasque praefatas valere decernens, cum eisdem Oratoribus super impedimento duplicis quarti Consanguinitatis gradus hujusmodi dispenset, prolemque susceptam, et suscipiendam exinde legitimam decernat, ac ad earundem litterarum executionem, servata alias earum forma, procedat in omnibus, et per omnia; perinde ac si Oratores non Quarto, non duplici Quarto Consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos expressum, ac cum eis desuper dispensari mandatum fuisset, committere, et mandare dignemini de gratia speciali. Non obstantibus praemissis illis, quae etc.

Et cum absolutione a censuris ad effectum etc. Et committatur Ordinario etc. qui decernat et dispenset ut supra.

Formula *perinde valere* ob copulam, post obtentas, sed ante executioni mandatas litteras, habitam.

Beatissime Pater. Alias S. V. pro parte devotorum illius Oratorum Matthaei Parafreni laici, et Euphrosinae venosae mulieris Neapoli. Dioecesis, exposito, dictam Oratricem dotem habere minus competentem etc. cui nubere possit, invenire valeret, et praefatum Oratorem illam etc. in uxorem ducere, illiesque dotem augere intendere: Cupereque etc. Sed quia Tertio et Quarto etc. quatenus etc. Prolem prout in dictis litteris continetur. Quas quidem litteras praesentarunt: qui contenta in eis verificari mandavit: et cum in verificatione ipsa eis constaret, Oratores praefatos post obtentas hujusmodi litteras carnis fragilitate devictos se carnaliter cognovisse, ad earum ulteriorem executionem procedere noluit, et ipsorum Oratorum Ordinarius contra ipsos, propter incestum hujusmodi procedendo eos in certas poenas condem- 363 364

navit. Supplicant igitur humiliter E. S. V. Oratores praefati, quatenus eos, ne dictarum litterarum frustrentur effectu, amplioris gratiae favore prosequendo, eidem vicario, ut negotium hujusmodi reassumens, litterasque praefatas valere decernens, eosdem Oratores ab excommunicationis sententia, quam propter praemissa incurrerunt, incestus reatu, et excessibus hujusmodi in utroque foro absolvat, ac ad executionem dictarum litterarum servata etc. procedat etc. periade ac si carnalis copula hujusmodi secuta non fuisset. Prolem etc. legitimam decernendo, committere dignemini de gratia speciali. Non obstantibus omnibus illis, quae etc.

Et cum absolutione a censuris ad effectum etc.

365 Ad modum dictarum facile aliae fieri possunt, plures vide apud Corrad. *cit. lib.* 8. *cap* 5.

Resp. III. Si Executor capta debita informatione juxta dicta supra *num.* 301. *et num.* 359. invenit, preces veritate niti, ac Dispensationis litteras esse legitimas, legitimeque obtentas, debet eas exequi, et actu dispensare idque praestat faciendo prius Decretum de dispensando, eoque facto Dispensationis litteras expediendo teneris sequentis.

Formula Executionis litterarum Dispensationis super tertio et quarto gradu Consanguinitatis.

Nos N. N. Reverendissimi et Celsissimi etc. Episcopi etc. in spiritualibus Vicarius Generalis, ad infra scripta specialiter delegatus, Universis et singulis praesentes visuris salutem in Domino. Noveritis, fuisse nuper coram nobis pro parte NN. Dioecesis N. praesentatas, et a nobis, ea, qua decuit, reverentia receptas, ac lectas litteras Apostolicas sigillo, et aliis more Romanae Curiae munitas, et subscriptas, in nullo vitiatas, nullaque ex parte suspectas tenoris sequentis: (hic inseratur tenor litterarum Apostolicarum: quod tamen necessarium non est, si litterae Originales servantur in actis, ut bene notat Corrad *lib.* 8. *cap.* 6 *num.* 18. dein pergitur) *Post quarum quidem litterarum praesentationem et receptionem coram Nobis, et per Nos, ut praemittitur, factam, fuimus pro parte dictorum NN. debita cum instantia requisiti: quatenus ad executionem dictarum litterarum, et contentorum in eis procederemus. Nos igitur attenta et servata illarum forma mandavimus, super expositis in eis capiendam esse diligentem et summariam informationem; per quam reperimus praedictos N. et N. tertio et quarto Consanguinitatis gradibus, uti exponebant, esse conjunctos, et dictam Oratricem N. propterea raptam non fuisse, omniaque in dictis litteris narrata, et exposita vera fuisse, et esse, ac veritate fulciri. Idcirco* (si in forma pauperum expeditae sunt litterae Apostolicae, dictis statim subjungitor) *inprimis praefatos N. et N. separavimus ab invicem, eisque publicam poenitentiam, et Oratori simul id injunximus, ut tribus saltem mensibus operam suam conferret fabricae Ecclesiae N. vel loci N. quibus juxta testimonium fide dignum per eos praestitis, ab eisdem juramentum recepimus, quod sub spe facilius consequendae Dispensationis incestum non commiserint, et imposita arbitrio nostro alia poenitentia salutari, ipsos in utroque foro absolvimus:* et haec ob dicenda infra §. sequenti *a n.* 406. si vero dispensatio fit in forma communi omissis istis, post *idcirco* statim subjungitor, et sequitur: *recepto ab eis juramento, quod sub spe facilius obtinendae Dispensationis incestum non commiserint, impositaque eisdem salutari poenitentia, illos in utroque foro absolvimus.* (Si fit dispensatio in casu, quo copula, vel crimen nullum intervenit, etiam immediate dicta omittuntur, et post *Idcirco* statim pergitur) *cum praefatis Oratoribus auctoritate nobis commissa servatis servandis dispensavimus, quod non obstante impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi Matrimonium inter se publice, servata Concilii Trident. forma, contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum remanere libere, ac licite possint. Distantiam vero tertii gradus non obstare declaravimus; prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo* (verba illa *prolem susceptam, si qua sit*, omittuntur, ubi non intervenit copula) *Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscunque, juxta praedictarum litterarum Apostolicarum formam. In quorum fidem etc. Die. Mense. Anno.*

§. VIII.

De Dispensatione in forma pauperum pro foro externo.

SUMMARIUM.

366 *Dispensatio in forma pauperum quare inducta?*
367 *Quid sit?*
368 *Datur non tantum a Papa, sed etiam Episcopis.*
369 *Curia Romana eam ob nullam aliam causam concedit, quam ob praecedentem copulam, vel suspicionem illius.*
370 *Episcopi vero et Nuncii etiam ex aliis causis eam concedere solent.*
371 *Et debent, ac num. praeced.*
372 *Pauperes quinam dicantur?*
373 *Ad obtinendam Dispensationem in forma pauperum, debent Oratores esse pauperes et miserabiles.*
374 *Ita ut labore et industria tantum vivant.*
375 *Multi sunt miserabiles, sed non pauperes.*
376 *Non omnes, qui labore et industria vivunt, sunt capaces Dispensationis in forma pauperum.*
377 *Consuetudo contraria non est attendenda.*
378 *Cum invalida sit.*
379 *Pauper est, qui de praesenti nil habet.*
380 *Etsi de futuro multum speret, vel certo obtenturus sit.*
381 *Liberi divitum parentum ad propositum quando dicantur pauperes, et num. seq.*
382 *Bona Oratorum debent computari deducto aere alieno, et oneribus*
383 *Pauper est, qui 50. aureos non habet in suis bonis et num. seq.*
385 *Et qui ex suis bonis nullos fructus percipit. et numer. seq.*
387 *Si Oratores habent bona, ex quibus saltem aliquos fructus annuatim percipiunt, id exprimi debet.*
389 *Pauperes ad propositum plures in specie adducuntur et quatuor seqq.*
393 *Non sunt pauperes, qui ex suis bonis percipiunt notabiles annuos fructus.*
394 *Aut notabilem quantitatem in parata pecunia habent.*
395 *Modica pecunia non eximit a paupertate.*
396 *Puella modicam dotem v. g. 50. florenos habens est pauper ad praesens.*
397 *Oratores ambo debent esse pauperes.*
Pluralis numerus saltem dualitatem requirit. Ibid.
398 *Oratores debent habere attestationem de paupertate ab Ordinario.*

399 *Domicilii habitationis.*
400 *Ad dispensationem in forma pauperum requiritur justa causa: et quae?*
401 *An? et quando pauperes debeant personaliter Romam pergere pro Dispensatione in forma pauperum?*
402 *Interrogatoria ab Urbano VIII. praescripta, proponenda testibus pro informatione de paupertate Oratorum.*
403 *Formula attestandi de paupertate Oratorum. et num. seq.*
405 *Quid? si Ordinarius de paupertate Oratorum dubitat.*
406 *Formula Dispensationis in forma pauperum.*
407 *Clausuloe in ea observandae quae? et seqq.*
409 *Dispensandis in forma pauperum debet poenitentia publica imponi.*
410 *Et servitium personale pro pia fabrica certo tempore.*
411 *Per Decretum: et quale?*
413 *Potest et debet Episcopus quaevis Matrimonia prohibere, et impedire, ex quibus timentur scandala.*
414 *Si Executor Dispensationis in forma pauperis aliquid accipit, Dispensatio nulla est.*
415 *Praxis exequendi litteras in forma pouperum: et num. seq.*

366 Supre jam dictum habetur, Cariam Romanam Dispensationem enneedere pro foro externo, vel in *forma ordinaria*, vel in *forma pauperum*, De priori hucusque ad longum egimus. De posteriori vero in praesenti §. agemus. Pro cujus majori intelligentia praenotandum est; quod Paupertas pro casibus Dispensationis matrimonialis dupliciter allegari possit, et soleat in Curia Romana. Primo tanquam causa finalis seu motiva, seu principalis pro obtinenda Dispensatione: et aliud non est quam defectus competentis dotis, de quo supra *num.* 81. Secundo non ut causa principalis obtinendi ipsam Dispensationem in substantia, sed ut causa per accidens, et ad id allegata, ut Dispensatio concedatur gratis, seu absque compositione, vel taxa pecuniaria, quam dispensati in forma Ordinaria solvere debent. Cum enim multi sint pauperes, qui media non habent ad solvendam praefatam taxam, Ecclesia pia Mater omnibus providere volens, et ne pauperes destituantur necessariis Dispensationis mediis, praeter Ordinariam, introduxit specialem formam gratis dispensandi cum pauperibus, vi cujus dispensatio facta vocari solet *in forma pauperum.*

367 Quaeritur I. Quid sit Dispensatio in forma paoperum? a quo? et ob quas causas fieri possit, et soleat? Resp. I. Dispensatio in forma pauperum est illa, qua pro foro externo ex legitima causa gratis dispensatur cum vere pauperibus, et miserabilibus personis, non habentibus sufficientia media ad solvendam taxam pecuniariam alias solvi solitam. Ita in re communis: pateique partim ex terminis, partim ex dictis *num. praeced.* et dicendis statim infra.

368 Resp. II. Dispensatio *in forma pauperum* non tantum a Papa, sed etiam ab Episcopis (in casibus sibi concessis) fieri potest et solet. Caret iterum controversia. Pateique continua praxi, qua videmus, non tantum Papam, sed et Episcopos gratis dispensare cum illis pauperibus, qui nulla media solvendi habent.

369 Resp. III. Dispensationem *in Forma pauperum* Curia Romana ob nullam aliam causam dare solet, quam ob copulam, vel suspicionem copulae inter laborantes impedimento habitae, vel potius ob mulieris infamiam, et scandala verosimiliter inde secutura, nisi Matrimonium inter eos sequatur. Justis *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 2. Corrad. *lib.* 8. *cap.* 5. testantes de constante style Curiae. Addit Justis, graviter decipi Doctores, qui putant, eam etiam ex aliis causis dari: inter quos est Gobath *Tract.* 9. *a numer.* 654. quare autem ob allegatas causas dispensetur, vide supra *num.* 94. *et* 95. ubi amplius de his causis.

Resp. IV. Extra Curiam, uti apud Nuncium, 370
vel Episcopum, utpote qui ex privilegio, seu speciali facultate generaliter concessa dispensant, non tantum ex dictis *num. praeced.* sed etiam ex aliis *a n.* 69. allegatis causis datur Dispensatio *in forma pauperum*, seu gratis. Patet experientia et praxi. Imo si Episcopus vi privilegii dispensat, dispensatio cum quovis etiam divite semper gratis, et sic *in forma pauperum* fieri debet. Ratio est; quia speciales facultates, seu quasi privilegia Episcopis Germaniae, et aliis ab urbe longe distantibus concedi solitae, semper expresse habent hanc clausulam: *Et praefatae facultates gratis et sine ulla mercede exerceantur*; uti patet ex copia *num.* 22. allegata.

Nec allegari contra hanc clausulam potest consue- 371
tudo contraria, eo quod singulis quadrienniis facultates praefatae expirent, et de novo peti debeant, ac non nisi cum dicta clausula concedi de novo soleant; intra quod tempus consuetudo non potest legitime praescribi; uti patet ex dictis *Lib. I. Tit. IV. de Consuetud.* Consuetudo autem legitime non praescripta nil valeat per dicta *arg. c. fin. de Consuetud.* ibi: *nisi legitime sit praescripta.*

Quaeritur II. Quinam sint, et reputentur paupe- 372
res ad hoc, ut eisdem concedatur Dispensatio *in forma pauperum*, seu gratis? Resp. I. quamvis alias nomine pauperum non tantum veniant illi, qui mendicant, sed etiam, qui non habent sufficientia, quibus se juxta status sui conditionem decenter sustentare possint. Barbos. *lib.* 3. *Jur. Ecclesiastici universi cap.* 17. *num.* 23. *et de Appellat. Verborum Jur.* ℣. *Pauper.* Reginald. *in Praxi poenitent. lib.* 30. *Tract.* 3. *n.* 101. Mascard. *de Probat. conclus.* 1154. *num.* 13. Justis *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 69. ut proin etiam Illustres ac Nobiles, imo etiam Principes, ac Duces pauperes sint, ac dici possint, qui, etsi alimenta habeant, tamen egent iis, quae ad honestam sustentationem pro status conditione sunt necessaria, ut *loc. cit.* bene advertit Barbosa. Ac propterea quis pauper dicatur, plurimum Judicis arbitrio decidendum relinquatur, qui attenta personarum, et circumstantiarum qualitate arbitrabitur. Barbos. *de Appellat. Verbor. Jur.* ℣. *Pauper. num.* 4. Justis *loc. cit. num.* 70. Gonzalez *de Regul.* 8. *Cancell. Gloss.* 4. *num.* 43. Surd *de Aliment. Tit.* 7. *q.* 9. *numer.* 10. Cum universaliter ea, quae a Jure definita non sunt, ac sub certa Regula comprehendi nequeunt, Judicis arbitrio relinquuntur, *l.* 1. *ff. de Jure deliberand.*

Tamen ad propositum non sufficit Oratores esse 373
pauperes, sed debent etiam esse *miserabiles*, ita ut proprio labore et industria tantum vivant. Corrad. *lib.* 8. *cap.* 5. *a num.* 4. Justis *lib.* 1. *cap.* 7. *a numer.* 72. Ratio est; quia Papa in suis litteris id tanquam conditionem in sensu copulativo requirit, dicens: *dummodo ipsi sint pauperes, et miserabiles, et ex labore et industria tantum vivant*, ubi, quia dictio *et* est conjunctiva et copulativa *l. si quis ita. ff. de Verb. Obligat.* non sufficit unum probare, *l. fin.* §. *Fructus.* 6. *ff. quae in fraudem.* Accedit, quod verbum *miserabiles* in litteris additum, debeat aliquid operari *arg. l. si quando ff de Legat I.* cum nil frustratorium aut superfluum debeat contineri in litteris Apostolicis *c. si a Papa. de Privileg. in* 6. adeo ut nec syl-

labe in eis superflue poni aut vacare debeat, *can. fin. caus.* 28. *q.* 1.

374 Neque sufficit quaevis miserabilitas, sed requiritur miserabilitas a paupertate, et defectu bonorum nomen habens, ita ut ratione illius labore et industria tantum vivant; prout expresse vult clausula apposita, ubi, cum dictio *tantum* ex sua natura limitativa sit, restrictiva et exclusiva *l. Non tantum ff. de Petit. haeredit et l. Adversus C si adversus rem.* quemvis alium vivendi modum excludit. *l. qui in aliena §. liberos. ff. de Negot gest* adeo, ut qui alio modo quam labore et industria vivere possunt, pauperes et miserabiles ad propositum non sint, et consequenter neque capaces Dispensationis *in forma pauperum.*

375 Hinc licet claudi, surdi, caeci, senes decrepiti, diuturno morbo fatigati etiam divites, ex natura dicantur *miserabiles* personae; sicut etiam omnes pupilli et viduae quoad effectum gaudendi privilegio in aliis, uti per Jura et Doctores satis probat Barbos *de Appellat. Verb. Jur. V. Miserabilis,* tamen ad propositum non sunt miserabiles, si habent, unde vivant absque labore et industria, imo etsi ex his aliqua persona esset simul pauper et miserabilis v. g. nobilis pupillus sufficientia quidem absque labore et industria habens ad alimentationem, non tamen ad honestam status sustentationem, incapax foret Dispensationis in forma pauperum, quia deest conditio, *quod labore et industria tantum vivant.*

376 Resp. II. Non omnes, qui ex labore et industria vivunt, quales sunt v. g. agricolae, opifices, operarii, mercenarii etc. sunt capaces Dispensationis in forma pauperum. Justis *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 85. Rota *decis.* 552. *nu.* 4. *p.* 4. *Recent.* et alii communiter. Ratio est: quia non sufficit ad hanc conditionem labore et industria vivere, sed requiritur etiam copulative, ut sint *pauperes,* et *miserabiles,* uti constat ex clausula *num.* 373. citata, atqui non omnes, qui labore et industria vivunt, sunt pauperes, et miserabiles, uti bene advertit Mascard. *de Probat. Conclus.* 1154. *n.* 36 Lotber *de Re Benef. lib.* 2. *cap.* 36 *num.* 33. Justis *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 86 cum habere artem, et habere bona, aequiparentur, Leoncill. *de Opib paupert. p.* 1. *q.* 2. *nu.* 45. constetque passim experientia, plurimos, qui labore et industria vivunt, divites, vel satis habentes esse, aut certe ita pauperes et miserabiles non existere, quin consuetam, et Officialibus Romanae Curiae debitam taxam solvere queant.

377 Hinc licet Gobath *in Theolog. experiment. Tract.* 9. *num.* 658. referat, in Constantiensi Dioecesi vigere consuetudinem, vi cujus in materia Dispensationis pro pauperibus habentur, et consequenter attestationem paupertatis ab Ordinario obtinent omnes illi, qui agricultura, opificio, arte etiam liberali, ut pharmacopaea, se suamque familiam alunt; tamen haec doctrina in aliis Dioecesibus, ubi haec consuetudo non viget, practicari minime potest, ob dicta superius.

378 Imo nec talem dictae Dioecesis consuetudinem approbare, aut eam pro legitima, vel secura reputare possumus. Ratio est, quod, licet introduci possit consuetudo contra legem *c. fin de Consuetud.* tamen nequeant introduci *contra* praeceptum Superioris, seu contra obedientiam per dicta superius, consequenter cum in quibusvis Dispensationis litteris Apostolicis detur semper novum praeceptum, seu mandatum, ut litterae Dispensationis in forma pauperum non exequatur, *nisi Oratores pauperes et miserabiles existant, et ex suis labore et industria tantum vivant*; contra dictas literas, eisque insertum mandatum, et clausulas consuetudo introduci nunquam potest; secus foret, si ipsa Romana Curia talem consuetudinem approbaret.

379 Resp. III. Ad dignoscendum, utrum Oratores sint vere pauperes et miserabiles, proprio labore et industria tantum viventes, sequentes Regulas observare juvat.

I. Attendi debet, an, et quanti valoris bona possideant de praesenti? si enim nulla bona possident, sed praecise labore et industria vivunt, procul dubio pauperes et miserabiles ad propositum sunt, etiamsi in futurum bona acquirendi ex legato v. g. haereditate consanguineorum, aut fideicommisso certam spem, vel jus habeant. Alexander *de Nevo Consil.* 74. *num.* 12. Innocent. *in c. significantibus. de Officio delegat. num.* 4. Sperell. *decis* 156 *num* 16. Justis *lib.* 1. *cap* 7. *a num.* 108. Ratio est, quia a paupertate praesenti non liberat spes, sed res, nec consideratur jus in spe, sed in re; cum sola spes non alat, nec vestiat hominem, ut cum aliis bene observant DD. citati.

380 Ex quo infertur I. Oratores de praesenti nulla bona possidentes vere esse, et dici ad praesens pauperes ac miserabiles, consequenter capaces Dispensationis in forma pauperum, etsi divites parentes, et propterea pinguem haereditatem acquirendi spem habeant, si eisdem de Jure communi, vel lege municipali in vita parentum legitima, vel dos non competit, quales sunt, qui ex aliqua causa ex dictis *Lib. III. Tit. XXVI. a num.* 483. exhaereditari possunt; item quorum parentes quidem satis habentes, sed tamen ob copiam liberorum, vel alias circumstantias, dotem, vel alia media de praesenti praebere nequeunt DD. citati, atque Sayros *in Floribus lib.* 1. *decis.* 3. *tit.* 3. Rota *decis.* 499. *num.* 4. *p.* 1. *divers.* ob rationes dictas.

381 Dicitur autem notanter, *si de Jure, vel lege municipali legitima vel dos eis non competat,* hoc enim si habent, prout habent, si parentes divites exhaereditandi, vel Matrimonio resistendi nullam rationabilem causam habeant, pauperes dici non possunt. Justis *lib.* 1. *cap.* 7. *a num.* 92. Mascard *de Probat. Conclus.* 1154. *num.* 37. Ratio est: quia tunc possunt cogere parentes ad praestandum alimenta, *l.* 1. cum sequentibus *C. de alendis filiis,* et dandam dotem *arg. l. fin. C. de Dotis promis.* Etiamsi sola Mater dives sit *l. si quis §. idem in litteris. ff. de liberis agnosc. et alend.* qui autem habet actionem ad statim acquirendas divitias, seu sufficientia media, pauper non est *arg. l. qui potuit facere ff. de R. J.* hinc bene dicit Rota *decis.* 72. *num.* 5. *p.* 4. *recent.* divitem reputari, qui potest facere, ut dives sit.

382 Verum, quia juxta dicta superius Dispensatio in forma pauperum non conceditur, nisi ob praecedentem copulam, vel suspicionem; copula autem incestuosa sit magnum crimen, graves secum poenas trahens, ita, ut sit in primo gradu sit, poenam capitis, in aliis vero gradibus relegationem mereatur, plerumque parentibus ansam praebet, quod vel Matrimonio cum incestuosa persona juste resistere, et non parenti proli dotem, vel alia media denegare valeant, consequenter liberi eorum pauperes de praesenti existant.

383 II. Si Oratores, vel parentes eorum, bona habent, debet valor eorum considerari et attendi deducto aere alieno, et oneribus tam ordinariis, quam extraordinariis. Ratio est; quia bona alicujus esse non dicuntur, nisi deducto aere alieno. *l. Mulier bona* 72. *ff. de Jure dotium. Non possunt. ff. de Jure Fisci*; et longe minoris aestimantur bona oneribus praestandis gravata, quam libera *per vulgaria.*

384 Quod, si Oratores deducto aere alieno in bonis quinquaginta aureos non habent, ordinarie cen-

sentur pauperes. Corrad *lib.* 8. *cap.* 5. *numer.* 12. Justis *lib.* 1. *cap.* 7 *numer.* 69. Mascard. *de Probat. Concl.* 1154. *nu.* 15. texto claro *l. Nonnulli* 10. *ff. de Accusat.* ibi: *Nonnulli propter paupertatem, ut sunt, qui minus quam quinquaginta aureos habent.*

385 III. Non debent ipsa bona Oratorum, aut parentum nude considerari, sed fructus eorum: quia ad dignoscendum, an Oratores sint pauperes et miserabiles, principaliter attenditur non ad ipsa bona, sed ad fructus, quos inde percipiunt, vel percipere possent, si ea locarent. Leoncill *de Optibus pauper. p.* 1. *q.* 6. *numer.* 20. Justis *loc cit. num* 115. Rota *decis* 48. *numer.* 8 *p.* 2. *divers* quia bona habere et pauperem esse, paria sunt; si quis ex bonis fructus non percipit.

386 Hinc si deducto aere alieno, et expensis, computatisque oneribus nil, vel parum remanet Oratoribus, coactis propterea, quod labore et industria tantum vivant, vere pauperes et miserabiles censendi sunt. Neque tenentur bona, quae habent vendere, ut ex pretio solvere queant taxam pro Dispensatione, si ex fructibus perceptis, aut percipiendis, vel aliis, quae habent, solvere non valent, uti bene notat Justis *l.* 1. *cap* 7. *n.* 115.

387 Illud tamen notandum cum eodem Justis *loc. cit. n.* 117. Corrad. *lib.* 8. *cap.* 5. *nu.* 22. quod, si Oratores labore et industria alias viventes habeant bona, ex quibus aliquos saltem, et tot fructus percipiunt, ut ex illis cunctim percipiendis per duos vel tres menses anni circiter vivere, consequenter si non totam, saltem aliquam partem taxae inde solvere valeant, id Ordinarii in Attestatione exprimere debeant juxta dicenda infra. Quod idem dicendum videtur, si paratam pecuniam habeant juxta dicenda infra *num.* 394.

388 Infertur, Pauperes et miserabiles consequenter Dispensationis in forma pauperum capaces esse. Primo, qui nulla bona habent, ex quibus fructus percipiunt, iidemque solo labore et industria vivunt: quales in his partibus sunt valde multi opifices, et operarii diurni, scribae, cantores, Ludimagistri etc.

389 Secundo, qui quidem bona aliqua habent, sed valorem 50. aureorum non attingunt juxta dicta *n.* 384. Ratio est: quia fructus, qui ex hujusmodi bonis etiam locatis percipi possent, omnino modici praesumuntur.

390 Tertio, qui bona aliqua v. g. domum in valore 50. aureos quidem excedentem, et 400. v. g. vel 500. vel etiam 1000. florenos attingentem, tamen aere alieno gravatam, vel oneribus ita subjectam habent, ut deductis deducendis tot fructus non percipiant, quibus absque labore et industria ultra mensem vivere possent per dicta *nu.* 386. quales in his partibus sunt valde multi opifices, et alii de communi plebe, qui licet domum v. g. hortum, aut agrum habeant, tamen steurae, exactiones, et alia onera (praesertim belli temporibus, quae utique etiam considerari debent) praeter expensas pro conservandis sartis tectis necessarias, tantum absorbent, ut, si domus v. g. pretium 1000. florenorum attingens locaretur, de locationis fructibus vix 10. ad sustentationem bimestrem non sufficientes remanerent, praesertim si non allodialia, sed emphyteutica, vel vitalitia bona v. g. existant, prout in partibus nostris valde in usu sunt.

391 Idem dicendum de plurimis Rusticis praecipue vero minoribus, qui mediam tantum vel quartam partem boni, seu praedii rustici possident, *nur einen halben oder viertel Hoff haben*, utpote qui hoc tempore plerumque, vel alieno aere, vel steuris, exactionibus, et aliis oneribus ita gravati existunt, ut, si bona sua locarent, deductis deducendis modicum perciperent.

392 Et haec vel maxime procedunt, si Oratores ex suis nil habentes sunt liberi ita pauperum a *n.* 388. specificatorum: cum enim in talibus casibus ipsimet parentes bonis indigeant, liberis nil, aut parum, aut certe tantum dare non possunt, ut statum pauperum ac miserabilium juxta hactenus dicta evadant.

393 Econtra infertur ulterius, pauperes et miserabiles ad propositum non esse I. illos qui ex bonis suis tantos fructus percipiunt, vel saltem, si locarent, percipere possent, ut absque ulteriori suo labore et industria per totum, vel majorem, vel saltem notabilem v. g. sextam partem anni vivere possint per dicta *num.* 380. *et* 385. Nec refert, quod de facto, utpote non locantes, tantum ex bonis non percipiant; dummodo, si locarent, percipere possent; quia, uti constat ex instructione infra *n.* 402. ponenda, Papa non tantum consideret, quantos fructus ex bonis quis percipiat, sed etiam quos, si illa locaret, percipere posset.

394 II. Qui, licet nulla bona immobilia habentes, ex industria et labore tantum vivant, tamen de facto ex eadem industria et labore, vel aliunde notabilem summam saltem 50. aureos attingentem, in parata pecunia congregatam habent, de quibus, si non totam, saltem partem taxae consuetae solvere queant. Ratio est: quia Pontifex cum iis solis dispensare in forma pauperum intendit, qui ita pauperes et miserabiles sunt, ut ex suis labore, et industria tantum viventes nil aliud, vel saltem nil notabile, unde vivant, habeant, consequenter ei notabilem summam pecuniariam, ex qua vivere possunt, paratam habent, jam non amplius ex labore et industria *tantum* vivere dici possunt. Alias certe pecuniis abundantes Opifices et rustici dici possent pauperes et miserabiles contra dicta *num.* 376. et stylum.

395 Dicitur autem notanter *notabilem summam* 50. *aureos attingentem*, quia minor summa non facit, quin aliquis aliunde nil habens, soloque labore et industria vivens, pauper, et miserabilis de praesenti dici, et consequenter Dispensationis *in forma pauperum* capax esse valeat per dicta *nu.* 384. Cui accedit, non esse praesumendum de Curia Romana, vel ejus Officialibus, quod, si Oratores prorsus nil, quam modicam aliquam quantitatem pecuniariam habeant, eadem misellos privare, et sibi pro taxa attribuere velint.

396 Ex quo sequitur, puellam, quae pro dote modicam summam v. g. 50. vel 60. vel etiam 100. florenos in parata pecunia, et praeterea nil habens, labore et industria tantum vivere debet, vere adhuc pauperem et miserabilem esse ob dicta *num.* 384. praesertim quia pecunia ex se non fructificat, et si tali summa quid emeret, emptumque locaret, locatum tantos fructus non pareret, quibus solis per notabilem anni partem vivere posset. Idem est de viro solam modicam hujusmodi summam pecuniariam, et praeterea nil habente: secus foret, si praeter talem summam pecuniariam etiam alia bona v. g. domum haberet.

397 Quaeritur III. Utrum ambo Oratores debeant esse pauperes? Item quae praeter paupertatem adhuc requirantur? Praesertim an Oratores, et quali indigeant attestatione Ordinarii, ut Romae obtineant litteras Dispensationis *in forma pauperum?* Resp. I. Ad obtinendam Dispensationem in forma pauperum non sufficit, unum ex Oratoribus esse pauperem et miserabilem, sed omnino requiritur, ambos esse tales. Justis *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 2. Corrad. *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 2. testans de constanti praxi et stylo Curiae, qui stat loco legis *per vul-*

garia jam saepe citata. Patetque ex ipsa clausula, quae cum ambos Oratores in *plurali* pauperes *et* miserabiles asserat, in plurali verificari debet; nam pluralis numerus saltem dualitatem requirit, nec uno contentatur *l. ubi numerus ff. de Test.* Hinc in praxi audiendus non est Gobath *in Theolog. experim. Tract.* 9. *num.* 669. ubi probare conatur, sufficere paupertatem alterutrius.

398 Resp. II. Litterae Dispensationis in forma pauperum Romae non conceduntur, nisi Oratores ab Ordinario legitimam habeant attestationem de eorum paupertate. Patet ex hodierna praxi et instructione ab Urbano VIII. Ordinariis praescripta, pro capienda informatione de paupertate Oratorum, de qua infra *num.* 402.

399 Notandum tamen, quod, si Oratores, vel unus ipsorum extra locum originis, domicilium habitationis contraxissent, ibique saltem per annum existerent, Ordinarius domicilii habitationis de paupertate informationem capere, et attestari deberet, prout ex stylo Curiae docet Corrad. *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 24. Justis *num.* 123. Ratio est; quia Ordinarius domicilii habitationis praesumitur melius scire statum praesentem Oratorum; cum juxta illud tritum dici soleat: *mutatio loci, mutatio fortunae*, per ea, quae dicit Bart. *in l. Juris gentium* §. *si ante aditam. ff. de Pact.* Debet autem tam Ordinarius in sua attestatione, quam Oratores in supplicatione mentionem hujus facere juxta dicenda infra *n.* 403. quatenus dein litterae ad Ordinarium Domicilii habitationis dirigi queant.

400 Resp. III. Praeter paupertatem requiritur etiam justa causa dispensandi, at quidem una ex dictis *num.* 369. DD. ibidem allegati testantes de stylo.

401 Resp. IV. Oratores, qui infra centum milliaria (intellige Italica, quorum unum mediam horam non omnino efficit) ab urbe Roma distant, et saltem in tertio, vel secundo et tertio gradu conjuncti sunt, ipsimet cum attestatione Ordinarii Romam personaliter se conferre, et ibi pro Dispensatione in forma pauperum sollicitare debent, non item qui in remotioribus quarto nempe vel tertio et quarto conjuncti sunt, vel se attinent.

Quod si in primo, vel primo et secundo, aut secundo aequali, vel primo et tertio conjuncti inveniuntur, Oratores pauperes debent, non obstante quacunque paupertate, et distantia, pro impetranda Dispensatione *in forma pauperum* personaliter tendere Romam, ferentes secum attestationem Ordinarii de eorum paupertate. Eo quod regulariter loquendo cum ita conjunctis Papa in forma pauperum foro externo non dispenset, nisi Oratores personaliter Romae se praesentent, etsi mendicando illuc ire, vel redire debeant. Ita ex praxi et stylo Curiae docet Corrad. *lib.* 8. *cap.* 5. *a num.* 25. addens tamen, Papam subinde ex speciali et extraordinaria gratia pro Oratoribus praesertim ultramontanis expedire litteras Dispensationis in forma pauperum, etsi in dictis propinquis gradibus conjuncti Romam personaliter non accedant.

402 Quaeritur IV. Qualiter in praxi Ordinarii informationem de paupertate Oratorum capere: qualiter item de eadem testari possint, et debeant? Resp. I. pro capienda informatione de paupertate Oratorum, debent Ordinarii procedere juxta novissimam instructionem Urbani VIII. vi cujus, duos saltem idoneos testes assumere, eosque examinare debent super interrogatoriis sequentibus ab ipsa Curia praescriptis, juxta tenorem sequentem.

In primis testis moneatur de gravitate juramenti, in hoc praesertim negotio, ob illius importantiam et gravitatem.

Interrogentur de nomine, cognomine, patria, aetate, exercitio, et habitatione.

Interrog. an sit civis, vel exterus, et quatenus sit exterus, a quanto tempore sit in loco, in quo deponit.

Interrog. an ad examen accesserit sponte, vel requisitus.

Interrog. an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus.

Interrog. an cognoscant ipsos contrahere volentes, a quanto tempore.

Si responderint negative, dimittantur.

Si responderint affirmative, Interrog. quid Sponsus in omnibus suis bonis, generis cujuscunque, possideat? et ad quem valorem? et in causa scientiae.

Interrog. quid, si bona praedicta locarentur, annuatim ex illis percipere posset? et in causa scientiae.

Interrog. an alibi alia bona habeat; ex quibus majores fructus percipere posset? et in causa scientiae.

Interrog. an esse possit, quod sponsus alia bona possideat, ipso teste ignorante? si negaverit, det rationem suae negativae.

Interrog. an sciat, quam dotem habeant sponsa, vel alia bona, et in quo dos consistat, an in mobilibus, vel immobilibus.

Interrog. quid, dotem locando, percipere posset annuatim? et in causa scientiae?

Interrog. quae onera tam sponsus quam sponsa habeant super bonis praedictis, tam ordinaria, quam extraordinaria? et in causa scientiae.

Interrog. an sciant inter Oratores aliquod parentelae vinculum intercedere, et quale? si affirment,

Moneantur delineare arborem, et dicere, quas personas ex illa cognoverint, et quomodo ab aliis reputarentur?

Interrog. an Oratores orthodoxae fidei cultores existant? et in causa scientiae.

Interrog. an ipsi testes in Paschate communicaverint?

Resp. II. Si finito examine reperit Ordinarius, 403
ambos Oratores esse revera pauperes et miserabiles, suisque labore et industria tantum vivere juxta dicta hoc §. debet eisdem dare Attestationem tenoris sequentis, aut similis.

Nos etc. *Universis et singulis praesentes visuris, lecturis, pariter et audituris, notum facimus, et attestamur Paulum N. et Annam N. Dioecesis nostrae* (si alterius Dioecesis ambo, vel unus eorum existentes in Attestantis Dioecesi tantum haberent domicilium habitationis, id juxta dicta *num.* 399. exprimi, et v. g. dici deberet: *alias Dioecesis Passaviensis, in hac vero Dioecesi Ratisbonensi a tanto N. tempore commorantes, in qua domicilium contraxerunt*, Vel *Paulum N. Dioecesis nostrae Ratisbonensis, et Annam N. Dioecesis, Eistetensis, in hac tamen Dioecesi per N. tempus commorantem, in qua domicilium contraxit*) *qui super secundo et tertio* (vel alio) *consanguinitatis vel affinitatis gradu dispensari cupiunt, cum causa in libello eorum supplici expressa, ita pauperes et miserabiles esse, ut ex proprio tantum labore et industria vivant; idque nobis constare ex depositione fide dignorum testium, jussu nostro servata forma instructionis Almae Urbis examinatorum, ambosque orthodoxae fidei cultores existere, in quorum fidem etc.* Datum etc.

Resp. III. Si Ordinarius reperit, Oratores non 404
omnino pauperes, et miserabiles existere, sed vel habere bona, ex quibus annuatim fructus vel redditus percipiant, vel percipere possent, sufficientes pro sustentatione duorum, aut trium men-

tium v. g. non potest absolutum paupertatis testimonium dare, sed debet fructus, seu redditus annuos exprimere sequenti aut simili modo.

Nos etc. ut supra: *testamur N. N. qui etc. possidere bona, ex quibus detractis oneribus annuatim tot florenos percipere possent; in reliquis autem ita pauperes, et miserabiles esse etc.* ut supra: idque ob dicta superius *num.* 387.

405 Resp. IV. Si vero ex depositione testium difficulter se resolvere potest, et dubius, vel anxius haeret, optime ac securissime facit, si litteras testimoniales de examine super eorum paupertate facto, una cum tota depositione testium Oratoribus clausas praebet, relinquens judicio Officialium Curiae Romanae de paupertate Oratorum decernere, prout prudenter suadet Corrad *Lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 43.

406 Quaeritur V. Quae sit formula Apostolicarum litterarum Dispensationis in forma pauperum? Et quae clausulae in ea potissimum observandae? Resp. I. Litterae Dispensationis in forma pauperum in Curia Romana expediri solent sequenti modo:

Alexander Episcopus, servus servorum Dei etc. ut supra in formula litterarum dispensationis *numer.* 293. allegata, usque ad verba, *si per informationem praeces veritate niti repereris super quo conscientiam tuam oneramus.* post hoc enim paulo aliter, et ita tenor sequi solet: *tunc eosdem Laurentium et Annam. qui pauperes, et miserabiles existunt, et ex suis labore, et industria tantum vivunt, imprimis ab invicem separes, deinde, si veniam a te petierint humiliter, eam illis poenitentiam publicam imponas, quae alios deterreat a similibus committendis, atque idem Laurentius operam suam conferat Fabricae, aut in aliud servitium alicujus Ecclesiae, vel loci Pii, tribus saltem mensibus, aliaque injungas, quae de Jure fuerint injungenda. Qua poenitentia publica peracta ipsos ab incestus reatu, et excessibus hujusmodi, imposita etiam prius eis propter incestum hujusmodi, imposita etiam prius eis propter incestum hujusmodi, arbitrio tuo, poenitentia salutari, et recepto ab eis juramento, quod sub spe facilius habendae Dispensationis hujusmodi incestum hunc non commiserint, in utroque foro, Auctoritate nostra, hac vice duntaxat, absolvas in forma Ecclesiae consueta; et quatenus contra ipsos causa quoquo modo in judicium deducta fuerit, parito judicato. Demum si tibi expediens videbitur, quod Dispensatio hujusmodi sit eis concedenda, neque scandalum sit ex ea oriturum, super quo conscientiam tuam oneramus, tunc cum eisdem Laurentio et Anna, dummodo ipsa propter hoc rapta non fuerit, ipsique pauperes et miserabiles existant, ac ex suis labore et industria tantum vivant, et postquam in separatione praedicta arbitrio tuo perseveraverint, quod impedimento Quarti Consanguinitatis gradus hujusmodi, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis nequaquam obstantibus, Matrimonium inter sese publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum remanere libere, et licite valeant, Auctoritate nostra dispenses; Prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam legitimam nunciando; Volumus autem, quod, si spreta monitione nostra hujusmodi, aliquid muneris, aut praemii occasione praemissorum exigere, aut oblatum recipere temere praesumpseris, Excommunicationis latae sententiae poenam incurras, qua tamdiu innodatus existas, donec Absolutionem a sede praedicta per satisfactionem condignam ab ipsa excommunicationis sententia merueris obtinere, et nihilo minus Absolutio, et Dispensatio per te facienda nullius sint roboris, vel momenti. Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno etc. Mensis etc. Pontificatus nostri anno etc.*

Resp. II. Clausulae aliis dispensationibus communes quomodo intelligi, et verificari debeant, jam patet ex dictis *a nu.* 313. Restant igitur examinandae clausulae litteris Dispensationis in forma pauperum speciales, inter quas prima est *qui* et infra, *dummodo ipsi pauperes et miserabiles existunt, ac ex suis labore et industria tantum vivant.* Verum haec clausula quomodo intelligi ac verificari debeat, jam habes supra *a nu.* 372. ubi late dictum, quinam ad propositum sint pauperes et miserabiles. 407

In primis ab invicem separes: vi hujus clausulae debet Executor antequam absolvat Oratores, vel cum eis dispenset, eosdem (si in eadem domo simul cohabitent) separare; cum enim dispensandi in forma pauperum ante Dispensationem publicam poenitentiam agere, et per *tres* saltem menses fabricae piae laborem impendere debeant, necesse est, ut ad evitandum scandalum populi, et periculum lapsus ex parte Oratorum interea separati vivant. Ad quem finem Executor facit etiam Decretum juxta *num* 412. 408

Deinde etc. eam illis poenitentiam publicam imponas, quae alios deterreat a similibus committendis Vigore hujus clausulae debet Executor dispensandis in forma pauperum necessario imponere poenitentiam, ubi tamen per *publicam* non intelligitur solemnis, quae fit cum quadam forma ignominiosa, sed talis, quae communitati palam innotescat, ita ut aliis ad exemplum et terrorem esse valeat. Justis *lib.* 1. *cap.* 7. *a numer.* 157. *arg. l.* 1. *C. ad Leg. Jul repet et c. Quaesitum de Poenitent. et Remiss. cum Concord.* Hinc, licet in pluribus locis dispensandi in forma pauperum ob praevium incestum, debeant in die Festo aliquo quando populi multitudo convenit, candelas accensas in manibus tenentes ante fores Ecclesiae ad spectaculum populi stare, tamen, quia hoc genus poenae in his partibus est ignominiosum, non videtur quadrare, sed aliud Executoris arbitrio committendum. 409

Usque idem Joannes operam suam conferat fabricae, aut in aliud servitium alicujus Ecclesiae, vel loci pii tribus saltem mensibus. Vigore istius clausulae omnino pro dicto tempore demandare debet Executor per decretum Oratorem ad praefatum servitium ante Dispensationem, adeo, ut nec in die dispensare valeat. Justis *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 154. quia dictio *saltem* est implicativa, non limitativa Barbos. *de Diction.* 355. hinc, licet alias minima non veniant in considerationem, nec de eis curet Praetor. *l. In Commodatis.* 18. §. *possunt*, in fine, tamen id non procedit, quando minimum est conditio vel de forma. Turch. *l. M Concl.* 259 *num.* 39. Decius *in c.* 1. *de Appellat. num.* 11. et seqq. Barb. *de Axiomat. Axiom.* 101. *nu.* 7. *arg. l. si debitor.* §. 1. *ff. quibus modis pignus.* 410

Quod si ob urgentem aliquam causam v. g. ob legitimationem prolis, Oratrice partui jam propinqua, necesse est, Matrimonium accelerari, debet Executor scribere summo Datario Papae, qui teste Justis *lib.* 1. *cap.* 7. *nu.* 167. Corrad. *lib.* 8. *cap.* 6. *nu.* 57. plenam in his habet potestatem, soletque Delegato ita rescribere, *ut, si tales causae, quae sibi expositae fuerunt, verae sunt, ipsumque Matrimonium non possit differri, donec tempus servitii expletum sit, factis prius per Oratores aliis poenitentiis impositis, praestitaque per Oratorem cautione idonea de conferendo quamprimum contracto Matrimonio operam suam ad formam litterarum Fabricae, aut in aliud servitium Ecclesiae, vel loci pii sibi assignati dispenset.* 411

Caeterum, licet ex prima delegatione nec unicum diem de tribus mensibus remittere possit, potest tamen majus spatium, quam fuit assignatum Oratori pro conferenda opera sua imponere pro

qualitate incestus, si, uti ordinarie fit, in litteris apponitur determinate tempori dictio *saltem*. Corrad. *loc. cit. num.* 34. et alii. Ratio est; quia dictio *saltem* non excludit majora expressis, nec majorem numerum *c. Excommunicamus. §. Addamus. de Haeret.*

412 Porro pro separatione facienda, publica poenitentia imponenda, et servitio Oratoris praestando debet Executor facere Decretum, quod pro omnibus his tribus potest esse unicum tali modo.

Die etc. Reverendissimus etc. in hac parte Delegatus pro executione litterarum juxta formam praescriptam Oratoribus poenitentiam publicam injunxit, et mandavit, ut Oratores (si cohabitant) *ab invicem separentur, donec etc. et quod Orator per tres*, vel *sex menses* (prout tempus fuit determinatum in litteris) *contineor operam suam personalem praestare debeat servitio Parochialis Ecclesiae* vel alterius pii locii (*de quo servitio fides fiat a Rectore ejusdem Ecclesiae*, vel *ad finem etc.*

Nec potest Executor ad Diapensationem procedere, donec sibi constet de poenitentia publica peracta, et servitio per Oratorem praestito: de quo solet Rector Ecclesiae, vel loci pii, cui servivit, Oratori attestationem dare, quae actis inseritur, et de ea postmodum in executionis litteris mentio fit. Corrad. *lib. a. cap.* 6. *a n.* 53. Justis *lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 197. et alii. Ratio est; quia, cum haec in ablativo posita requirantur, conditionem importat. *cit. l. Debitor ff. quibus modis pignus.* Dicitur enim, *qua poenitentia publica peracta etc. dispenses*; ubi etiam notandum verbum *peracta*, utpote actum perfectum, et consummatum ex natura sua denotans, *arg. l.* 1. *§. fi. ff. quod quisque Juris.*

413 *Nec scandalum ex ea*, dispensatione scilicet, *sit orturum*, vi hujus clausulae potest, et debet Executor negare Dispensationem, si ex ea scandalum rationabiliter timet. Felin. *in c. Nihil prodest. de Praescript* Corrad. *loc. cit. nu.* 63. Genuens. *in Praxi Curiae Archiep. Neapolit. cap.* 10. *num.* 13. Ratio est, quia, sicut ad vitanda scandala dispensatio conceditur per dicta supra, sic e converso, si ex Dispensatione timetur scandalum, nullo modo fieri debet, *arg. c.* 1. *de Apostat. et c. Nihil. de Praescript.* ibi: *nihil cum scandalo etc.* Imo potest et debet Episcopus quodvis aliud Matrimonium, etiam ubi nullum aliud intervenit impedimentum, ex officio impedire, quando ex eo timentur scandala v. g. graves inimicitiae inter Familias genuens. *lo. cit.* Corrad. *lib.* 8. *cap.* 6. *numer.* 64. Justis *lib.* 1. *cap.* 7. *numer.* 239. *arg. c. super eo. de Cognat. spirit.*

414 *Et nihilo minus Absolutio, et Dispensatio per te faciendae nullius sint roboris vel momenti*: haec clausula illud speciale facit, quod, licet etiam prorsus nil accipere liceat Executori, quando litteras Dispensationis *in forma communi* exequitur, juxta dicta *num.* 316. tamen, si aliquid pro illarum executione accipiat, exinde non invalidetur Dispensatio. Pro executione vero litterarum Dispensationis *in forma pauperum*, si aliquid accipit, praeter reatum culpae, et poenarum etiam nullitas agit, ipsaque dispensatio, et inde secutum Matrimonium nulla sunt, uti patet ex claris verbis clausulae, quod bene notandum.

415 Queritur VI. Qualiter in praxi Executor litteras Dispensationis in forma pauperum exequi possit, et debeat? Resp. I. Eodem ferme modo, quo litteras dispensationis in forma communi juxta dicta *a numer.* 369. ita tamen, ut observet speciales clausulas *a numer.* 407. allegatas; vi quarum debet I. Oratores, si cohabitant, separare, juxta dicta *numer.* 408. II. Publicam eis poenitentiam imponere per dicta *numer.* 409. III. Ipsi Oratori operam personalem imponere vi dictorum *num.* 410. IV. De his peractis attestationem habere; Et tunc demum dispensare per dicta *num.* 412.

Porro in capienda informatione, an preces veritate nitantur juxta dicta *a num.* 402. debet Executor testes prius de paupertate Oratorum jam examinatos, denuo reassumere, eosque super sequentibus interrogatoriis examinare.

1. *An a se nuper deposita ratificent, vel aliquid addendum, vel detrahendum habeant? et quid?*

2. *An non sciant, vel dici audiverint, quod Oratores ab illo tempore, quo testes fuerunt examinati, acquisiverint alia bona, ex quibus majores fructus percipere possent? et quos fructus percipere possent.*

3. *An esse possit, quod alia bona acquisiverint, ex quibus majores fructus percipere possent ipsis testibus ignorantibus?*

Si respondeat ex certa causa esse posse, quod alia bona acquisiverint, assumendi sunt etiam alii testes desuper examinandi, qui sicut et praecedentes semper debent dicere causa, scientiam, seu rationem, unde hoc sciant, per vulgaria.

Resp. II. Formula Executionis litterarum Apostolicarum Dispensationis, in forma pauperum est eadem cum allegata *num.* 365. pro forma communi; ita tamen, ut eidem inserat, quod Oratores separaverit, eisque poenitentiam publicam, et Oratori servitium personalem ad tempus in litteris Apostolicis praescriptum injunxerit juxta annotata in dicta formula *num.* 365. allegata. 416

§. IX.

De Praxi procurandi Dispensationem pro solo foro interno: ubi etiam de formulis litterarum dispensationis hujusmodi, clausulis, Executoribus, et executione earundem.

SUMMARIUM.

417 *Ratio continuationis.*
418 *Sacra Poenitentiaria dispensat super omnibus, et solis impedimentis occultis.*
419 *Limitatur aliquo modo quoad impedimentum sanguinitatis.*
420 *Causae ob quas dispensat.*
421 *Quaenam in supplicatione ad obtinendam Dispensationem pro solo foro interno exprimi debeant? Et num. seq.*
423 *Quis error? et quae falsitas vitient illa? et num. seqq.*
425 *Modus supplicationis pro Dispensatione in ordine ad solum forum internum et seqq.*
426 *Formulae variae talium supplicationum, et seqq.*
433 *Quo dirigi debeant supplicationes?*
434 *Commode subinde dirigatur ad aliquem Procuratorem Generalem.*
435 *Formula scribendi Procuratori Generali, ut Dispensationem procuret.*
436 *In litteris ad Sac. Poenitentiariam omittuntur complementa.*
437 *Qualiter quivis pro Dispensatione in ordine ad forum internum facile scribere valeat?*
438 *Quid faciendum, si responsum diutius emanet?*
439 *Formula litterarum Dispensationis pro solo foro interno super impedimento Affinitatis.*
440 *Differt in nonnullis clausulis ab antiquo stylo.*
441 I. Discreto viro etc. *dictas litteras ordinarie exequi nullus potest, nisi sit Doctor Theologiae, vel Juris Canonici.*

442 *Et quidem proprie talis. Nec sufficit esse Licentiatum.*

443 *Solvitur objectio.*

444 *Lectores, Professores, et Magistri Regulares, qui in publica Universitate laurea Doctoratus non sunt insigniti, non possunt exequi dictas litteras.*

445 *Nisi habeant speciale Privilegium, prout habent Lectores Jubilati Ordinis Seraphici.*

446 *Et Patres Societatis ab eorum Generali specialiter deputati.*

447 *Nec non alii Mendicantes, qui rite designantur a Generali, et num. seq.*

449 *Debet insuper, qui exequi vult litteras, esse approbatus ab Ordinario: Et quali?*

450 *Item debet specialiter ad id esse electus a poenitente.*

451 *Qui poenitens potest variare, et loco jam electi, alium eligere.*

452 *In casu extraordinario potest non Doctor exequi litteras. Et quando?*

453 *II. Vi clausulae* discretioni tuae committimus, quatenus si ita est etc. *debet confessarius ante Dispensationem examinare poenitentem.*

454 *Debet tamen testibus, vel juramento credere poenitentis*

455 *Nisi extra confessionem contrarium certo sciret.*

456 *An? et quando praevium poenitentis examen sit de valore Dispensationis?*

457 III. *Clausula* Audita prius sacramentali Confessione, *indicat hujus necessitatem.*

458 *Etsi poenitens jam fuisset confessus.*

459 IV. *Clausula* in foro conscientiae tantum, et in ipso actu Sacramentalis Confessionis, et non aliter, nec alio modo, *quando intelligenda?*

460 *Non potest fieri Dispensatio extra Confessionem. Et num. seq.*

462 V. *Clausula*, sublata occasione, *quomodo intelligenda. Et num. seq.*

464 VI. *Clausula* injuncta ei gravi poenitentia etc. *quomodo intelligenda?*

465 *Confessarius debet necessario imponere etiam Confessionem menstruam. Et num. seq.*

467 *Opera poenitentiae reliqua sunt de arbitrio Confessarii.*

468 VII. A quibusvis sententiis et censuris etc. absolvas, *quomodo intelligenda?*

469 VIII. Dummodo impedimentum sit occultum, *qualiter intelligatur?*

470 IX. Et separatio fieri non possit absque scandalo etc. *qualiter intelligatur?*

471 X. Aliudque Canonicum non obstet impedimentum, *quid velit.*

472 XI. Dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, *quid significet? remissive.*

473 XII. Secrete contrahere *quid importet? remissive.*

474 XIII. Prolem susceptam legitimam decernendo, *quid?*

475 *Quos effectus habeat haec legitimatio? Ibidem et seqq.*

479 *Legitimatio prolis fieri debet sub confessione Sacramentali.*

480 XIV. In foro conscientiae tantum, *quid importet?*

481 XV. Nullis super his testibus requisitis: *quid velit?*

482 XVI. Praesentibus lenistis, *quid importet?*

483 *Potest de litteris scripta retineri copia non tamen authentica.*

484 XVII. Nuque latori restituas, *quid mandet. Et num. seq.*

486 XVIII. Quid si restitueris etc. nihil suffragentur, *quid innuat?*

487 XIX. Gratis ubique *Quid significet?*

488 *Compendiosa recollectio, quis exequi possit litteras Poenitentiariae?*

489 *Alia similis recapitulatio, quomodo se gerere debeat Executor, ut valide, ac licite exequatur, ac dispenset?*

Quamvis in praecedentibus multa jam dicta habeantur de Dispensatione pro solo foro interno, nihilominus, quia de eo incidenter tantum, (excepto §. II.) pro foro externo autem principaliter egimus, in praesenti §. principaliter nunc etiam agemus de Dispensatione pro solo foro interno, quae, petitur, et conceditur per Sac. Poenitentiariam, quando impedimentum est occultum. Quando autem ad propositum impedimentum dicatur occultum, habes supra *num.* 44. Hoc notato 417

Quaeritur I. Super quibus impedimentis? et ex qua causa dispensare possit, et soleat sacra Poenitentiaria pro foro interno? Resp. I. Super omnibus et solis impedimentis occultis jure duntaxat Ecclesiastico dirimentibus, vel impedientibus dispensare ex justa causa potest, et solet sacra Poenitentiaria tam ante, quam post contractum Matrimonium. Justis *lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 29. Filiuc. *Tom. I. Tract.* 10. *p.* 2. *cap.* 11. cum communi aliorum. Patetque ex constitutione Pii V. *In omnibus rebus.* Ubi Poenitentiariae potestatem dispensandi pro foro externo restrinxit ad solos casus occultos pro foro interno. Conrad. *lib.* 7. *cap.* 4. *n.* 4. Justis *lib.* 1. *loc. cit. num.* 3. apud quos dictam Bullam per extensum habes. 418

Limitatur tamen conclusio quoad impedimentum Consanguinitatis, utpote super quo ante contractum Matrimonium nunquam, post contractum vero in tertio, item in quarto gradu (si Consanguinitas est occulta) minime vero in primo vel secundo dispensare solet, etsi Consanguinitas sit occulta. Ita ex stylo et praxi. Justis *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 30. Filliuc. *loc. cit.* Super impedimento Affinitatis autem etiam in primo gradu lineae rectae, et transversae dispensat. DD. citati, et confessariis notorius stylus. 419

Resp. II. Sacra Poenitentiaria ex iisdem causis dispensare potest, et solet, pro foro interno, ex quibus Papa dispensare solet pro foro externo juxta dicta *a numer.* 69. si demas causam generalem dictam ex rationabilibus causis (cum nullam taxam recipiat) Probationem facit stylus et praxis. 420

Quaeritur II. Quaenam apud S. Poenitentiariam necessario exprimi debeant in supplicatione pro obtinenda Dispensatione in ordine ad solum forum internum? Item quae omissio, falsitas, vel error vitiet, ac subreptitiam reddat Dispensationem? Resp. I. Non omnia quidem, sed tamen potiora, quae ad impetrandam Dispensationem pro foro externo exprimenda sunt juxta dicta. §. *IV.* exprimi debent ad eandem impetrandam pro solo foro interno. Prima pars, quod non omnia exprimi debeant, patet inductione. Nam exprimi non debent. 1. Nomen vel cognomen Oratorum. 2. Nec Nomen Dioecesis. 3. Necessario non est exprimendus gradus propinquus (nisi sit primus) sed sufficit remotiorem exprimere, casu, quo Oratores inaequaliter v. g. in secundo et tertio, vel tertio et quarto existunt juxta dicta supra §. *IV.* 4. Necessario non est exprimenda copula, nisi sit habita cum spe facilius obtinendi Dispensationem. 421

Ratio est; quia fundamenta supra *a n.* 185. pro necessitate exprimendi copulam allegata, militant tantum pro foro externo, uti etiam Declarationes Cardinalium, utpote quae in materia Dispensationis matrimonialis pro foro externo emanatae censentur, nisi aliud exprimatur, ut bene advertit Corrad. *lib.* 8. *cap.* 1. *num.* 53. et ex Ipso Justis *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 21. Nec erit necesse de novo impetrare litteras Dispensationis, casu, quo Oratores post obtentas, sed executioni nondum mandatas litteras copulam inter se repetant, vel Orator v. g. de novo cognoscat consanguineam illius, cum qua modo vult contrahere; si in sacra Poenitentiaria prius jam exposuit occultam affinitatem ex praecedente copula cum eadem consanguinea prius habita. Ut bene ampliat Corrad. *loc. cit. n.* 50 secus est, si pro foro externo sollicitatur Dispensatio juxta dicta *n.* 188.

422 Altera pars videlicet, quod potiora exprimenda sint, probatur etiam inductione. Nam *necessario* exprimenda *sunt*. I. Ipsum impedimentum in specie juxta dicta *n.* 150. II. Si Oratores plura habent impedimenta occulta, omnia exprimenda sunt juxta dicta *n.* 151. III. Et quidem in eadem supplicatione per dicta *n.* 152. Nisi unum esset publicum, alia vero occulta per dicta *n.* 153. IV. Necessario allegari et exprimi debet justa dispensandi causa aliqua ex dictis *a n.* 69. Plerumque autem allegari solent scandala secutura (ob copulam praecedentem v. g. vel jam contractum Matrimonium juxta dicta *n.* 49. nisi dispensetur. V. Exprimi debet, si Matrimonium jam est contractum juxta dicta *num.* 157. Item an in facie Ecclesiae et praemissis denuntiationibus, bona vel mala fide sit contractum. VI. Gradus impedimenti Consanguinitatis, et Affinitatis juxta dicta *num.* 163. VII. Circa cognationem spiritualem occultam debet exprimi, an sit filiatio, vel compaternitas simplex, vel duplicata juxta dicta *n.* 200. VIII. Circa impedimentum criminis, an cum, vel sine machinatione contigerit juxta dicta *n.* 202.

423 Resp. II. Eodem modo, quo pro foro externo, etiam pro solo interno Falsitas circa caussam motivam, seu finalem, et principalem, non item circa impulsivam vitiatur, et invalidatur Dispensatio per dicta supra §. V. a n. 205. ubi vide. Sufficit autem verificari caussam tempore, quo confessarius executioni mandat litteras Dispensationis juxta dicta *num.* 218.

424 Resp. III. Error circa impedimentum vel gradum pariter eodem modo vitiat, et annullat Dispensationem pro solo foro interno sicut pro externo juxta dicta *n.* 163. et *n.* 215.

425 Quaeritur III. Quomodo supplicatio pro impetranda Dispensatione in ordine ad forum internum in praxi fieri, et exprimenda exprimi possint et debeant? Resp. I. quamvis supplicatio ad obtinendam Dispensationem pro solo foro interno fieri, et exprimenda exprimi valeant eodem modo, et stylo, quo fit pro foro externo juxta dicta §. VI. (excepto, quod nomina Oratorum non exprimantur, aliaque fiat inscriptio) tamen ille modus necessarius non est, sed sufficit, si *necessario* exprimenda juxta dicta *n.* 422. praesertim vero impedimentum et gradus, ipsaque dispensandi causa ad captum clare et sufficienter sine superflua ambage exprimantur. Patet conclusio continua experientia et praxi, qua constat innumeros Confessarios pro Dispensatione supplicantes, non eundem stylum et modum servare in scribendo, et tamen obtinere Dispensationem: dummodo necessario exprimenda ad captum sufficienter explicentur. Expedit nihilo minus, ut servetur supplicandi stylus in Curia ositatus.

Resp. II. Inscriptio in supplicatione ad obtinendam Dispensationem pro foro interno non fit Papae, sed summo Poenitentiario (qui est unus ex Cardinalibus S. R. E.) uti patet ex subsequentibus supplicationum formulis, quas pro majori commoditate Parochorum, et aliorum Confessariorum, praesertim in hac re minus practicorum apponere, utile duximus, juxta praxin et stylum de facto consuetum et receptum in Sac. Poenitentiaria. Circa quem notandum, quod, si unus tantum conjugum conscius est impedimenti ex delicto occulo (uti plerumque res se habet) non ambo conjuges, vel sponsi, in plurali, sed Reus in singulari ficto nomine supplicet; uti liquet ex sequentibus. 426

Formula Supplicationis pro Dispensatione super impedimento Affinitatis in primo gradu lineae rectae post jam contractum Matrimonium.

Eminentissime, et Reverendissime Domine etc.

Exponitur humiliter Eminentiae Vestrae pro parte devoti Illius Oratoris, (ponitur N. N. vel fictum nomen v. gr. *Caji Laici*) *quod Ipse alias conscius impedimenti* (si impedimentum ignoravit, uti multi simplices ignorant, dicatur loco *conscius*, *ignarus impedimenti*) *Matrimonium per verba de praesenti in facie Ecclesiae contraxit, et successive consummavit cum muliere, cujus Matrem antea carnaliter cognoverat. Cum autem dictus Orator ob Affinitatis impedimentum ex praedictis proveniens (quod occultum est) in eo Matrimonio remanere non possit absque Sedis Apostolicae Dispensatione: et si divortium inter eos fieret, scandala exinde verosimiliter orirentur, cupit a praemissis, de quibus summe dolet, absolvi, et secum super impedimento ad remanendum in dicto matrimonio dispensari*, (si proles ex eo jam est concepta, addatur, *prolemque susceptam legitimari*) *Quare Eminentiae Vestrae humillime supplicat, ut super his de opportuno remedio Auctoritate Apostolica providere dignetur.*

In fine per modum postscripti, procurans litteras reverentialiter insinuat et rogat, quo litteras Dispensationis dirigere debeat Cardinalis Poenitentiarius v. g. 427

Dignetur Eminentia vestra responsum dirigere Monachium, Ratisbona ad me infra scriptum.

Porro si in loco, ubi Orator existit, facile haberi non possit Doctor in Theologia, aut Jure Canonico, id etiam addere poterit sollicitator, et rogare, ut alii committatur Dispensationis executio, v. gr *Et quia in Oratoris loco nullus reperitur Confessarius in Theologia Magister, vel Canonum Doctor, vel alius ad exequendam privilegiatus, dignetur Eminentia providere et disponere, ut etiam alius exequi valeat.*

Eadem haec supplicatio potest brevius fieri juxta formulam, quam praescribit Arsdekin in Tripartit. Theolog. *Tom.* 2. *p.* 2. *Tract.* 4. §. 5. sequentis tenoris.

Eminentissime, et Reverendissime Domine etc.

Titius N. Laici, conscius (vel ignarus) *impedimenti contraxit in facie Ecclesiae Matrimonium cum muliere, cujus matrem*, vel *filiam*, vel *sororem*, *prius carnaliter cognovit; quare cum absque scandalo separari non possint, et impedimentum sit occultum, humillime supplicat pro absolutionis et Dispensationis remedio.* 428

Formula Supplicationis pro Dispensatione super eodem impedimento Affinitatis ante contractum Matrimonium.

Eminentissime, et Reverendissime Domine etc.

429 *Exponitur humiliter Eminentiae Vestrae, quod postquam Fabius N. carnaliter cognovit Titiam N. postea ignarus impedimenti bona fide* (vel conscius impedimenti) *tractatum habuit de contrahendo Matrimonio cum sorore dictae Titiae; Cum autem dictum impedimentum sit occultum, Tractatus vero publicus, et nisi ad effectum deducatur, scandala exinde verosimiliter exoritura sint, cupit Orator ad vitanda scandala, et pro conscientiae suae quiete de praemissis, de quibus summe dolet, absolvi, et secum dispensari. Quare Eminentiae Vestrae humiliter supplicat etc.* ut supra *n.* 428.

Formula supplicationis pro Dispensatione super impedimento affinitatis ante contractum Matrimonium, ex aliis causis.

Eminentissime, et Reverendissime Domino.

430 *Exponitur humiliter Eminentiae Vestrae pro parte devotae illius Oratricis Annae N. quod, cum dicta Oratrix dotem habeat minus competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, cupiat matrimonialiter copulari cum Titio N. Laico, qui eam cum dicta minus competente dote in uxorem accipere velt*: pariter allegari possunt aliae causae modo supra *a* no. 69. allegato. *Sed quia in tertio affinitatis gradu ex copula' licita exortae, se attinent, desiderium suum hac in parte adimplere non potest absque Sedis Apostolicae dispensatione. Supplicat igitur humiliter Eminentiae vestrae, ut, cum impedimentum occultum existat, opportuno remedio providere dignetur etc.*

Formula supplicationis super impedimento voti castitatis, ex causa periculi incontinentiae, quod periculum in hoc plerumque allegari solet, et vere allegatum semper sufficit.

431 *Exponitur humiliter Eminentiae Vestrae pro parte devoti illius Oratoris Lamberti N. laici, vel Oratricis Sabinae N. quod ipse, vel ipsa alias votum castitatis emiserit. Cum autem stimulis carnis ita agitetur, ut se continenter vivere posse diffidat, pro suae conscientiae tranquillitate cupit per Sedem Apostolicam votum praedictum ad effectum contrahendi Matrimonium commutari; quare humiliter supplicat Eminentiae Vestrae, quatenus praedictum Votum ad hoc, ut Matrimonium juxta formam Concilii Tridentini contrahere, debitumque conjugale exigere, et reddere licite possit, in alia poenitentiae, et pietatis opera dispensando commutare, Auctoritate Apostolica dignetur.*

Vel brevius super eodem impedimento voti.

Eminentissime, et Reverendissime Domine.

432 *Lucianus N. laicus emisit simplex votum castitatis perpetuae: sed cum adsit, vel futurum esse praevideat periculum incontinentiae, nisi nubat, supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi Matrimonium.*

Quae brevis formula sicut et allegata supra n. 428. non ita pridem pro instructione Roma fuit transmissa, consequenter secura.

433 Quaeritur IV. Quomodo? et ad quos Romam dirigi debeat supplicatio ad obtinendam Dispensationem pro solo foro interno? Resp. I. Posse eligi unam ex viis supra *n.* 281. *et* 282. praescriptis. Circa quas notandum quod, licet juxta dicta *n.* 284. Procuratores Generales Ordinum non libenter suscipiant munus procurandi Dispensationes pro foro externo, id tamen pro foro interno libentissime, magnaque cum charitate et promptitudine faciant. Hinc

Resp. II. Si poenitens aliquis dispensationem 434
super impedimento occulto pro foro interno indigens venit ad Confessarium Regularem, cujus Religio Procuratorem Generalem Romae habet, uti est nostra Seraphica, securissima, et expeditissima via, charitatique conforme est; si talis Confessarius ipse statim Romam scribat Procuratori Generali, ei impedimentum, et causam dispensandi exponendo, simulque rogando, ut Dispensationem procurare dignetur. Et ne quis de litteris efformandis ullam difficultatem apprehendat, formulam talium litterarum annectimus.

Formula scribendi Procuratori Generali.

Adm. Reverende in Christo P. Procurator Generalis etc.

Quod hisce gravia et copiosa A. R. Paternitatis 435
negotia interpellem, urget charitas Proximi, siquidem Titianus N. laicus, postquam fornicarie cognovit Annum N. conscius impedimendi, vel *bona fide, utpote impedimenti ignarus, contraxit Matrimonium cum dictae Annae sorore, illudque consummavit. Quare cum impedimentum occultum existat, et separatio sine scandalo fieri nequeat, rogat humillime, et ego cum ipso, dignetur A. R. sua Paternitas necessariam Dispensationem pro foro interno apud Sac. Poenitentiariam Amore Dei, et proximi procurare, ac obtentam mihi transmittere, Deus omnis charitatis largissimus Retributor dabit mercedem, quae ut copiosa sit, exiguas preces meas promitto, et sub reverentiali mei recommendatione maneo.*

A. R. Paternitatis

Servus in Christo humillimus
Fr. NN.

Ad hunc modum etiam alia impedimenta una 436
cum causa, ex qua dispensatio praetenditur, breviter eidem scribi poterunt; ex his enim habitis ipse supplicationem formabit, offeret, eique conformiter Dispensationem obtinebit, et secure transmittet.

Notandum his, quod reverentialia, ac Religiosa complementa in dictis litteris breviter adducta nullatenus adhibere, sed simpliciter scribere quis debeat, si ad ipsum Eminentissimum Cardinalem Majorem Poenitentiarium scribitur juxta formulas *n.* 426. allegatas, et dicta supra *n.* 236.

Resp. III. Regulares Procuratorem Generalem 437
Romae non habentes, sicut et alii, qui unam ex supra *n.* 281. *et* 282. ostensis viam amplecti nolentes, ipsimet, ut securi sint, supplicationem rite formare, et Romam dirigere volunt, possunt id etiam facillime negotio praestare.

Si videlicet supplicationem per modum litterarum ad Eminentissimum Cardinalem summum Poenitentiarium juxta formulas supra *a n.* 426. allegatas, faciunt, eamque sigillo claudunt, exteriorem inscriptionem ita faciant: *Eminentissimo et Reverendissimo Domino Domino S. R. E. Cardinali Majori Poenitentiario.* sicque factam, sigillatam, et inscriptam mediante postea ordinaria Romam dirigant. Hoc enim si quis facit, Dispensationem a Sac. Poenitentiaria certe obtinebit; dummodo

interius in supplicationis litteris per modum postscripti reverentialiter manifestet, quoniam litteras responsoriae, ad Dispensatoriae dirigi debeant. Potest autem postscriptum taliter fieri, juxta dicta n. 427.

Quod si responsio Rev mi forsan tardare videbitur, poterit Confessarius litteras easdem repetere, ut, si forsan priores fuissent deperditae, saltem posteriores ad Sac. Poenitentiariam, et inde litterae Dispensationis veniant. Oportet autem addere, quod litterae repetantur ex eo, quia ob diu emanens responsum timeatur priores fuisse perditas.

438 Quaeritur V. Quae sit formula apud Sac. Poenitentiariam litterarum Dispensationis pro foro interno? Et quae clausulae specialiter in eis observandae? Resp. I. Formulas has pro diversitate impedimentorum et caussarum esse quidem varias, quoad modum tamen principalem fere convenire. Subjungitur aliqua talis, qua dispensatur super impedimento occulto affinitatis.

439 Formula litterarum Dispensationis super impedimento occulto Affinitatis post contractum Matrimonium.

Nicolaus Tituli S. Mariae Angelorum Sacrae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis Ludovisius discreto viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario, per latorem praesentium ad infra scripta specialiter eligendo. Ex parte latoris praesentium nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias Matrimonium cum muliere, cujus sororem antea carnaliter cognoverat, publice in facie Ecclesiae contraxit, et successive consumavit. Cum autem, sicuti eadem petitio subjungebat, lator praedictus ob impedimentum ex praemissis proveniens dicto Matrimonio remanere nequeat absque Apostolicae Sedis dispensatione ad vitanda scandala, quae, si divortium fieret inter eos, verosimiliter oriri possent, ac pro suae conscientiae quiete cupit a praemissis, quae sunt occulta, et de quibus plurimum dolet, absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicavit humiliter, ut sibi super hoc de opportuno remedio providere dignaremur. Nos itaque, qui Poenitentiariae Domini PP. curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate Apostolica specialiter nobis concessa discretioni tuae committimus, quatenus, si est ita, dictum latorem audita prius ejus Sacramentali Confessione, ac sublata occasione, si qua adhuc extat, amplius cum dicta sorore peccandi, a quibusvis sententiis, censuris, et poenis Ecclesiasticis, quas propter praemissa quomodolibet incurrit, incestu, et excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiae consueta, injuncta inde ei pro tam enormis libidinis excessu gravi poenitentia salutari, ac Confessione Sacramentali peccatorum suorum singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur, et aliis, quae de Jure fuerint injungenda. Demum dummodo impedimentum praefatum sit occultum, et separatio inter latorem, et praefatam mulierem fieri non possit absque scandalo, ex cohabitatione vero de incontinentia probabiliter timendum tibi visum fuerit, aliudque Canonicum non obstet, cum eodem latore, et dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur, Matrimonium cum eadem, et uterque inter se de novo secrete ad vitanda scandala, praemissis non obstantibus, contrahere, et in eo postmodum remanere licite valeant misericorditer dispenses; prolem susceptam si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientiae et in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, et non aliter; neque ullo alio modo Ita quod hujusmodi absolutio et Dispensatio latori in foro judiciario nullatenus suffragentur: nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis, seu processibus confectis, sed praesentibus laniatis, quas sub poena excommunicationis latae sententiae laniare tenearis, ita ut nullum earum exemplum extet, neque eas latori restituas; quod si restitueris, nihil et praesentes litterae suffragentur. Datum Romae apud S. Petrum sub sigillo officii Poenitentiariae etc.

Hae litterae mittuntur, clausae quarum inscriptio ad extra ordinarie ita sonat: *Discreto viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario.*

Pro secunda parte quaesiti *n.* 438. positi praenotandum, stylum, Poenitentiariae in concedendis litteris Dispensationis pro foro interno super impedimentis Matrimonii esse aliqualiter immutatum, eo quod vi styli novi dictis litteris inseri soleant clausulae, quae non reperiuntur in litteris, juxta stylum antiquum expeditis, uti videre est conferendo Dispensationis litteras a Sanch. relatas *Lib.* 8. *Disp.* 34. *n.* 1. 3. *et* 4. cum litteris novo stylo conformibus *praeced. n.* adductis; patebitque in decursu explicationis clausularum. Hoc notato 440

Resp. II. Clausulae specialiter observandae sunt potissimum sequentes. *I. Discreto viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per latorem praesentium ad infra scripta specialiter eligendo.* Haec clausula denotat qualitates necessarias ad hoc, ut quis aperire, et exequi possit litteras Dispensationis a Sac. Poenitentiaria emanantes; vi quarum requiritur primo, ut quis sit vel Magister in Theologia, cujusmodi sunt in Curia Romana, et Academia Sorbonensi: vel Doctor in Theologia; qui enim in dictis locis vocantur Magistri, vocantur in Germania, et in nonnullis aliis Universitatibus Doctores in Theologia, adeo ut Magister et Doctor in Teologia synonyma sint teste Sanchez *Lib.* 8. *Disp.* 34. *n.* 5. Gobath *in Quinario Tract.* 5. *cap.* 37. *n.* 155. Vel denique Doctor Decretorum, sive Juris Canonici, ita enim in sensu divisivo has qualitates expresse requirit tenor clausulae. 441

Idque in sensu omnino proprio et stricto, adeo ut licet quis sit vir doctissimus et ut Lector, vel Professor publice doceat, vel etiam examinatus jam et approbatus Licentiatus existat, praefatas litteras valide exequi non possit, consequenter facta ab eo executio, seu Dispensatio, indeque secutum Matrimonium nulla forent etiam in foro interno, nisi Laurea doctorali in effectu, et re ipsa insignitus sit in publica aliqua Universitate, vel Academia. Sanchez *Lib.* 8. *Disp.* 34. *a n.* 5. Justis *Lib.* 1. *cap.* 8. *a num.* 95. Diana *p.* 8. *Tract.* 3. *Resolut.* 103. Lezana ℣. *Litterae Apostolicae.* Pontius *de Matrim. Lib.* 8. *cap.* 21. §. 1. *n.* 13. Gobath *in Quinario tract.* 5. *cap.* 37. *n.* 156. cum communi aliorum. Ratio est; quia nemo potest exequi, nisi vere sit delegatus a Sac. Poenitentiaria, haec autem non nisi Magistrum aut Doctorem vere, et effective talem delegat, quales non sunt supra nominati: ergo. Accedit, quod, quamvis potestas dispensandi alicui generaliter concessa, sit late interpretanda, tamen ipsa Dispensatio, seu potestas dispensandi specialiter concessa, sit strictae interpretationis, per dicta superius, et communissimam DD. apud Justis *Lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 1. *et* 2. Sanchez *Lib.* 8. *Disp.* 1. *et* 2. hanc doctrinam solide deducentes. 442

Nec refert, quod, Licentiati in doctrina pares habeantur Doctoribus, et in favorabilibus veniant nomine Doctorum, atque existens in potentia 443

actui proxima videatur existere in ipso actu *l. penult. ff. de Milit. Testam.* Nam contra est; quod illud, *Licentiati in favorabilibus veniant nomine Doctorum* intelligi debeat de favorabilibus; quae competunt Doctoribus ratione exercitii, non vero, quae competunt ratione Dignitatis, ut post Ripa citantem communiter bene advertit Sanchez *loc. cit. n.* 8. Potestas autem exequendi litteras delegatur Doctoribus, et competit eis ratione dignitatis. *arg. c. statutum. de Rescript. in* 6. ergo. Hinc contra torrentem DD. audiendus, et sequendus non est Engel *in Moneal. Paroch. p.* 3. *cap.* 2. §. 1. *nu.* 16. volens, etiam Licentiatos posse aperire, et exequi litteras Sac. Poenitentiariae; praesertim cum hic agatur de valore Sacramenti, circa quem non licet sequi sententiam probabilem relicta probabiliori.

444 Et ex his etiam inferunt Sanch. *cit. Lib.* 8. *Disp.* 34. *n.* 9. Lezana ✠ *Litterae Apostolicae n.* 14. Diana *p.* 8. *tract.* 3. *Resolut.* 103. Justis *Lib.* 1. *cap.* 8. *nu.* 101. et alii communiter, neque posse exequi praefatas litteras Lectores, et Professores Regulares, qui juxta Ordinis statuta vocantur *Magistri* Theologiae, vel Juris Canonici, nisi in publica aliqua Universitate vel Academia realiter et formaliter insigniti sint laurea Doctoratus, aut id eis ex speciali competat Apostolico privilegio.

445 Sic enim ex speciali privilegio Apostolico illi Lectores Ordinis nostri Seraphici, qui post peractam statuto tempore Lecturam, per Ordinis statuta vocantur, et sunt *Lectores Jubilati* (non item Generales, multo minus actuales non Jubilati) possunt exequi praefatas Sac. Poenitentiariae litteras, ac dispensare; prout per specialem Bullam novissime videlicet 1679. 27. Novembris concessit Innocentius XI. *Exponi Nobis.*

446 Pariter ex speciali privilegio possunt dictas litteras exequi Patres Confessarii Societatis JESU, non quidem omnes, sed illi, qui ab eorum Praeposito Generali, vel de ejus licentia ab aliis Societatis Superioribus ad id specialiter designati fuerint, etiamsi Doctores Theologiae, vel SS. Canonum non existant. Ita enim exprese per speciale Privilegium concessit eisdem Gregorius XIII. 3. Aprilis 1582. cujus concessionis tenorem habes infra *n.* 448.

447 Idem possunt ex communicatione cum privilegiis Societatis alii mendicantes, ut bene notat Sanchez *Lib.* 8. *Disp.* 34. *num.* 11. Roderiq. *Tom.* 1 *qq. Regular. q.* 63. *a num.* 8. *in fine* Justis *Lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 103. et alii contra Lezana volentem, dictum privilegium fuisse tantum concessum tunc praesenti Generali P. Claudio Aquaviva, et ad successores non transiisse, per consequens nec ad alios Regulares vi communicationis privilegiorum; in quo tamen Lezana communiter refutatur, et merito; quia Pontifex dictum privilegium deputandi aliquos pro executione memoratarum litterarum non concessit nominatim P. Claudio Aquaviva, sed universaliter *Praeposito Generali*; ac de ejus licentia aliis superioribus Societatis; consequenter etiam vi communicationis privilegiorum aliis Regularium Mendicantium Generalibus et de eorum licentia aliis Superioribus. Monent tamen Sanchez, et Roderiq. *loc. cit.* quod, sicut alii Superiores Societatis, ita et aliarum Religionum Mendicantium Superiores quicunque tandem etiam Provinciales, nec ipsimet exequi, nec ad exequendum alios deputare possint, nisi ad id licentiam a Generali habeant; quia hoc tanquam conditio in concesso privilegio exprese requiritur, uti patet, ex tenore ejusdem ita sonante:

448 *Sed possunt sacerdotes Societatis Jesu designati per Praepositum generalem aut de ejus licentia per alios Superiores Societatis, et a locorum Ordinariis approbati, vel approbandi, etiamsi nullo gradu fiat insigniti, aperire litteras sacrae Poenitentiariae destinatas Magistris in Theologia, vel in Jure Canonico Doctoribus, et auditis confessionibus recurrentium ad ipsos, imposita illis poenitentia in litteris expressa, vel de jure infligenda eos absolvere, ac in foro conscientiae quascunque sibi verbo, vel scripto commissas absolutiones, dispensationes, et poenitentiarum injunctiones excipere, et exequi.*

Hinc pro majori securitate, commoditate, ac poenitentium utilitate provide apud Societatem introductum est, ut a quovis Generali designentur in genere omnes Superiores Societatis, et alii Confessarii ab his specialiter deputandi ad exequendas praefatas litteras: quod, ut in hoc imitarentur aliae Religiones, plane optandum esset; ut bene monet *loc. cit.* Rodriqu

449 Secundo vigore clausulae *num.* 441. positae requiritur, ut Confessarius sit *approbatus in Ordinario.* DD. citati, et alii communiter ob clarum verborum tenorem. Non requiritur *tamen*, quod Confessarius sit approbatus ab Ordinario poenitentis, sed sufficit, esse confessarium approbatum ab illo Ordinario, in cujus Dioecesis fit executio litterarum, prout teste Justis *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 99. declaravit Sac. Congregatio. Caeterum quia approbatio Ordinarii tanquam forma et Conditio praescribitur, ita necessaria est, ut invalida, sit Dispensatio, si fiat a Confessario, qui vel a nullo, vel ab aliquo quidem, sed non ab Ordinario poenitentis, vel ab illo, in cujus Dioecesi sit Dispensatio, approbatus est, etiamsi existat famosus, et doctissimus Theologiae Doctor Justis *loc. cit.* Sanchez *loc. cit. num.* 15.

450 Tertio requiritur, ut quis ab Oratore, pro quo dispensationis litterae sunt emanatae, ad exequendum specialiter sit electus: ita clara verba clausulae *num.* 441. positae. Ut proin haec tria copulative requirantur, consequenter etsi quis sit vere Doctor Theologiae, aut SS. Canonum, aut saltem speciali privilegio munitus, sed *non* approbatus a praefato Ordinario, vel etiam approbatus, sed non electus, vel electus, sed una ex praefatis conditionibus carens, invalida sit Dispensatio. Quod si vero praefatas tres conditiones habeat, valebit Dispensatio, etiamsi sit indoctissimus Doctor, ut cum aliis bene advertit Sanchez *loc. cit. n.* 17.

451 Illud tamen circa tertiam hanc conditionem notandum, quod, si *unus* Confessarius a poenitente electus exequi recuset, vel ob nimium rigorem poenitenti displiceat, possit iste variare, et alium eligere, qui forsan alterius et benignioris est opinionis Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 27. *num.* 40. Guttierez *de Matrim. cap.* 125. *num.* 18. Lezana ✠. *litterae Apostolicae num.* 19. Justis *de Dispensat. lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 122. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 72. dicens, ita saepe interrogatam Sac. Poenitentiariam ipsammet respondisse. Ratio est; quia commissio pro foro conscientiae sequitur fori naturam, nisi aliter exprimatur, natura autem fori interni non astringit poenitentem ad opinionem vel sententiam unius Confessarii, sed permittit variae, et alium eligere; ergo.

452 Caeterum dicta hactenus de necessitate trium praefatarum qualitatum in Executore intelligenda sunt de via ordinaria: ordinarie enim, seu regulariter loquendo, Poenitentiaria solet committere executionem *discreto viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario etc.* Quod si vero dicta Poenitentiaria commissionem, et inscriptionem aliter, et ita faciat *Discreto viro Confessori ex approbatis ab Ordinario* (prout facere potest, et in casu extraordinario solet,

si poenitens proponit, quod in suo loco, ubi degit, nullus Confessarius, qui esset Doctor in Theologia, vel Jure, reperiatur, ac propterea instat, ut alteri fiat commissio juxta dicta *num.* 427. poterit quivis approbatus ab Ordinario, vel alius per litteras specialiter deputatus illas exequi, etsi Doctor non sit.

453 II. Clausula: *Discretioni tuae committimus, quatenus si ita est etc.* vi hujus clausulae debet Executor poenitentem examinare, et videre, an preces veritate nitantur, v. g. an Matrimonium jam sit contractum, an impedimentum sit occultum, an scandala ex separatione verosimiliter sint timenda, vel an alia causa finalis allegata subsistat etc. et si preces veritate non niti repererit, dispensare non potest; quia veritas precum est conditio requisita ad valorem dispensationis, conditione autem non servata, invalida est Dispensatio, juxta communem et certam *arg. l. Diligenter. ff. Mandati. et c. Cum dilecta. de Rescript.*

454 Non tamen est necessarium, ut pro informatione adhibeat Notarium, vel testes, vel exigat juramentum a poenitente, sed sufficit ipsum solum examinare; cujus dein dictis fidem habere, et dispensare potest ac debet. Justis *lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 127. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 34. *n.* 21. Ponties *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 21. *n.* 16. et alii communiter. Ratio est; quia, cum Dispensatio committatur pro solo secreto foro conscientiae interno, attenduntur leges dicti fori, in quo creditur soli poenitenti etiam non juranti.

455 Id tamen limita in casu, quo Confessarius extra Confessionem certo sciret, preces veritate non niti; tunc enim nec deberet, nec valide posset exequi litteras; quantumvis contrarium mentiendo, vel opinando asserat poenitens. Sanch. *loc. cit.* Justis *loc. cit. n.* 129. Lezana *v. litterae Apostolicae. n.* 23. Diana *p.* 8. *Tract.* 3. *Resolut.* 108. cum communi *arg. cit. l. Diligenter. ff. Mandati.* cum concordat.

456 Porro si clausula de veritate precum simpliciter ita sonat: *si ita est*; vel *si preces veritate nitantur*, valida erit Dispensatio, etsi confessarius nullum examen poenitentis praemiserit; dummodo preces revera ita se habeant, seu a parte rei vere subsistant: si autem clausula ita sonat; *quatenus si ita esse per diligentem Oratoris examinationem etc. inveneris*, invalida foret dispensatio, si Executor non praemitteret examen Oratoris; quia vi hujus, non autem prioris clausulae praevium examen, et indagatio de veritate precum tanquam conditio requiritur per dicta supra *n.* 322. *et seq* Et haec distinctio circa diversitatem praefatae clausulae bene est notanda, quam non advertentes quidam DD. multum discrepant, et inaniter se fatigant.

457 III. Clausula est, *audita prius sacramentali confessione*: haec clausula de antiquo stylo non inserebatur Dispensationis litteris, et hinc Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 34. *num.* 29. Perez et alii ante novum stylum scribentes, non improbabiliter docuerunt, ad valorem Dispensationis per confessarium faciendae pro foro interno non praerequiri confessionem Sacramentalem. De facto autem certum est, ante Executionem debere poenitentem prius sacramentaliter confiteri Confessario debite qualificato, et ad exequendas litteras electo. Corrad. *lib.* 8. *cap.* 10. *num.* 51. Justis *de Dispensat. lib.* 1. *cap.* 8. *a num.* 105. Gobath *in Quinar. Tract.* 5. *cap.* 37. *n.* 176. Ratio est; quia, cum dicta clausula ablativo posita conditionem importet *l. a testatore ff. de Condit. et Demonstrat.* conditio autem formam *l. qui Haeredi. l. Maevius. ff. eod.* inevitabiliter ad valorem requiritur *c. cum dilecta.* 22. *de Rescript. et l. Diligenter.* 5. *ff. Mandati.* cum Concord.

Idque procedit, etsi poenitens prius alteri jam 458
fuerit confessus, et ab incestu, aliisque peccatis absolutus, de facto nullum in conscientia habeat peccatum mortale; quia clausula in ablativo posita per modum conditionis requirit, et *ipse confessarius ad exequendum electus* prius in ordine ad exequendas litteras Poenitentiariae audiat confessionem, consequenter servari debet per Jura *num. praeced.* allegata. Nec sublevat, quod poenitens ab alio jam absolutus, de praesenti non nisi venialia habeat, ad quae confitenda nemo tenetur, nullumque Ecclesia obligat, nec obligare posset, prout magis Theologi. Nam contra est, quod licet absolute loquendo nemo teneatur confiteri venialia, et ad ea confitenda Ecclesia nullum obliget, et forsan nullum obligare possit, tamen potest Ecclesia ad ea confitenda obligare conditionata, et dicere, quicunque indistincte (consequenter etiam nullo peccato mortali irretitus *arg. c. quia circa. de Privileg.*) vult particeps esse hujus, vel illius specialis gratiae, et favoris, prius confiteatur sacramentaliter, uti in casu nostro expresse sit.

IV. Accedit clausula, et priorem confirmat, ne- 459
cessitatemque confitendi sacramentaliter ipsi electo ad exequendum Confessario subsequens: *in foro conscientiae, et in ipso actu sacramentalis Confessionis, et non aliter, nec alio modo.* Quae verba jam emphatica et clara sunt ad propositum, ut nullus remanere possit dubitandi locus; praesertim cum dicta clausula, *non aliter, nec alio modo* indicet praecisam necessitatem, ita ut prorsus nullam admittat modificationem, vel interpretationem. Jason. *in l. stipulatus sum. ff. de V. O.* Alex. *consil.* 3. Barbosa *de clausul. claus.* 281. et saepius Rota cum communi. Cujus consideratione Gobath, licet *loc. cit. a n.* 183. pluribus rationibus probare conetur, probabile esse, eum, qui nullum habet peccatum mortale, non teneri confiteri pro obtinenda Dispensationis gratia, tamen infra *num.* 256. id rursus revocare videtur dicens, se non audere practicare doctrinam, quam prius probabilem reputavit.

Et ex his cessat etiam controversia illa, an possit 460
Confessarius ad dispensandum electus, extra actum sacramentalis confessionis dispensare; cum enim clausula dupliciter conditionata expresse dicat, quod fieri debeat *in ipso actu sacramentalis confessionis tantum, et non aliter, nec alio modo*, palam est, quod fieri nequeat extra confessionem per dicta *num. praeced.* et Jura *n.* 457. allegata. Accedente praesertim dictione *tantum*, quae solum includit expressum, et caetera excludit. *arg. l. qui aliena. §. libertas. ff. de Negot. gest.* cum Concord. Et Doctores allegati per Barb. *de Diction. Dictione.* 402. *n.* 2.

Hinc caute legendi, et minime sequendi sunt Do- 461
ctores, praesertim ante stylum modernum scribentes, et in materia ista contrarium tenentes, inter quos est Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 34. *n.* 29. quibus vitio vertendum non est, eo quod clausulae istae *n.* 457. *et n.* 459. positae, juxta antiquum stylum, non erant insertae litteris Dispensationis.

V. Clausula: *eo sublata occasione, si qua adhuc* 462
extat, amplius cum dicta sorore peccandi Quae clausula, quia rursus in ablativo ponitur, conditionem importat, et necessario servari debet per jura supra allegata. Videtur autem hic per *occasionem peccandi* intelligi occasio proxima: qualis est, si Orator cum sorore v. g. uxoris putativae saepius peccaret ex eo, quod in eadem domo existat; non item si in aliena, vel in eadem quidem versetur, emendatio tamen jam est facta, ita ut periculum proximum

subesse non amplius censeatur, uti bene advertit Gobath *in Quinar. Tract.* 5. *cap.* 37. *n.* 189.

463 Caeterum si occasionem adhuc subsistere, ex audita confessione prudenter cognoscit Confessarius, debet ante omnia mandare poenitenti, ut occasionem proximam tollat, et interea, donec occasio actu sublata sit, Dispensationem differre; quia clausula expresse, et quidem in ablativo posita consequenter per modum conditionis *arg. l. a testatore. ff. de Condit. et Demonst.* vult, ut antequam dispensetur, occasio actu sit ablata, ibi *sublata occasione*, consequenter ante actualem ablationem ejusdem dispensari nequit *arg. l. qui haeredi. ff. eod.* si vero eam ablatam esse, vel ob secutam emendationem, nullum amplius periculum subsistere cognoscit, sub ipso actu sacramentalis Confessionis, cum ipso dispensare potest et debet, observata tamen etiam prius sequenti

464 VI. Clausula; *injuncta ei pro tam enormis libidinis excessu, gravi poenitentia salutari, ac Confessione sacramentali peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur*: quae clausula rursus in ablativo posita pariter conditionem importat *l. a testatore. ff. de Condit. et Demonst.* et consequenter ante dispensationem adimplenda est, saltem quoad impositionem menstruae confessionis citatae *l. Maevius. ff. eod.* Non enim apparet, cur minus haec, quam aliae conditiones necessario observandae sint.

465 Nec movet Sanchez cum dicit, id, quod alias de Jure inest (qualis est injungenda poenitentia in quavis Confessione sacramentali) non importare conditionem, consequenter si omittatur, non annullare actum. Resp. enim, quod, licet aliqua poenitentia in quavis confessione sit injungenda, et consequenter de Jure insit; tamen de Jure non inest certa ac specificata poenitentia, videlicet singulis mensibus confitendi; consequenter in ablativo posita neque ac aliae clausulae conditionem respectu Dispensationis importat.

466 Porro licet olim fuerit in arbitrio confessarii, temperare menstruam confessionem, et loco illius bimestrem v. g. vel et trimestrem injungere juxta Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 34. *num.* 35. Lezana §. *litterae Apostolicae. n.* 26. Diana *p.* 8. *Tract.* 3. *Resolut.* 109. eo quod juxta antiquum stylum praefata clausula omissis illis verbis, *ut minimum semel* fuerit posita; hodie tamen in ejusdem Confessarii arbitrio non est, sed debet necessario injungere poenitenti, ut per totam vitam *ad minimum semel* in mense confiteatur, eo quod dictio *ad minimum* idem significet, ac dictio *saltem*, quae est implicativa, non limitativa. Barbos. *de Diction. dict.* 355. *num.* 6. Gobath *in Quinar. cap.* 37. *num.* 213. et 214. qui *num.* 222. addit, et bene probat, mortaliter peccare poenitentem toties, quoties in mense aliquo semel confiteri omittit. *arg. c. Ne in agro. de statu Monach.* et a simili de praecepto Ecclesiae singulis diebus festivis audiendi Missam.

467 Reliqua tamen salutaris poenitentiae gravis opera, quia Sac. Poenitentiaria non sunt determinata, censentur relicta pendenti arbitrio Confessarii, qui pro diversitate delicti, et personae eam imponet; ita tamen, ut consideratis considerandis revera gravis sit, et dici possit. Inter poenitentiae opera injungenda servire possunt opera Religionis v. g. litaniae, vel ter, aut quinquies pater et ave singulis diebus per unum, duos vel tres annos recitanda, vel singulis septimanis Rosarium per totam vitam: Item Opera charitatis v. g. largitio eleemosynae juxta illud Daniel. 4 *peccata tua eleemosynis redime*. Item Opera mortificationis v. g. jejunium, vel abstinentia uno vel pluribus diebus in mense, septimana etc.

VII. *quibusvis sententiis, censuris etc absolvas in forma Ecclesiae consueta*, ea scilicet, qua Ecclesia in foro sacramentali uti solet. Gobath *loc. cit. n.* 207. citans Bonacin. *Disp.* 1. *de Legib. q.* 2. *p.* 2. *n.* 19 468

VIII. *Dummodo impedimentum praefatum sit occultum*; quae clausula iterum conditionem, et consequenter id importat, quod si impedimentum jam esset manifestum, Dispensatio fieri non posset, et facta invalida foret etiam pro foro interno per jura *n.* 457. citata. Quando autem dicatur *occultum*, quando publicum, diximus supra *n.* 41. 469

IX. *Et separatio inter latorem, et mulierem fieri non possit absque scandalo: ex cohabitatione vero de incontinentia probabiliter timendum tibi visum fuerit.* Vult haec clausula, et, si absque scandalo separari possint putativi conjuges, vel saltem, si separari nequeant, ut frater et soror cohabitare sine periculo incontinentiae valeant, negata Dispensatione putativos conjuges ad id inducat. Verum notant circa hanc clausulam communiter DD. praesertim Sanch. *lib.* 8 *Disp.* 34 *num.* 60. Justis *lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 178. Lezana §. *litterae Apostolicae. n.* 30. ordinarie non esse necesse, ut Confessarius experientiam capiat, si ex praeteritis, vel praesentibus, aut alias consideratis considerandis personarum ut rerum circumstantiis prudenter judicat, conjuges nec sine scandalo amplius separari, nec absque incontinentiae periculo ut frater et soror cohabitare posse: uti ordinarie fieri nequit hoc ipso, quod prius pro veris conjugibus habiti varias suspiciones, aut diffamationem in populo causarent, si separati vivere deberent; cohabitantes autem sine periculo incontinentiae nunquam, aut rarissime aliquos victoros sperandum sit. Frustra autem expectatur eventus, cujus nullus est effectus c. *cum contingat. de Off. et potest. delegat.* Nec obligat ulla lex ad actus frustraneos et inutiles *l. quoties.* 12. *ff. de Reb. dub.* Hinc neque necesse est, ut Confessarius multum indaget, sed potest ipsis conjugibus simpliciter asserentibus credere, et ad verbum ipsorum dispensare, nisi manifeste videret, illos sine ullo scandalo separari posse, prout v. g. contingere posset, si putativi conjuges vagi, et in loco Dispensationis penitus ignoti essent, consequenter absque scandalo separari facile possent; nisi forsan invicem ita essent affecti, ut nulla ratione separari vellent, et negata dispensatione nihilo minus in priori malo statu permanere maximo cum ipsorum proprio scandalo praeviderentur. 470

X. *Aliudque Canonicum non obstet impedimentum.* quia Dispensatio non nisi super petitis datur, ut data censetur, consequenter aliud non expressum minime tollit, ut habet certa et communis *arg. c. Inter dilectos.* 6. §. *Caeterum de Fide Instrum.* et dictum est supra. Hinc si Confessarius praeter expressum in litteris impedimentum, etiam alio laborare poenitentem cognoscit, dispensare nequit; etsi bona fide, et ex ignorantia invincibili illud exprimere omiserit poenitens. 471

XI. *Dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur.* De sensu et adimpletione hujus clausulae dicetur infra §. *finali.* 472

XII *Ut Matrimonium secrete ad vitanda scandala*, id est, sine Parocho, et testibus de novo contrahere valeant, prout amplius dicemus infra *cit.* §. *finali.* 473

XIII. *Prolem susceptam, si qua sit, exinde legitimam decernendo in foro conscientiae tantum.* Pro intelligentia hujus clausulae plura sunt notanda. Et primo quidem, quod, si Matrimonium praemissis denuntiationibus in facie Ecclesiae bona fide saltem 474

ex parte unius jam erat contractum, proles ex eo nata quoad omnia in utroque foro ipso jure sit legitima per Jura *et* rationes allegatas *Tit. XVII.* §. *t. a. n. u.*

475 Secundo, si proles fuit concepta ante Dispensationem et Matrimonio mala fide ex parte utriusque contracto, legitimatur vi dictae clausulae in foro conscientiae quoad omnes affectus tam temporales, successionem v. g. *in* haereditate, quam spirituales; eo quod *tunc* Pontifex censeatur dispensare in radice Matrimonii juxta dicta supra *n.* 357. *et seq.* contra Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 7. *a n.* 20.

476 Tertio, si proles concepta et nata fuit ante Matrimonium invalide contractum, vi dictae clausulae etiam pro foro interno legitimatur tantum quoad effectus spirituales, consequenter uno in occulto bona conscientia succedere potest in bonis temporalibus, si extant alii liberi legitimi per dicta *num.* 356. et etiam *Lib. III. Tit. XXXI. de Testam. et XXXII. a n.* 18.

477 Quarto, si post dispensationem ex Matrimonio mala fide utriusque prius invalide contracto, nunc autem revalidato nascitur proles, legitima censetur proles quoad omnes effectus temporales, *et* spirituales per dicta *cit. Tit. XXXII. a n.* 2.

478 Quinto, quod dicta clausula memoratos praefatos tres *a. n.* 475. enumeratos effectus pariat in foro conscientiae tantum, nullatenus vero in foro externo, casu, quo impedimentum evaderet manifestum, uti patet ex clausula ponenda *n.* 480.

479 Interes notandum, quod sicut supra *n.* 457. de Dispensatione diximus, legitimatio haec prolis necessario fieri debeat in ipso actu Confessionis sacramentalis, et extra illam facta sit invalida etiam pro foro interno, eo quod in litteris Dispensationis expresse caveatur, et pro forma praescribatur, *ut proles, si qua sit, legitima decernatur in ipso actu sacramentalis Confessionis, et non aliter, nec alio modo.*

480 XIV. *In foro conscientiae tantum etc. ita et hujusmodi absolutio, et Dispensatio latori in foro judiciario nullatenus suffragentur.* Haec clausula aperte indicat, quod Sac. poenitentiaria, uti non potest, ita nec velit aliter absolvere, dispensare, et legitimare, quam in casibus occultis pro solo interno foro. Hinc juxta communem et certam DD. si impedimentum aliquando desineret esse occultum, et evaderet publicum quocunque *tandem* modo, Ordinarius ad evitanda publica scandala illico separare deberet conjuges, quantumvis in foro interno vi Dispensationis legitimos, etiamsi Ordinarius ipsemet pro foro interno cum ipsis dispensasset, juxta dicenda infra vel aliunde certo sciret, Sac. Poenitentiariam cum ipsis dispensasse. Pariter subjacerent poenis a Jure statutis, ipsaeque proles quoad omnia reputarentur illegitimae, eo quod in ordine ad forum externum nullum prorsus effectum habeant Poenitentiariae litterae, prout ipsaemet clare indicant per clausulam in foro conscientiae *tantum*, et in foro judiciario *nullatenus* suffragentur. Cum dictio *tantum* praecise includat expressum, et reliqua omnia excludat *arg. l. qui sella.* §. *qui actum. ff. de Servitut. rust. praed.* cum Concord. et dictio *nullatenus* sit universaliter negativa excludens omnia etiam minima, et negans omnes casus, uti cum communi amplius refert Barbos. *de Diction. diction. Nullatenus. arg. l. fin. C. de Testam. milit.* cum Concord. Hinc ne quid pro foro externo probari valeat, ponit alterius Sac. Poenitentiaria sequentes clausulas.

481 XV. *Nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis*, vi cujus clausulae vult, ut pro Dispensatione facienda, vel facta nullus testis adhibeatur, nec de ea facta litteras testimoniales det confessarius, nec ipsemet oretenus desuper *testetur*, sed circa eam, utpote in, et sub ipso sacramentali actu praecise factam, in foro externo se habeat, quasi nil de ea sciret. Ad quem finem observanda etiam est sequens clausula.

XVI. *Praesentibus laniatis, quas sub poena ex-* 482
communicationis latae sententiae laniare tenearis, ita nullum earum exemplum extet. Per quam clausulam tenetur Confessarius sub gravi peccato mortali dilacerare Dispensationis litteras; eo quod excommunicatio, quae non dilaceranti ipso facto infligitur, non nisi propter peccatum mortale infligatur juxta communem TT. ubi tamen per *laniationem* non solum intelligitur proprie dicta laniatio, seu dilaceratio, sed quivis alius actus, quo litterae ita corrumpuntur, ut non amplius possint esse usui, *aut* probationi pro foro externo, quod praecipue intendit Sac. Poenitentiaria. *arg. c. Intelligentia. de V. S.* ibi: *intelligentia dictorum ex causis est sumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus.* Et, *scire leges non hoc est verba earum tenere, sed vim ac potestatem, l. scire. ff. de Legib.* Hinc satisfaceret quia clausulae, si dictas litteras combureret, in profluentem projiceret, deleret etc.

Potest etiam eas describere, et copiam pro sua, 483
vel aliorum instructione retinere: quia illa verba ita ut *nullum earum exemplum extet*, prohibeot tantum copiam authenticam in debita Juris forma factam, servientem ad probandum pro foro externo, *ut* bene advertit Gobath *in Quinar. Tract.* 5. *cap.* 34. *n.* 273.

XVII. *Neque latori restituas.* Contra hanc clau- 484
sulam rursus graviter peccaret Confessarius, si litteras executioni aliquando mandatas, iterum restitueret poenitenti, ut bene *loc. cit. n.* 274. observat Gobath, merito tamen addens, novam excommunicationem propterea non incurri.

Dicitur autem noteter *litteras executioni manda-* 485
tas; quia, si eas ex aliqua causa exequi non vellet, aut tardaret Confessarius ad exequendum a poenitente electus, debet illas petenti iterum tradere, ut possit alium Confessarium quaerere, et eligere, qui forsan alterius, et benignioris opinionis existens, easdem exequi *non* dubitet, quod poenitenti licitum esse, supra *n.* 451. jam diximus.

XVIII. *Quod si restitueris, nil ei praesentes litte-* 486
rae suffragentur; intellige in foro externo; quia postquam executioni jam fuere mandatae, earum valor et effectus pro foro interno minime tollitur ex eo, quod Confessarius illas iterum tradat poenitenti, quamvis tradendo graviter peccet juxta dicta *n.* 484.

XIX. *Gratis ubique*, haec a tergo inscribi solita id 487
significat, quod nec Officiales Poenitentiariae, nec Executores litterarum illius possint aliquid exigere, vel acceptare etiam sponte oblatum, etiam sub praetextu laboris. Lezana *v. litterae Apostolicae. num.* 34. Gobath *in Quinar. Tract.* 5. *cap.* 37. *num.* 279. Post factam vero Dispensationem aliquid gratis oblatum accipi posse, desumitur ex dictis *num.* 821.

Quaeritur VI. Quis possit esse executor littera- 488
rum Dispensationis a Sac. Poenitentiaria emanatarum pro solo foro interno? Quamvis ad hoc quaesitum jam pateat ex dictis hoc §. tamen pro majori commoditate breviter recapitulando dicta, Resp. I. Ordinarie loquendo nullus potest exequi dictas litteras, et dispensare cum poenitenti, nisi *sit* verus Magister, seu Doctor in Theologia, vel Jure Canonico juxta dicta *num.* 441. Vel habeat speciale privilegium, prout juxta dicta *num.* 445. sunt Lectores Jubilati Ordinis nostri, item Patres Societatis, et alii Mendicantes *a* Generalibus rite designati

per dicta *n.* 446. *et seq.* Debet insuper esse approbatus ab Ordinario per dicta *n.* 449. et specialiter electus a poenitente per dicta *n.* 450.

Resp. II. In *caso* extraordinario possunt etiam alii non Magistri, vel Doctore exequi praefatas litteras juxta dicta *n.* 452.

489 Quaeritur VII. Quomodo in praxi gerere se debeat a poenitente electus Executor, ut rite, valide, ac licite exequatur memoratas litteras? Resp. Debet observare sequentia. Primo debet considerare, et perpendere, an ipse habeat qualitates ad exequendum requisitas juxta dicta, alias enim foret invalida.

Secundo: debet monere latorem de necessitate confitendi juxta dicta, illiusque Confessionem sacramentalem excipere juxta dicta *n.* 457.

Tertio: debet ipsum examinare poenitentem, ac videre, an preces veritate nitantur, existente enim falsitate circa causam motivam, vel errore circa impedimentum, aut gradum, dispensare nequit juxta dicta *a n.* 423. Et an non aliud lateat impedimentum juxta dicta *n.* 471.

Quarto: debet obiter saltem videre, an non sine scandalo separari, vel saltem ut frater et soror absque periculo incontinentiae cohabitare possint, juxta dicta *n.* 471.

Quinto: debet mandare poenitenti, ut occasionem proximam peccandi, si adhuc extat, amoveat, et donec auferatur, Dispensationem differre juxta dicta *n.* 462.

Sexto: debet etiam ante Dispensationem ipsi injungere gravem poenitentiam, ac insuper Confessionem menstruam singulis mensibus ad minimum semel peragendam toto tempore vitae, juxta dicta *n.* 464.

Septimo: injuncta poenitentia debet ipsum absolvere a censuris, et aliis poenis, juxta dicta *n.* 468.

Octavo: praestitis, et rite observatis praefatis debet primum cum ipso dispensare sub ipso adhuc Confessionis sacramentalis acto, et non extra Confessionem, juxta dicta *n.* 457.

Nono: sub eodem Confessionis actu prolem, si qua jam sit concepta, decernere legitimam, juxta dicta *n.* 474.

Decimo: instruere poenitentem, qualiter Matrimonium de novo contrahere possit, et debeat, juxta dicenda §. *fin.*

Undecimo: facta executione, dispensatione, et legitimatione prolis debet sub peccato mortali, et excommunicatione litteras dilacerare, vel alias ita corrumpere, ut ad probationem in foro externo non amplius servire valeant, juxta dicta *n.* 482. Nec potest eas in originali asservare, multo minus restituere poenitenti, per dicta *n.* 484.

Duodecimo: non debet, nec potest poenitenti dare litteras testimoniales de facta Dispensatione, nec unquam oretenus desuper testari, juxta dicta *num.* 481.

§. X.

De Praxi procurandi Dispensationem apud Episcopum, tam pro foro externo, quam solo interno: Item de Praxi Dispensationis faciendae per Episcopum, ac de formulis litterarum Dispensationis Episcopalis: Nec non de executione earundem.

SUMMARIUM.

490 *Dispensationem procurare volens apud Episcopum, debet ante omnia videre, an Episcopus in casu dispensare valeat.*

491 *Et subinde, an Oratores sint vere pauperes.*

492 *Item an adsit justa causa dispensandi.*

493 *In supplicatione, quae pro Dispensatione offertur Episcopo, debent exprimi, quae exprimenda sunt in supplicatione, quae Papae offertur.*

494 *Quae falsitas, et quis error in ea vitiet Dispensationem?*

495 *Formula supplicationis Episcopo offerendae pro Dispensatione super impedimento consanguinitatis in tertio, et quarto gradu.*

496 *Formula similis super impedimento publicae honestatis.*

497 *Alia formula ex causa praecedentis copulae.*

498 *Supplicatio cui offerri debeat?*

499 *Recepta supplicatione debet Episcopus se informare de valore precum.*

500 *Et quomodo? ac num. seqq.*

503 *Potest Episcopus dispensandi facultatem sibi generaliter concessam alteri subdelegare, et per eum dispensare.*

504 *Optimum et decens est, quod Episcopus eo modo litteras Dispensationis expediat, quo expedit Curia Romana.*

505 *Formula Dispensationis Episcopalis, dum eam alteri committit.*

Quando alicui conceditur finis, conceduntur etiam media. Ibid.

506 *Executor in eis exequendis observare debet ea, quae executor litterarum Apostolicarum.*

507 *Formula Dispensationis Episcopalis, quam ipsemet Episcopus per se, et non per subdelegatum facit pro foro externo ex facultate sibi generaliter concessa.*

508 *Dispensationem pro foro interno apud Episcopum, qui procurare vult, debet prius videre, an adsint conditiones requisitae ad hoc, ut Episcopus dispensare valeat. Et quae illae?*

509 *Et an possit super impedimento dispensare? et super quo possit? Ibid.*

510 *Dispensatio potest oretenus peti et dari.*

511 *Sed non expedit et num. seq.*

513 *Quando apud Episcopum petitur Dispensatio, quaenam exprimi debeant? et num. seq.*

515 *Et quis error, vel falsitas vitiet?*

516 *Modus supplicandi Sac. Poenitentiariae et Episcopo ad obtinendam Dispensationem pro solo foro interno est fere idem.*

517 *Formula hujusmodi, et duobus seqq.*

520 *Juxta aliquos potest Episcopus pro foro interno oretenus dispensare.*

521 *Contrarium est securius.*

522 *Probatur ex Regulis Cancellariae.*

523 *Solvitur Objectio et num. seq.*

525 *Ante Dispensationem attendere debet Episcopus, an adsint requisitae conditiones.*

526 *Litterae Dispensationis Episcopalis commodissime inscribuntur et committuntur confessario ex approbatis in genere et n. 528.*

527 *Formula Dispensationis Episcopalis pro foro externo*

529 *Ille, ad quem in specie diriguntur litterae, non potest illas exequi, nisi a Poenitente specialiter eligatur.*

530 *Executor Dispensationis Episcopalis pro foro interno quis esse possit?*

531 *Et quomodo in praxi exequi debeat?*

Quaeritur I. Quomodo in praxi procurari possit, et debeat apud Episcopum Dispensatio super publico impedimento Matrimonii pro foro externo? Quamvis etiam ad istam 490

quaestionem a potiori jam pateat ex dictis; nihilo minus quia hanc Appendicem scribimus pro commoditate cujusvis, abs re non erit, breviter, et clare partim repetere, partim magis ad praxin declarare, quae pro praesenti quaesito serviant, praesertim cum minus de iis ad propositum inveniatur in Auctoribus. Itaque Resp. Eum, qui pro foro externo Dispensationem procurare vult apud Episcopum, oportet sequentia observare.

Primo et ante omnia debet videre, an super impedimento, super quo Dispensatio desideratur, dispensare valeat Episcopus de Jure communi, vel speciali facultate, et quasi privilegio. Super quibus autem de Jure communi dispensare possit, habetur supra *a n.* 10. Et super quibus ex speciali facultate, vel quasi privilegio *n.* 21. et 22.

491 Secundo, si Consanguinitatis, vel Affinitatis est impedimentum specialiter etiam videre debet, an Oratores revera sint pauperes: quia super hoc impedimento non nisi cum pauperibus dispensare valet Episcopus juxta dicta *n.* 25.

492 Tertio debet videre, an et qualis adsit causa dispensandi, quia etsi nescio quas dispensandi speciales facultates, seu quasi privilegia habeat Episcopus, tamen sine justa causa nec valide, nec licite dispensare potest juxta dicta *num.* 29. sufficit autem ad dispensandum pro foro externo quaevis talis causa, ex qua dispensare potest, et solet Papa juxta dicta *num.* 68. *et* 144. quaenam autem sint causae, ob quas dispensare solet Papa, habes §. III. *a n.* 69.

493 Quaeritur II. Quaenam in supplicatione ad Episcopum debeant exprimi ad obtinendam Dispensationem pro foro externo? Item quomodo in praxi formari et quo dirigi debeat dicta supplicatio? Resp. I. Debent in illa omnia exprimi, quae necessario exprimenda diximus in supplicatione ad obtinendam Dispensationem pro foro externo apud Curiam Romanam, videlicet 1. Nomen et Cognomen Oratorum. 2. Nomen Dioecesis; et etiam Parochiae ob dicenda *n.* 495. Et reliqua compendiose relata supra *n.* 203. *ubi vide.*

494 Resp. III. Debet etiam specialiter attendi, ne committatur falsitas circa causam finalem, seu motivam, et principalem; Item ne fiat error circa impedimentum, aut gradum, vel nomina Oratorum. Sicut enim litterae Dispensationis Pontificiae vitiantur et nullae sunt ob dictam falsitatem, et errorem per dicta §. 5. ita etiam Dispensatio per Episcopum facta juxta dicta supra.

495 Resp. III. Quamvis ad concipiendam supplicationem pro obtinenda Dispensatione apud Episcopum in ordine ad forum internum, nullus certus necessarius sit modus, sed suscipi, et attendi soleat in quacunque forma offeratur; dummodo necessario exprimenda rite, veridice, et reverentialiter proponantur, teste Curiarum Episcopalium praxi; tamen optimum ac securissimum est, in supplicatione eum adhibere modum et formam, qui adhibetur, dum supplicatur Papae; quia non potest non esse bonus et securus modus, quem Romana Curia continuo approbat.

Hinc sicut apud Curiam Romanam debet, ita apud Episcopum convenit, supplicationem formare idiomate latino, propriis, clariis, usitatis, et brevibus verbis juxta dicta *num.* 236. quia etiam Episcopus non desiderat inutiles ambages aut superfluas ceremonias, multo minus quaesita ornata, vel affectata verba, sed substantiam rei simpliciter, clare, et breviter propositam.

Resp. IV. Dictis conformiter bene fit supplicatio ad Episcopum modo sequenti.

Formula supplicandi Episcopo ad obtinendam pro foro externo Dispensationem super impedimento Consanguinitatis in tertio et quarto gradu ex defectu competentis dotis.

Titulus v. g. ad Episcopum Germaniae.

Reverendissime ac Celsissime S. R. I. Princeps, Domine Clementissime.

Exponitur humiliter Celsitudini Vestrae pro parte devotorum Illius Oratorum Casimiri N. laici, et Annae N. Dioecesis, Frisingensis, Parochiae N. (expedit addere Oratorum Parochiam, quia sicut Papa Episcopis, ita Episcopi solent nonnunquam Oratorum Parocho committere vel ipsam Dispensationem, vel saltem capiendam informationem super expositis: quod si Oratores sint diversae Parochiae, ita exprimatur: *quorum ille Aubingensis, ista vero Cambensis est Parochiae*) *quod, cum dicta Oratrix dotem habeat minus competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat et dictus Orator cum dicta minus competente dote Oratricem in uxorem ducere intendat, cupiunt Oratores praefati invicem matrimonialiter copulari, sed quia tertio et quarto communi stipite provenientibus gradibus invicem conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Dispensatione: quoniam vero sciunt, Celsitudinem suam gaudere speciali per Sedem Apostolicam concessa facultate dispensandi cum pauperibus* (*quales Oratores revera sunt*) *in tertio et quarto, supplicant humiliter, quatenus cum eisdem Oratoribus, quod impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, Matrimonium inter se publice servata forma Concilii Trident. contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum remanere libere et licite valeant, dispensare; distantiam vero quarti gradus non obstare, declarare dignetur de speciali gratia. Non obstantibus praemissis, et Constitutionibus, ac Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscunque.*

Ad hunc modum potest etiam ex aliis causis, et aliis impedimentis fieri supplicatio, proponendo ac immiscendo causas, ac impedimenta, ipsamque petitionem faciendo juxta dicta *a n.* 244. *et* 267. *ac* 277. v. g.

Formula supplicationis pro Dispensatione super impedimento publicae honestatis, ex causa aetatis mulieris. 496

Reverendissime etc. ut supra.

Exponitur humillime ut supra *num. praeced. quod, cum dicta Oratrix vigesimum quartum annum, et ultra aetatis suae agens, virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Cupiunt Oratores praefati invicem matrimonialiter copulari. Sed quia alias dictus Orator sponsalia per verba de futuro cum Oratricis sorore, vel matre adhuc superstite, vel ad praesens defuncta contraxit, suum desiderium etc.* ut supra *num. praeced. Quoniam vero sciunt Celsitudinem suam gaudere speciali facultate per Sedem Apostolicam concessa dispensandi super impedimento publicae honestatis,* (nota non esse necesse circa hoc impedimentum addere paupertatem Oratorum, quia super hoc, et nonnullis aliis impedimentis potest Episcopus cum omnibus etiam non pauperibus dispensare juxta dicta *num.* 25.) Hinc *supplicant humiliter, quatenus non obstante publicae honestatis impedimento hujusmodi, ex sponsalibus de futuro proveniente,*

Matrimonium inter se puplice servat a forma Concilii Trident. contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum remanere libere, et licite valeant, dispensare dignetur. Non obstantibus etc.

Formula supplicationis pro Dispensatione super impedimento Cognationis spiritualis ex causa praecedentis copulae.

497 Si petitur Dispensatio ob praecedentem copulam vel Matrimonium jam contractum, solicitatur etiam legitimatio prolis, fitque mutatis mutandis supplicatio ut supra a *n.* 160.

498 Resp. V. Supplicatione rite formata possunt Oratores vel per se ipsos, tertium v. g. Parochum mittere, vel personaliter offerre ipsi Episcopo, aut ejus Vicario Generali, vel Consilio Ecclesiastico, facta tamen inscriptione per competentem Titulum ipsi Episcopo, qua recepta fieri curabit Episcopus informationem debitam, et faciet, quod justum videbitur.

499 Quaeritur III. An? (et quomodo Episcopus ante Dispensationem de precibus, et aliis in supplicatione expositis se informare debeat? Resp. I. Quotiescunque petitur dispensatio pro foro externo, non statim debet, nec potest Episcopus fidem habere soli Oratorum assertioni, et dispensare, sed debet prius, num preces veritate nitantur, sufficientem informationem capere. Communis, ac certa. Ratio patet; quia alias saepe evenirent scandala publica ob nullitatem plurium matrimoniorum publice contractorum, nonnullis Oratoribus vel ex ignorantia, et bona fide, vel ex fraude, et malitia, falsa narrantibus, vel in re graviter errantibus; scandala autem pro viribus evitare tenetur Episcopus *per vulgaria*: ergo.

500 Resp. II. Modus informandi se de precum veritate., aliisque expositis idem esse potest cum illo, quo uti potest et debet, dum ex speciali delegatione executor est Apostolicarum litterarum Dispensationis: de quo modo vide *a num.* 327. cum remissione; item *num.* 359. Potest autem dictam informationem vel ipsemet capere citando Oratores, vel testes necessarios ad sedem suam Episcopalem, vel eam committere tertio v. g. Parocho Oratorum juxta dicta.

501 Resp. III. Si petitur Dispensatio apud privilegiatum Episcopum super impedimento Affinitatis, vel Consanguinitatis, debet specialiter etiam se informare de paupertate Oratorum. Ratio patet; quia cum ipse super isto impedimento non nisi cum pauperibus dispensare valeat pro foro externo, uti constat ex tenore specialium facultatum *n.* 22. *et* 25. allegato, utique prius et legitime censtare debet de Oratorum qualitate.

502 Modus autem capiendi informationem de paupertate Oratorum est, quem praescripsit Urbanus VIII. juxta formam supra *n.* 402. allegatam. Quis autem habendus sit pauper, habes etiam supra *a num.* 322.

503 Quaeritur IV. Qualiter capta informatione debita, et verificatis verificandis actu dispensare? Item qualiter litteras Dispensationis expedire possit, et debeat Episcopus pro foro externo? Resp. I. Quamvis Episcopus non possit delegare alteri potestatem dispensandi specialiter sibi concessam pro executione litterarum Apostolicarum juxta dicta et probata supra *n.* 353. Potest tamen specialem facultatem dispensandi sibi generaliter, et quasi per modum privilegii concessam alteri delegare, consequenter non tantum per se ipsum, sed etiam per alium dispensare pro foro externo. Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 31. *num.* 1. Sperel. *decis.* 106. *num.* 46. Maranta *de Ord. Jud. p.* 4. *d.* 5. Ratio: Tum quia Delegatus Principis (qualis utique est Papa) potest subdelegare. *arg. c. cum causa* § *fin. de Appellat.* et *l. un. C. qui pro sua Jurisdict.* nisi Papa deleget nudum ministerium in causa particulari juxta *n.* 353. *arg. c. fin.* §. *fin. de Offic. Delegat.* Tum quia, si facultas generaliter delegatur dispensandi cum quosis super certis impedimentis, censetur concessa ad universitatem causarum in hac materia; atqui Delegatus ad universalitatem causarum in hac materia potest subdelegare, et cum communi docuimus *Lib. I. Tit. XXIX. num.* 62.

Confirmatur ex ipso tenore ipsarum specialium facultatum generaliter concessarum Episcopis Germaniae, utpote in quibus expresse conceditur potestas *communicandi praefatas facultates* in *totum, vel in partem, prout opus esse secundum conscientiam ejus judicaverit, sacerdotibus idoneis etc.*

Caeterum bene notanda est haec differentia inter potestatem dispensandi *generaliter*, et *specialiter* concessam, siquidem illa subdelegari potest juxta modo dicta, non item ista per dicta *n.* 353.

Resp. II. Optimum et securissimum, simulque 504
decens est, quod Episcopus in expediendis Dispensationis suae litteris, quantum fieri potest, observet modum et stylum Curiae Romanae, ita tamen, ut dum ex speciali facultate generaliter sibi concessa dictis suis Dispensationis litteris inserat necessario inserenda juxta dicta *num.* 22. et clausulam ibidem statim ab initio allegatam, quam omnino lege, quia requiritur ad valorem. Ratio autem conclusionis est; quia Curia Romana tanquam Mater et Magistra ab omnibus est sequenda. Gonzalez *in Reg. VIII. Cancell.* Gloss. *VI num.* 211. Speculator *de Appellat. SS. de Officio quoque, num.* 14. Gigas *de Pension. Q.* 85 *ante n.* 3.

Infertur, quod, si alteri committat, seu deleget potestatem dispensandi super aliquo impedimento pro foro externo, Commissionis litteras seu mandatum de dispensando mutatis mutandis bene expediat ad modum litterarum Apostolicarum *n.* 293. allegatarum, uti ex sequente formula liquet.

Formula litterarum Episcopalium, quibus Parocho, vel alicui alteri delegat potestatem dispensandi sibi competentem ex speciali facultate, seu quasi privilegio generaliter concesso super impedimento publicae honestatis.

Nos NN. Dei, et Apostolicae Sedis gratia Episcopus N. etc.

Josepho N Parocho in N. salutem in Domino. Obla- 505
tae nobis nuper pro parte devotorum Oratorum Casimiri N. Laici, et Annae Dioecesis nostrae N. Parochiae N petitionis series continebat. Quod, cum (referontur per extensum preces ab Oratoribus factae v. g. ut supra num.) *dicta Anna vigesimum quartum annum et ultra aetatis suae agens, virum paris conditionis, cui nubere possit, non inveniat, Cupiunt Oratores matrimonialiter copulari. Sed quia publicum honestatis impedimentum ex sponsalibus de futuro proveniens eis obstat, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicae dispensatione. Quare Nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eisdem in praemissis de opportunae Dispensationis remedio de benignitate nostra providere dignaremur. Nos igitur (qui specialem a SS. Domino nostro Innocentio Papa XII. Mense Maii Anno ad quadriennium nobis generaliter concessam, et die. Mensis Martii anno. iterum renovatam habemus facultatem*

tenoris sequentis: dispensandi super impedimento publicae honestatis Justitiae ex sponsalibus provenientе) auctoritate Apostolica nobis delegata eosdem Casimirum et Annam, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum duntaxat praesentium consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes (debet et potest etiam in sua Dispensatione praemittere absolutionem praedictam. Debet; quia Oratores non essent capaces gratiae Dispensationis casu, quo excommunicatione irretiti existerent, juxta dicta *nn.* 310. *arg. c. 1. de Rescript. in* 6. Potest; quia quando Papa concedit finem, censetur etiam concedere media ad finem. *Arg. c. Praeterea 5. de Offic. delegat.* ibi. *Ex eo, quod causa sibi committatur, super omnibus, quae ad causam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem,* consequenter si facultas dispensandi conceditur, tacita etiam conceditur potestas absolvendi a censuris, et poenis in ordine ad consequendum effectum Dispensationis, cum sine tali absolutione effectus Dispensationis haberi non posset in excommunicato v. g. Haec tamen absolutio praecise valet ad consequendum Dispensationis effectum, non item ad alios effectus, et hinc habito Dispensationis effectu ita absoluti iterum relncidunt in priores poenas juxta dicta *num.* 312.) *ac certam de praemissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati Discretioni tuae, de qua in his specialem in Domino fiduciam habemus, hisce auctoritate Apostolica mandamus; quatenus deposita per te omni spe cujuscunque muneris, aut praemii etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere monemus, te de praemissis diligenter informes: et, si per informationem eandem preces veritate niti repereris, super quo Conscientiam tuam oneramus, tunc cum eodem Casimiro et Anna (dummodo illa propter hoc rapta non fuerit, aut si rapta fuerit, in potestate raptoris non amplius existat) quod impedimento publicae honestatis hujusmodi, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis nequaquam obstantibus, Matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Trident. contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum remanere libere et licite valeant, Auctoritate Apostolica, quam nobis in hoc generaliter delegatam, tibi specialiter communicamus, dispenses. In quorum fidem etc. Datum die Mense Anno.*

506 Quas Commissionis litteras debet subdelegatus mutatis mutandis exequi, et in executione clausulas, et alia observanda observare, sicut Apostolicas dispensationis litteras exequitur Papae Delegatus v. g. Vicarius Generalis juxta dicta §. *VII. a numero* 295.

507 Resp. III. Si Episcopus Dispensationem non delegat, sed ipsemet capta per se, vel alium informatione dispensat vi specialis facultatis, seu quasi privilegii pro foro externo, tunc verificatis verificandis ad imitationem styli Apostolici ita expedire potest litteras.

Formula Dispensationis Episcopalis, per ipsum Episcopum vigore specialis facultatis, et quasi privilegii facta, pro foro externo super impedimento Consanguinitatis, et Affinitatis in tertio et quarto gradu.

Nos NN. Dei, et Apostolicae Sedis gratia Episcopus N. Oblatae Nobis nuper pro parte devotorum etc. ut supra *num.* 505. (narrantur etiam preces Oratorum) *quod cum etc.* (ut supra v. g. *nu.* 495. quibus finitis pergitur) *Nos igitur, qui specialem a SS. Domino nostro Innocentio Papa XII. die Mensis Junii Anno Nobis ad quadriennium generaliter concessam, et die Mensis Anno a moderno SS. Domino nostro Clemente XI. denuo renovatam habemus tenoris sequentis:* (dispensandi in tertio et quarto simplici, et mixto tantum cum pauperibus in contrahendis, in contractis vero cum haereticis conversis etiam in secundo simplici, et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam) *capta de expositis diligenti informatione, et reperta precum veritate, simulque invento, quod Oratores vere pauperes suis labore et industria tantum viventes existant,* (si Dispensatio fit ob praecedentem copulam, aut Matrimonium jam contractum, subjungitur, *ac imposita illis salutari poenitentia NN. v. g. peregrinationis v. g. nec non recepto ab eis juramento, quod data opera ad Dispensationem facilius obtinendam crimen incestus non commiserint*) *eosdem Petrum et Claram, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis etc.* (sequitur absolutio a censuris ut supra *num.* 505 ob rationem ibidem allegatam) ac post verba, *et absolutos fore censentes, cum eodem Petro et Clara* (*dummodo illa propter hoc rapta non fuerit aut si rapta fuerit, in raptoris potestate non amplius existat*) *quod impedimento quarti Consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, Matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Trident. contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum remanere libere, et licite valeant, praefata Auctoritate Apostolica harum litterarum serie dispensamus; distantiam vero tertii gradus praedicti eis non obstare declaramus* (si ob praecedentem copulam, vel ob Matrimonium jam contractum dispensatur, additur etiam legitimatio prolis illis verbis) *prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam nuntiando In quorum etc. Datum N. Die Mensis Anno.*

Quaeritur V. Quomodo in praxi procurari possit, et debeat apud Episcopum Dispensatio super occulto impedimento Matrimonii pro solo foro interno? Resp. I. Volens pro solo foro interno Dispensationem procurare apud Episcopum, debet ante omnia videre, et bene considerare, an casus habeat conditiones necessario requisitas ad hoc, ut Episcopus pro foro interno dispensare valeat juxta dicta §. *1. num.* 15 et *toto* §. *II* Videlicet *primo.* An impedimentum revera sit occultum juxta dicta *a num* 43. Secundo, an adsit gravis causa, seu magna necessitas juxta dicta *a num.* 47. Tertio, an necessitas sit etiam urgens, ita ut non patiatur moram, donec Dispensatio Roma a S. Poenitentiaria veniat juxta dicta *a num.* 49. Quarto, An Matrimonium bona fide jam *sit* contractum in facie Ecclesiae, et praemissis denuntiationibus juxta dicta *a n.* 57. harum enim conditione vel unica deficiente, quia Episcopus dispensare non potest juxta dicta locis citatis, frustranee quis pro Dispensatione supplicaret, simulque graviter peccaret, si scienter induceret, aut inducere saltem conaretur ad Dispensationem nulliter faciendam, Matrimonio exinde invalide secuturo. Excepto solo casu valde extraordinario, quo Episcopus deficiente quarta conditione, id est, ante Matrimonium dispensare potest juxta dicta *a n.* 62. 508

509 Praeterea debet videre, an impedimentum sit tale, super quo concurrentibus allegatis *num. praeced.* conditionibus dispensare valet Episcopus. Potest

autem Episcopus concorrentibus dictis conditionibus pro solo foro interno dispensare super quovis impedimento, super quo etiam absque his conditionibus dispensare potest, et solet Sac. Poenitentiaria juxta dicta superius, quae Sac. Poenitentiaria super quovis impedimento occulto jure duntaxat Ecclesiastico dispensare potest, et solet, excepta impedimento etiam occulto Consanguinitatis in primo et secundo gradu inaequali juxta dicta supra num. 419. super qua proin aeque Episcopus dispensare poterit, quantumvis magna, et urgens adsit necessitas, bene vero super caeteris, accedente praesertim universali consuetudine et praxi, qua videmus, quod sicut Sac. Poenitentiaria, ita etiam Episcopus (concurrentibus praefatis conditionibus) dispensare solent pro foro interno etiam super primo gradu affinitatis tam in recta, quam in transversa linea v. g. quod quis contrahere possit Matrimonium cum filia, cujus matrem prius fornicarie cognovit.

510 Resp. II. Quamvis Dispensatio pro solo foro interno apud Episcopum, vel ejus Vicarium Generalem (si Hic desuper habet speciale mandatum juxta §. 1. *n.* 34.) oretenus procurari, sollicitari, et etiam oretenus dari valeat (dummodo requisitae conditiones adsint) tamen ordinarie loquendo longe securius et consultius est, indeque merito suadetur, ut Episcopus, vel Vicarius Generalis solicitationes oretenus factas pro Dispensatione etiam pro foro interno super impedimentis occultis non suscipiat, sed solicitanti dicat, ut memoriale, seu supplicationem expressis in ea necessaria exprimendis offerat, fore dein, quod rectum videbitur. Ratio primae partis est: Tum quia scriptura non est de essentia dispensationis juxta dicenda infra *num* 520. Tum quia ita habet passim vigens consuetudo nonnullarum Curiarum Episcopalium, quae deficientibus caeteris in hoc tribueret jurisdictionem *arg. c. Duo simul. de Offic. Ordinar.* et *c. Cum contingat*, 13. *de foro competenti*, dictumque est amplius *Lib. I. Tit. II. a num.* 471.

511 Ratio secundae partis est; quia periculosum est, Dispensationem concedere, nisi casus et preces prius bene perpendantur, iisque justis repertis, Dispensationi clausulae debitae apponantur, utqui neutrum horum commode fieri potest, si oretenus tantum, et non in scriptis pro Dispensatione supplicatur: Tum quia in supplicatione verbali saepe vel *non* omnia, vel *non* debite, et sufficienter proponantur, vel rite, proposita *non* semper bene percipiuntur, vel bene percepta oblivione *ex* parte iterum deleatur, consequenter Dispensationem nonnunquam penitus invalidam, vel *non* debite clausulatam secum trahunt.

512 Et certe si ad supplicationem solum *oretenus* factam, statim *oretenus* etiam, et quasi ex tripode datur dispensatio ab Episcopo, debitae clausulae et poenitentiae impositio, aut non possunt, aut *non* solent adhiberi, et per Episcopum adhibitae, *vel* non satis capiuntur, vel e memoria iterum elabuntur, vel alias non observantur, non sine nullitatis multiplicis periculo.

513 Quaeritur VI. Quomodo supplicatio in praxi formari? et quaenam in illa exprimi debeant, quando apud Episcopum solicitatur Dispensatio super impedimento occulto pro *sola foro* interno? Item quae omissio? falsitas? vel error vitiet, et annullet Dispensationem Episcopalem? Resp. I. In tali supplicatione debent exprimi omnia, quae exprimenda sunt in supplicatione, qua pro sole foro interno petitur Dispensatio apud Sac. Poenitentiariam juxta dicta *n.* 421. quorum aliquid, si ommittatur, obreptitia, et nulla censetur gratia per dicta *cit. n.* 4*13. et seq.*

Ulterius debet casus ita proponi, ut intelligat Episcopus, concurrere in illo conditiones ad dispensandum requisitas juxta dicta *n.* 508. 514

Resp. II. Eadem Falsitas, *et* error in precibus ablatis, qui vitiat, et annullat Dispensationem Sac. Poenitentiariae, juxta dicta *num.* 423. vitiat, et annullat etiam Dispensationem Episcopalem pro solo foro interno; quia utrobique est eadem ratio, consequenter eadem legis dispositio *arg. l. Non possunt. ff. de legib.* 515

Resp. III. Quamvis nulla certa Forma, seu modus, et stylus formandi supplicationem offerendum Episcopo ad obtinendam Dispensationem pro *sola* foro interno sit necessarius, sed sufficiat, si necessario exprimenda clare, breviter, et reverentialiter proponantur, tamen *optime*, et securissime faciunt sollicitantes, si utantur modo et forma apud Sac. Poenitentiariam recepta juxta formulas *n.* 426. allegatas; ita tamen, ut exprimenda ita exprimant, quatenus ex illis clare intelligat Episcopus, concurrere conditiones requisitas ad dispensandum, videlicet 1. *Impedimentum esse* revera occultum, 2. Matrimonium actu jam contractum, et quidem bona fide, praemissis denuntiationibus in facie Ecclesiae. 3. adesse gravem causam, seu necessitatem. 4. Et quidem urgentem, ita, ut non patiatur moram seu dilationem (v. g. ob periculum incontinentiae, quod *ordinarie* adest per dicta *n.* 54.) donec dispensatio Roma a Sac. Poenitentiaria veniat, uti patet ex sequenti formula. 516

Formula supplicationis pro obtinenda apud Episcopum Dispensatione super impedimento occulto pro solo foro interno.

Reverendissime ac Celsissime S. R. I. Princeps, Domine Domine Clementissime.

Exponitur humiliter Celsitudini suae proparte devotae illius Oratricis (additur fictum nomen v. g.) *Titiae, Dioecesis Frisingensis* (nota addendum esse nomen Dioecesis, quia cum Oratore ulterius Dioecesis Episcopus dispensare nequit; non item Parochiae, ut crimen omni possibili modo maneat occultum) *quod ipsa ignara impedimenti praemissis denuntiationibus in facie Ecclesiae bona fide contraxerit Matrimonium, illudque successive consummaverit* (si proles etiam exinde habetur, additur v. g. *suscepta etiam exinde prole*) *cum viro, a cujus fratre vel filia antea fornicarie era cognita. Cum autem dicta Oratrix ob affinitatis impedimentum ex praedictis proveniens, quod occultum est, in eo Matrimonio remanere non possit absque dispensatione: et si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala verosimiliter orirentur, cupit a praemissis, de quibus summe dolet, absolvi, et secum super impedimento ad remanendum in dicto Matrimonio dispensari. Quare Celsitudini vestrae humillime supplicat, ut super his de opportuna remedio clementissime providere dignetur, eo quod absque periculo incontinentiae, vel gravis infamiae Dispensatio Roma expectari non valeat.* 517

Vel brevius ad imitationem formulae supra *num.* 428. positae.

Reverendissime ac Celsissime S. R. I. Princeps, Domine Domine Clementissime.

Titia Dioecesis Frisingensis, ignara impedimenti, in facie Ecclesiae, et praemissis denuntiationibus bona fide contraxit Matrimonium cum viro, a cujus fratre, vel filio prius carnaliter fuit cognita. Quare cum absque scandalo separari non possint, et donec 518

dispensatio Roma adveniat, periculum incontinentiae aut gravis diffamationis interveniat, putativo marito impedimenti inscia, supplicat humillime pro dispensationis remedio super hoc impedimento, quod est penitus occultum.

Pariter formari possunt aliae supplicationes in aliis casibus supra.

Formula supplicationis pro Dispensatione competente Episcopis ante Matrimonium in casu extraordinario juxta dicta supra n. 62.

Reverendissime etc.

519 *Titius Dioecesis Frisingensis, postquam Cajam carnaliter cognovit, ignarus impedimenti contraxit sponsalia de futuro cum Cajae sorore, et ad nuptias publice celebrandas jam determinavit diem, convivium indixit, vestes nuptiales, cunctaque alia praeparavit, hospitibus etiam plurimis invitatis. Quare cum impedimentum sit penitus occultum, et donec Dispensatio Roma adveniat, nuptiae absque diffamationis ex variis suspicionibus provenienti periculo differri nequeant, supplicat humillime Celsitudini Vestrae pro clementissimo Dispensationis remedio.*

520 Quaeritur VII. Quomodo in praxi per Episcopum concedi et expediri possint, ac debeant Dispensationes super impedimentis occultis pro solo foro interno? Resp. I. Quamvis, ut supra *n.* 510. jam diximus, sicut apud Episcopum oretenus peti, ita etiam ab eodem Episcopo oretenus concedi valeat Dispensatio super impedimentis occultis pro solo foro interno, consequenter scriptura ad eam necessaria non sit, nihilominus melius, securius, decentius, mentique Pontificiae conformius est, ut non nisi in scriptis debita cum forma fiat, et expediatur. Primam partem, quod scriptura necessaria non sit, tenet Pont. *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 15. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 20. Anchar. *in Clem. Dudum. de sepult. num.* 39. et ibi Imola *num.* 51. Abbas *in c. Nostra de Rescript. num.* 11. cum communiori tam Theologorum, quam Canonistarum docentium, scripturam non requiri ad valorem, sed tantum ad probationem Dispensationis etiam Apostolicae *arg. cit. Clem. Dudum. de sepult.* ibi: *universa privilegia, gratias, vel indulgentias verbo seu scripto, seu quacumque forma.* Accedit praxis et consuetudo plurium Curiarum Episcopalium, qua constat, praecise oretenus peti subinde, et concedi ab Episcopo, vel ejus Vicario Generali Dispensationem pro foro interno. Consuetudo autem legitime praescripta tribuit jurisdictionem per vulgaria jam saepe allegata.

521 Secunda pars inde probatur, quia multi et praecipue practici ut Corrad. *in praxi Dispensat. lib.* 1. *cap* 6. *num.* 1. Justis *de dispensat. lib.* 1. *cap.* 3. *a num.* 31. Paris. *de Resign. lib.* 3. *q* 6 *num.* 1. et alii apud ipsos docent, quamlibet Dispensationem Pontificiam esse invalidam, vel non suffragari, nisi in litteris expediatur. Ratio est; Tum quia ita habet notorius stylus Curiae Romanae, qui facit jus novum, et derogat Juri communi priori *arg. c. Ex litteris. de Constit. et c. quam gravi. de crim. falsi.* Tum quia quidquid sit de Jure communi, ita expresse habet bina Regula Cancellariae 27. et 52. quarum prior ita sonat.

522 *Cum ante confectionem litterarum gratia Apostolica sit informis, voluit, statuit, et ordinavit idem Dominus Noster, quod Judices in Romana Curia et extra eam pro tempore existentes, etiamsi sint S. R. E. Cardinales, causarum Palatii Apostolici Auditores, vel quicunque alii non juxta supplicationum signatarum super quibusvis impetrationibus (nisi in dicta Curia duntaxat sint commissiones justitiam concernentes per Placet, vel per S. R. Ecclesiae Vice cancellarium juxta facultatem super hoc sibi concessam signatae) sed juxta litterarum super eisdem impetrationibus, et concessionibus confectarum tenores, et formas judicare debeant. Decernens irritum etc.*

Altera vero:

Cum concessiones super gratiis Dispensationum quarumcunque quibusvis per ipsum D. N. Concessarum, vel concedendarum per Regulas Cancellariae Apostolicae sint provide limitatae, licet aliquando in petitionibus super hujusmodi concessionibus oblatis, multa sint petita, ne quis talium concessionum praetextu, id dispensative tenere, aut facere praesumat, ad quod concessiones hujusmodi se non extendant, voluit idem D. N. quod nullo talis dispensatio cuipiam in Judicio, vel extra suffragetur, antequam super ea litterae Apostolicae sint confectae. Ubi notanda verba, *neque in judicio, neque extra*: ex quibus Corrad. *loc. cit. num.* 11. bene infert Dispensationem litteris non expeditam, neque in foro interno suffragari, et Doctores contrarium tenentes vel non scivisse vel non reflexisse ad hanc Cancellariae Regulam, et stylum Curiae.

Nec dicas, haec procedere de Dispensationibus 523
Apostolicis, non autem Episcopalibus. Nam contra est; Tum quia Episcopus super impedimentis occultis pro foro interno ex sola tacita licentia Papae dispensat per dicta supra *a num.* 15. *non* censetur autem Papa tacite concedere Episcopo licentiam dispensandi tali modo, quali ipse nunquam dispensat, et qualem in Curia sua reprobat. Tum quia Curia Romana tanquam Mater et Magistra ab omnibus est sequenda. Gonzalez *Reg VIII. Gloss. VI. n.* 211. Speculator *de Appellat.* § *de Officio quoque. n.* 14. Gigas *de Pension. q.* 58. *ante n.* 3. Tum quia in aliis, si Dispensatio censetur invalida apud Curiam Romanam, censetur quoque talis apud Curiam Episcopalem; ergo etiam in isto puncto. Accedit ratio supra *n.* 511. allegata, ac etiam illa, ob quam Papa vi Regulae Cancellariae invalidas declaravit omnes Dispensationes sine expeditione litterarum factas.

Et quamvis contra haec adhuc militare videatur 524
argumentum a Consuetudine desumptum, nihilominus, quia locorum consuetudines saepe non habent requisita ad hoc, ut derogent legi, et tribuant jurisdictionem per dicta *Tit. IV. de Consuetud.* omnino suadetur, ut Dispensatio etiam pro foro interno, non nisi scriptis, in debito Curiae conformi stylo, clausulis debitis munita forma, idque ad praecedentem supplicationem in scriptis debite formatam, et oblatam fiat, praesertim quia agitur de valore Sacramenti, qui a valore Dispensationis dependet.

Resp. II. Si pro foro interno dispensare vult 525
Episcopus, debet prius bene considerare, an adsint conditiones supra *n.* 508. recensitae, requisitae ad hoc, ut dispensare pro solo foro interno valeat. Ratio patet; quia alias Sacramentum periculo nullitatis exponeretur.

Resp. III. Forma dispensandi seu potius expe- 526
diendi litteras super impedimento occulto pro foro interno, optima ac securissima est, quae fit conformiter stylo Sac. Poenitentiariae, ex quo illud specialiter observandum, ut, cum occultus delinquens ad Episcopum, vel ejus Curiam in persona non veniat, nec alibi quam in Confessionali se prodat, informationem de precum veritate

(quae aecessario praecedere debet) eliter quam per Confessarium capere non valeat Episcopus, consequenter non ipsemet dispensare, sed mandatum seu commissiunem dispensandi, confessario alicui dare debeat, ut dispenset, si preces veritate niti prius repererit, juxta sequentem formulam conformem stylo Sac. Poenitentiariae.

Formule Dispensatiouis Episcopalis super impedimento occulto pro solo foro interao.

Nos NN. Dei, et Apostolicae Sedis gratia Episcopus N. etc.

527 *Discreto viro Confessori ex approbatis in nostra Dioecesi per latricem praesentium ad infra scripta specialiter eligendo. Ex parte latricis praesentium oblata nabis petitio continebat* (exponuntur preces, prout fuere propositae v. g.) *quod ipsa nostrae Dioecesis existens ignara impedimenti, in facie Ecclesiae, et praemissis denuntiationibus, buno fide contraxerit Matrimonium cum viro, a cujus fratre prius carnaliter erat cognita. Cum autem, sicuti eadem petitio subjungebat, separari sine scandalo non possint; et Dispensatio a Sac. Poenitentiaria sine periculo incontinentiae, vel gravis diffamationis expectari non valeat, cupit a praemissis absolvi, et secum desuper dispensari. Quare supplicavit nobis humiliter, quatenus de opportuno remedio providere dignaremur. Nos itaque supplicationibus hujusmodi inclinati discretioni tuae committimus, quatenus, si ita est dictam latricem, audita prius sacramentali Confessione, ac sublata occasione si qua adhuc extat, amplius cum dicto viro, vel sorore peccandi, a quibusvis sententiis, censuris, et poenis Ecclesiasticis, quas propter praemissa incurrit, incestu: et excessibus hujusmodi absolvas hac vice, in forma Ecclesiae consueta, injuncta inde ei pro libidinis excessu salutari poenitentia, ac Sacramentali Confessione peccatorum suorum* (determinetur ad arbitrium Episcopi pro diversitate delicti, et personarum, quoties fieri debeat v. g.) *singulis mensibus*, vel *quovis bimestri ad minimum semel peragenda. Demum, dummodo impedimentum sit occultum, et Matrimonium praemissis denuntiationibus in facie Ecclesiae bona fide contractum, ac separatio sine scandalo fieri non possit, simulque, donec Dispensatio in Sac. Poenitentiaria procuretur, et adveniat periculum incontinentiae, vel gravis diffamationis timendum tibi visum fuerit, aliudve Canonicum non obstet impedimentum, cum eadem latrice, et dicto viro de nullitate prioris consensus certiorato, sed ita caute ut latricis delictum nusquam detegatur quod Matrimonium cum eodem, et uterque inter se de novo secrete, ad vitanda scandala, praemissis non obstantibus contrahere et in eo postmodum remanere licite valeant, misericorditer dispenses in foro conscientiae, et in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, et non aliter, neque ullo alio modo. Ita quod hujusmodi absolutio, et Dispensatio latori in foro judiciali nullatenus suffragentur, nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis, seu processibus confectis, et praesentibus laniatis, quas sub excommunicatione latae sententiae laniare tenearis, ita ut nullum earum exemplum extet, neque eas latrici restituas, quod si restitueris, nil ei praesentes litterae suffragentur. Datum N. die Mens., Anno...*

528 Hae litterae ed imitationem Sac. Poenitentiariae claudi et inscribi possunt vel Doctori in Theologia, vel Jure Canonico, vel Confessario alicui ex approbatis in Dioecesi, juxta arbitrium Episcopi; qui utrique pro consolatione poenitentium facit, si, uti potest, suae Dispensationis litteras simpliciter inscribit: *Discreto viro Confessario ex approbatis in nostra Dioecesi per latricem praesentium ad infra scripta specialiter eligendo*; Cum enim Doctores Confessarii, qui litteras exequi possent, ac vellent, rari sint, et difficulter haberi possint, bonum utique erit, si per inscriptionem cuivis confessario approbato pro libito poenitentis eligendo detur commissio dispensandi; prout etiam, si petatur, facere solet Sac. Poenitentiaria per dicta *num.* 427.

529 Porro, licet litterae Dispensationis Episcopalis pro solo foro conscientiae alicui comperto, vel involucro inclusae, et clausae ad illud v. g. Confessarium, vel Parochum, qui scribit pro poenitente, et Dispensationem procurat, dirigi possint, et debeant (cum poenitens utpote occultus existens ignoretur (tamen talis Confessarius eas aperire, et exequi non potest, nisi ad id e poenitente specialiter eligatur; unde debet illas clausulas consignare Oratrici vel Oratori et eundem instruere, esse modo in potestate, et arbitrio illius, qualem Confessarium pro executione eligere velit.

53a Quaeritur VII. Quis possit esse Executor litterarum Episcopalis Dispensationis pro solo foro interno? Et quomodo in praxi illas exequi debeat? Resp. I. Desumendum esse ex inscriptione litterarum, quis possit esse Executor. Si enim inscriptio fit ad Doctorem in Theologia, vel Jure Canonico; nullus alios quam verus talis Doctor ad exequendum eligi potest per dicta supra *a nu.* 441. Si vero inscribantur Confessario ex approbatis in genere, potest quivis Confessarius in Dioecesi approbatus illas exequi, si ab Oratore, vel oratrice ad id specialiter eligatur, juxta dicta superius.

53t Resp. II. Executor litterarum Dispensationis Episcopalis pro solo foro Interno, debet eodem modo, quo Executor litterarum Dispensationis a Sac. Poenitentiaria emanatarum, in executione se habere, et easdem clausulas observare juxta dicta *a num.* 441. Debet insuper observare clausulas in litteris Dispensationis Episcopalis specialiter apponi solitas, praesertim circa quatuor *num.* 528. positas conditiones. Cum enim una illarum deficiente Episcopus dispensare *non* valeat, litterae executioni mandari minime possunt, si reperiatur, unam illarum *non* adesse, excepto casu extraordinario, quoad conditionem *de Matrimonio jam contracto.*

§. XI.

De Potestate Dispensandi super Impedimentis Matrimonii competente Regularibus vi privilegiorum.

SUMMARIUM.

532 *De Privilegiis remissive.*
533 *Duae sunt generales revocationes privilegiorum. Una est, qua Pontifices revocarunt omnia vivae vocis oracula; et num. seq.*
535 *Per Pontifices omnia et sola vivae vocis oracula sunt revocata.*
536 *Non item privilegia bullata.*
537 *Quaenam sint revocata a Concilio Triden.*
538 *Regulares Mendicantes vi privilegiorum possunt dispensare super quovis impedimento voti non reservati.*
539 *Recensentur talia vota.*
540 *Regulares non habent privilegium dispensandi*

super omnibus impedimentis, super quibus Jure Ordinario possunt Episcopi: et num. seq.

542 *Possunt tamen post contractum Matrimonium dispensare pro foro interno super occulto impedimento Affinitatis etiam in primo gradu.*

543 *Probatur ex privilegio Leonis X. et num. seq.*

545 *Respondetur ad contraria Sanchezii et Rodriguez.*

546 *Solvitur impugnatio Henriquez et aliorum, et num. seq.*

548 *Refutatur impugnatio Gobath.*

549 *Stabilitur Conclusio.*

550 *Consulitur moderatus usus hujus Privilegii, et utilis praxis.*

551 *Causa et utilitas prolixioris discussionis circa hoc privilegium: et num. seq.*

553 *Privilegia Regularium pro certis locis: et n. seq.*

555 *Vivae vocis oracula ante Urbanum VIII. concessa neque in foro conscientiae valent, bene vero post illum concessa.*

532 Cum, uti ex Rubricae §. patet, in praesenti indagare intendamus, an? et qualia habeant Religiosi privilegia dispensandi super impedimentis Matrimonii, necesse est, breviter saltem praemittere aliqua de revocatione privilegiorum, ut cognosci valeat, an privilegia, quae ad propositum in praesenti adducentur, sint revocata, vel non. Exactiorem autem hujus, sicut et totius materiae de privilegiis doctrinam damus *Lib. V. Tit. XXXIII. de Privileg. et Excessibus Privileg.*

533 Notandum itaque primo, duas celeberrimas, et generales extare revocationes Privilegiorum, quarum una facta est per Gregorium XV. in Constitutione *Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiae:* quae inter illius constitutiones est 27. apud Cherub. *Tom.* 3. et Urbanum VIII. *Alias felicis recordationis*, quae est 121. inter Constitutiones dicti Papae apud Cherub.

534 Altera facta est a Concilio Tridentino *Sess.* 25. *cap.* 22. *de Regul.* ubi Regularium privilegia, decretis dictae sessionis adversantia, fuere revocata illis verbis; *Haec omnia et singula in superioribus Decretis contenta observari, sancta synodus praecipit in omnibus caenobiis, ac Monasteriis, Collegiis, ac Domibus quorumcunque Monachorum, ac Regularium, nec non quarumcunque sanctimonialium Virginum, ac viduarum, etiamsi illae sub gubernio militiarum, etiam Hierosolimitanae vivant, et quocunque nomine appellentur, sub quacunque regula, vel constitutionibus, et sub custodia, vel gubernatione, vel quavis subjectione, aut annexione, vel dependentia cujuscunque Ordinis, mendicantium, vel non mendicantium, vel aliorum Regularium monachorum, aut Canonicorum quorumcunque non obstantibus eorum omnium, et singulorum privilegiis sub quibuscunque formulis verborum conceptis, ac Mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non Constitutionibus, et regulis etiam juratis, atque etiam immemorabilibus, vel praescriptionibus, etiam immemorabilibus*, etc. Pro quorum majori intelligentia ponemus duo specialia quaesita.

535 Quaeritur igitur I. Quaenam Regularium privilegia revocata sint a summis Pontificibus Gregorio XV. et Urbano VIII. per allegatas Bullas. Quaenam item per Concilium Tridentinum? Resp. I. per praefatos Pontifices omnia et sola privilegia vivae vocis oraculo, quibuscunque sive saecularibus, sive Regularibus concessa, fuere revocata. Patet aperte ex clarissimo praefatarum Bullarum textu, uti videre est in ipsis Bullis citatis, quas per extensum habet Hyacinthus Donatus, *Tom.* 1. *Tract.* 16. *q.* 2. et Cherub. *loc. cit.*

Infertur, non obstantibus praefatis revocationibus, valere adhuc omnia et singula privilegia per Bullas concessa, exceptis illis, quae revocata sunt a Concil. Trident. juxta dicenda *num. seq.* 536

Resp. II. Certum est, per Concilium Tridentinum revocata esse Regularium privilegia etiam bullata, quae adversantur Decretis ejusdem positis in *sessione* 25. *de Regularibus.* Unanimis, patetque clare ex textu supra *n.* 534. allegato; qui, si non de omnibus Concilio praefato contrariis, saltem de contrariis *Sessioni* 25. *de Regularibus* necessario intelligi debet. 537

Num autem per allegatam revocationis clausulam generalem revocata sint etiam omnia privilegia praecedentibus sessionibus, et earum Decretis contraria, dicemus infra *Lib. V. Tit. XXXIII.* de Privilegiis, et Excessibus privilegiatorum.

Quaeritur II. An? et qualia habeant Regulares praesertim mendicantes privilegia dispensandi super impedimentis Matrimonii? Resp. I. Possunt Regulares mendicantes super quovis impediente Matrimonium impedimento voti dispensare, quando votum non est unum ex quinque specialiter reservatis Papae. Caret controversia; patetque ex dictis *Lib. III. Tit. XXXIV.* num. 39. ubi dictum et probatum est, posse Regulares mendicantes dispensare in quovis voto, specialiter non reservato Summo Pontifici. Vide ibidem, ne superflua fiat repetitio. 538

Pro brevi tamen recapitulatione hic infertur, posse Regulares dispensare super impedimento voti I. Suscipiendi Ordinem. II. Castitatis non perpetuae. III. Etiam perpetuae sed poenalis. IV. Vel conditionati. V. Vel ex metu emissi VI. Vel urgente necessitate. VII. Non nubendi etc. de quibus plura vide *cit. Lib. III. Tit. XXXIV.* 539

Resp. II. Quamvis non desint docentes, posse Regulares mendicantes dispensare super quovis tam dirimente, quam impediente Matrimonii impedimento, super quo juxta dicta §. 1. *n.* 15. et §. 2. *per totum*, de Jure ordinario dispensare potest Episcopus, tamen haec doctrina omnino periculosa, et nullatenus practicanda, utpote omnino improbabilis videtur, ut bene etiam advertit Gobath *in Teolog. expriment. Tract.* 9. n. 721. Ratio est; quia haec potestas Mendicantibus nec ex Jure, nec ex privilegio, consequenter nullo modo competit. Non ex Jure, ut omnes fatentur. Non ex privilegio, quia nullum allegari potest: prout etiam Adversarii nullum allegant. 540

Nec valet argumentum, quo uti videntur Adversarii: possunt Mendicantes dispensare super quovis voto, super quo jure Ordinario possunt Episcopi per dicta *Lib. III. Tit. XXXIV. num.* 39. ergo etiam possunt dispensare super impedimentis, super quibus Jure Ordinario possunt Episcopi. Negatur enim consequentia et paritas. Disparitas est; quod potestatem dispensandi super votis, super quibus possunt Episcopi dispensare Jure ordinario, habeant ex specialibus et expressis privilegiis per plures Pontifices concessis, uti videre est *cit. Tit. XXXIV. n.* 39. non item potestatem dispensandi super impedimentis Matrimonii. 541

Resp. III. Possunt Regulares per totum orbem existentes post Matrimonium sive bona sive mala fide jam contractum pro foro interno dispensare super occulto dirimente Matrimonii impedimento Affinitatis, etiam in primo gradu, et prolem inde susceptam legitimam declarare, quamvis hac potestate passim uti non expedit, nisi in casibus, et cum cautelis infra allegandis. Prima pars Conclusionis multos, eosque graves Adversarios habet, hinc aliquantum uberius eam deducere, et solvendo Adversariorum fundamenta illam stabilire oportet, praesertim qua ejus discussio pro praxi scitu summe utilis et necessaria videtur. Eam autem exprese do- 542

cent Richardos Roffensis Episcopus, ab omnibus etiam Adverseriis proclamatus et laudatus vir celeberrimae doctrioce et sanctitatis ab Henrico VIII. Augliae Rege, in odium fidei Catholicae occisus, cousequenter Mertyr, in suo libello *de causa Matrimonii Regis Angliae*. Chassaing *de Privileg. Regular. Tract.* 5. *cap.* 5. *proposit.* 3. Veracrux 2. *part. speculi aurei.* 27. ℣. *Et hoc confirmatur expresse*, et alii coutra communiorem sliorum.

543 Probatur itaqoe haec prima pars conclusionis unico, euque efficaci argumento: Possunt Regulares Meudicaotes super memorato impedimento dispensare, quando ita dispensandi expressum et clarum, nunquam revocatum habent privilegium Bullatum Pontificium; atqui habent tale privilegium: ergo. Major est certa. Minor Probatur: PP. Augustinianis per totum mundum existentibus Leo X. clarissimum, idque Bulletum concessit privilegium: *qeod cum his, qui in primo Affinitatis gradu scienter, aut ignoranter contraxerunt, modo notorium id non fuerit, neque in jedicium productum, dispensare valeant, ut de novo contrahant, et in eodem contracto Matrimanio remancant, prole etiam legitima.* Ita tenor privilegii, uti patet ex Bulia Leonis.

544 Hoc privilegium in terminis etiam adducit Doctissimus Rudriquez noster *Tom.* 3. *qq. Regular.* q. 2. *art.* 2. dicens, verum esse, *quod Leo X. Fratribus Augestini Ordinis cancessit dictum privilegium per totum Orbem Christianum, quemadmodum in ejus Bulla palam continetur* (sunt formalia Rodriq. quae non protulisset, si Bullem non vidisset, et legisset) Addit, *Roffensis Episcopi testimonio certa credendum est propter ejus maximam sanctitatem, siquidem pro fide Catholica gladiis impiorum occubit.* Licet dein idem privilegium ex alio capite impugnet, ut videbimus infra. Idiptum privilegium ex Veracrux adducit etiam Quintenadveuas *singulari*: *Tract.* 9. *singulari* 1. *num.* 1. addens ad idem, Veracruc*i*a utpote Augustiniano de privilegiis sui Ordinis scribenti *fides adhibenda videtur.*

Idem Privilegium allegat etiam Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 6. *n.* 18. Bassaeus, Bonagratia, Pellizarius *in Manuali Regular.* Gobath. *in Theolog. experiment. Tract.* 9. *n.* 719. et alii communiter.

545 Verum plures ex *num.* praecedenti allegatis Doctoribus dictum privilegium etiam impugnaut, et quidem Rodriquez noster, et ex ipso Sauch. *lib.* 8. *de Matrim Disp.* 6. *n.* 28. dicunt, istud privilegium non esse in usu; vel, ut post Vega volunt, non esse universaliter, sed tantum pro aliquo casu concessum, non enim verosimile videtur, ajunt, Pontificem tam universale privilegium Regularibus concessisse, cum id Episcopis non inveniatur concessum. Horum tamen DD. opiniones et rationes plane non videntur praejudicare memorato privilegio; nam coutra illos pro privilegio militat, tum quod, uti bene observat Chassaiog *loc. cit.* non constet de non usu hujus privilegii, cum versetur tantum circa impedimenta occulta soli Confessario et poenitenti nota, nullusque scire possit, an non plures Confessarii dicto privilegio pro foro conscientiae usi fuerint. Tum quia, si (dato non concesso) dictum privilegium in usu non fuit, id proveuit ex ignorantia ejusdem privilegii, quali non usu privilegia minime amittuntur juxta Innocentium *in c. Accedentibus. pr. de Privileg.* Donatus *Tom.* 1. *Tract.* 12. *q.* 6. *n.* 0. *arg. l. His, qui usumfructum ff. quibus modis ususfructus amittitur.*

Nec obstat allegatum privilegium non competere Episcopis; quia constat Regulares pluribus aliis etiam privilegiis gaudere, quibus cerent Episcopi, uti bene *loc. cit.* observat Chassaing.

546 Aliter dictum privilegium impugnat Henriquez *lib.* 12. *de Matrim. cap.* 3. *n.* 3. dicens, illo privilegio plus non concedi, quam dispensare, ut incestuosus contrahet cum alia; aut ut licite debitum petat, non obstante incestu commisso post Matrimonium; et ita docendi fundamentum habet; quia, inquit, hoc privilegium Leonis X. non reperitur apud illos, qui diligenter collegerunt Mendicantium privilegia. Ex quo motivo etiam Quintenadvenas, Vega, et alii communiter adversantur eidem privilegio. Verum haec Henriquez opinio immediate repugnat tenori privilegii, utpote qui expresse sonat de impedimentis Affinitatis ante Matrimonium contracto, et de eodem Matrimonio; uti legenti patet. Alterum fundamentum Henriquez ipsius opinionem totaliter destruit: si enim dictum Leonis privilegium nullibi invenitur (ut ipse cum nonnullis ait) quomodo ille, et ei adhaerentes interpretari ponunt, illud sic vel sic esse intelligendum? *cum non entis non sint qualitates.*

547 Dein ad idem fundamentum etiam ab aliis productum respondetur, ex eo efficaciter inferri non posse, dictum privilegium non esse concessum, vel non extare. Nam contra est; tum quia, etsi non reperiatur in illis privilegiorum Collectoribus, quos ipsi legerunt, potest forsan inveniri in aliis, quos ipsi non legerunt; nec enim quis dicere praesumet, se omnes legisse. Tum quia expresse reperitur in citato Roffensi Episcopo, sanctitate, et doctrina celeberrimo, quem mendacii, fraudis, levitatis, aut ignorantiae in tam gravi materie arguere, plane iniquum videtur. Reperitur etiam in Chasseing, et in desumentibus ex illo, Veracruz, aliisque adhaerentibus. Et quis dicere audebit, illum sanctitate et doctrina celeberrimum Episcopum in re tanti momenti, utpote e qua valor pendet Sacramenti Matrimonii, bullatum privilegium absque sufficienti fundamento et notitia allegare, vel fingere, aut mentiri voluisse, qui pro veritate doctrinae Christianae mortuus est, praesertim cum nulla appareat ratio efficax, cur non aeque habeatur fides tanto Episcopo, eique adhaerentibus, quam aliis privatis Doctoribus privilegia colligentibus.

Nec enim refert, quod Bulla, in qua dictum privilegium continetur, non facile amplius reperiatur; quia bene esse potest, quod turbulentissimis temporibus, quibus Rex Angliae in Catholicos, ac praecipue in Regulares saeviebat memorata Bulla in Anglia forsan asservata (nam ibi primitus allegabatur, et citabatur) una cum aliis Catholicis monumentis perierit. Accedit, plura alia privilegia adhuc vigere, et pro authenticis haberi, etsi concessionis bulla apud Doctores non facile amplius inveniatur.

548 Sed ipse etiam Gobath saepe dictum privilegium aliter impugnat in *Theolog. experiment. Tract.* 9. *n.* 720. dicens, *Nihilominus tamen existimo, esse verosimile, tale privilegium vel nunquam emanasse, vel si emanavit, non subsistere*: fundamentum ipsius audiamus: *Etenim aut, vel fuit dentaxat vivae vocis oracolo concessum, vel per Bullam: si secundum, evolavit; cum nuspiam reperiatur; evolasse quis credat? si primum, probabilissime evanuit ob Bullas Gregorii et Urbani.* Verum facilis est ad hoc responsio. Respondetur itaque, esse concessum privilegium per Bullam, uti constat ex testimonio Roffensis, et Rodriq. *loc. citatis.* Nec refert, quod nuspiam reperiatur; neque ex hoc sequitur, eam evolasse, seu evanuisse. Nam contra est, tum quod diximus supre *n.* 547. Tum quia ex eo, quod charta, in qua tenor Bullae emanata continetur, pereat, minime perit, seu evanescit, et evolat ipsum privilegium. Illon si concedatur secundum membrum videlicet, quod aliquando per Bullam sit concessum, male infertur; ergo evolavit; sed potius inferendum: ergo

adhuc valet, etiamsi nullibi amplius reperietur, praesertim quia teste ipso Gobeth et communi aliorum, Bulleta privilegia Regularium non sunt revocata juste dicta *n.* 535.

Ast pergit Gobeth ibidem dicendo: Attamen ob reverentiam erga illum sanctum Episcopum, credo omnino esse datum, at non bullatum, consequenter de illo discurrendum sicut de caeteris sine Bulla concessis privilegiis. Sane mirabile, ob reverentiam S. Episcopi omnino credit, privilegium esse datum, et non credit esse bullatum, cum tamen hoc aeque ac illud expresse testatur S. Episcopus, et utique minorem non mereatur fidem testans de substantia, quam de accidenti.

549 Ex quibus omnibus cum aperte constet, viros doctrina et virtute celeberrimos, fideque dignissimos pro certo asserere, et testari, saepe dictum privilegium per Bullam Leonis X. revera fuisse concessum; rationes vero et fundamenta Doctorum idem privilegium impugnantium apparentia, non autem efficacia, multo minus convincentia videantur, sufficienter probata videtur prima pars conclusionis *n.* 542. allegatae, seu vera existentia quaestionati privilegii *n.* 543. allegati.

550 Resp. II. Quamvis de hactenus quaestionato privilegio res ita se habeat, prout *a n.* 543. ostensum est; tamen consultum non est, ut Regulares Mendicantes ordinarie, vel passim illo etiam pro solo conscientiae foro utantur, sed ad Poenitentiariam; vel ad Episcopum juxta dicta §. *I.* pro Dispensatione recurrant, *nisi periculum incontinentiae, vel alia necessitas aliud suadeat.* Ratio est; quia quandocunque agitur de valore Sacramenti (uti in praesenti, si enim, dato non concesso, privilegium non subsisteret, Dispensatio nulla, ipsumque Matrimonii Sacramentum nullum foret et conjugati, gratiis Sacramentalibus in conjugio tantopere necessariis destituti, in continuis fornicationibus saltem materialibus remanerent) consultum, et aequum est, semper, quantum possibile, via procedere securiori; adeo ut, licet etiam in materia valoris Sacramenti possimus sequi doctrinam probabiliorem, minus tamen tutam, relicta minus probabili magis tuta (non enim tenemur eligere certam) tamen expediat sequi tutiorem; et subintret hic monitum Apostoli. ad Corint. 6. *multa mihi licent, sed non omnia expediunt.*

551 Si quaeras: Ad quid ergo opus fuit tam prolixe hoc privilegium deducere, si illo uti non expedit? vel ad quid juvet? Respondetur, juvare plurimum, et ideo operae pretium omnino fuisse, supra positam doctrinam exactius, et paulo prolixius exhibere, eo quod per eam, si una cum annexa cautela observetur, in quovis casu quemlibet poenitentem plene consoleri, eumque juvare possimus, uti ex sequenti, quam in praxi observa, demonstratione patet. Vel enim ex circumstantiis cognoscis, quod putativus conjux indigens dispensatione sine incontinentiae periculo, usque dum Dispensatio Roma, aut ab Episcopo veniet, vivere possit, et velit, vel non: si vides, quod sine dicto periculo vivere, ac interea se continere possit vel velit, dic ei, quod illico pro ipso dispensationem apud Papam vel Episcopum in secreto procurare velis, ille vero interea se contineat; sic enim ille omnino contentus et valor Sacramenti securus erit. Si vero cognoscis, putativum conjugem ob fragilitatem, vel alias circumstantias in evidenti incontinentiae periculo versari, vel adesse periculum mortis ex parte unius (et consequenter injustam successionem in bonis etc.) donec Dispensatio Roma, vel ab Episcopo veniat, utere praedicto privilegio, et pro foro conscientiae dispensa cum illo, simulque doce, qualiter Matrimonium de novo contrahere possit, et debeat juxta dicenda infra §. *fin.* quo facto nihilominus pro majori securitate Romam, vel ad Episcopum, ipso etiam ignorante poenitente, pro Dispensatione scribere poteris (valet enim Dispensatio etiam ignoranti impetrata, ut cum aliis bene docet Sanch. *Lib.* 8. *Disp.* 26. *n.* 4. *arg. c. Si motu proprio de Praebend* in 6. et *l. universi C. de Precib. Imperat. offerend.*) Obtenta dein dispensatione voca, vel accede eundem conjugem, illum informa, quare pro majori securitate praeter tuam jam factam, etiam Romae Dispensationem procureris: et qualiter ipse ejusdem majoris securitatis causa Matrimonium denuo revalidare possit.

552 Ex ex his satis patet, ad quid serviat hactenus quaestionatum privilegium et quam necessarium fuerit, sufficienter demonstrare, illud probabilius existere, et adhuc subsistere: hoc enim si non esset, dictum privilegium practicari satis tuto non posset. Licet enim Gobath non obstante, quod prius docuerit *in Theolg. experim. Tract.* 9. *nu.* 720. verosimilius, seu probabilius esse, hoc privilegium non subsistere, praefatam praxim nostram admittit ex eo; quia, inquit, in morbis desperatis satius est adhibere dubiam, quam nullam medicinam: tamen quia juxta primam propositionem ab Innocentio XI. damnatam certum sit, non licere relicta probabiliori et tutori, sequi tantum probabilem, minus tutam (qualis juxta ipsum esset opinio de subsistentia privilegii) quando agitur de valore Sacramenti, uti in praesenti res se habet, eo quod valor Sacramenti a dispensatione valida, haec vero a subsistentia privilegii subsistat; Doctrina Gobathii difficultate non caret. Dum econtra stante nostra doctrina de probabiliori privilegii subsistentia, memorata praxis pro foro interno tuta, et in se sancta, utpote ad plurima peccata praecavenda serviens, simulque cauta ac provida apparet.

553 Resp. III. Praeter memorata privilegia Regularibus in quacunque orbis parte existentibus concessa, sunt adhuc alia pro certis locis concessa. Sic Carmelitae habent privilegium dispensandi cum Neophytis in Regno Persarum super omnia impedimenta Consanguinitatis, et Affinitatis, excepto primo gradu, uti ex Bulla Pauli V. refert Augustinus a Virgine Maria ℣. Missionarii *n.* 19. Bosco *de impedim. Matrim. Disp.* 12. *sect.* 13. *conclus.* 3. *n.* 11. Bonagratia Capucinus Summ. ℣. Matrimonium *a n.* 288. post Bassacum, et Cypiecum etiam Capucinos refert, quod oraculo Gregorii XIII. concessum sit.

Patribus Societatis, pro partibus duntaxat septentrionalibus, privilegium dispensandi cum iis, qui contraxerunt vel clandestino, etiam ubi Concilium Trident. est receptum; vel coram non proprio Parocho, vel cum impedimento criminis, ignorantes esse impedimentum; vel cum impedimento consanguinitatis, aut affinitatis in quarto gradu, aut cum impedimento compaternitatis, vel commaternitatis spiritualis.

554 Verum quia vivae vocis oracula sublata sunt per Gregorium XV. et Urbanum VIII. frustranea est allegatio illorum, cum privilegia haec non amplius valeant, unde etiam non reperiuntur in compendio privilegiorum Societatis Jesu, uti advertit Bosco *loc. cit. num.* 194.

Nec dicas, vivae vocis oracula posse adhuc practicari pro foro interno, non obstantibus revocationibus Gregorii XV. et Urbani VIII. prout multi putant. Respondetur enim, id falsum, aut certe periculosum, nec tutum in conscientia esse, exceptis illis oraculis, quae de novo post dictos Pontifices sunt confirmata, aut post illos de novo concessa, prout amplius demonstrabimus *Lib. V. Tit. XXXIII. de Privileg.*

§. XII.

De Dispensatione super Impedimento petendi Debitum conjugale.

SUMMARIUM.

555 Examinata dispensatione super impedimentis Matrimonii, merito sequitur §. de dispensatione super impedimentis petendi debitum conjugale, quae impedimenta ante et post Matrimonium contrahi possunt.

556 Quaeritur I. Quibus modis privetur conjux Jure petendi debitum conjugale, seu contrahat impedimentum petendi debitum? Resp. I. variis ex causis privari conjugem Jure petendi debitum conjugale. Veluti *I.* per simplex votum Castitatis sive ante, sive post Matrimonium, emissum; quo tamen non obstante debitum reddere potest, et tenetur juxta dicta supra *Tit. VI. num.* 25.

557 II. Per votum ingrediendi Religionem, per quod etiam impeditur a reddendo ante consummationem: postquam autem Matrimonium etsi illicite consummavit, licite petere et reddere potest debitum etiam sine Dispensatione. Sanchez *lib. 9. de Matrim. n. 14. et 15.* Pelliz. *Tract. 8. cap. 3. sect. 2. n.* 267. et alii. Ratio est; quia antequam vovens Matrimonium consummat, potest adhuc, et vi voti tenetur ingredi Religionem; consequenter si etiam reddendo illud consummat, peccat; quia inhabilem se reddit ad votum, stante Matrimonio, servandum: ob quod etiam postea licite et valide petere et reddere potest, licet illud soluto Matrimonio reviviscat, prout amplius citati Doctores et *TT.*

III. Quando scienter perfectam habet copulam cum sui conjugis consanguinea persona in secundo, non item in ulteriori gradu; prout amplius habetur *Tit. XIV. de Consanguinitate, et Affinitate* §. 2. *a num.* 53. 558

Per cognationem tamen spiritualem non privatur Jure petendi debitum per dicta *Tit. XI. de Cognatione spirituali n.* 30. *et seq.*

Quaeritur II. An? et qualiter possint Episcopi dispensare super impedimento petendi debitum conjugale? Resp. I. Possunt Episcopi dispensare super impedimento petendi debitum, quando impedimentum provenit a tali voto, in quo Episcopi possunt dispensare. Conclusio caret controversia ob evidentem rationem; quia si dispensando tollere possunt, et acta tollunt votum, quod est unica causa et radix impedimenti, utique etiam tollere possunt, et dispensando tollunt ipsum impedimentum, eo quod *cessante causa cessat effectus*, per vulgaris utriusque Juris. 559

In quibus autem votis Episcopi dispensare valeant, habes *Lib. III. Tit. XXXIV. de Voto, et Voti Redempt. a nu.* 27. quibus adde, quod, quia juxte ibidem dicta, possunt Episcopi dispensare in omnibus Papae non reservatis, possint etiam dispensare in voto Castitatis perpetuae, absolute et perfecte emisso post contractum Matrimonium, sive data cum vel sine consensu alterius conjugis, sive ab uno vel ab utroque conjuge emittatur: eo quod vota castitatis post contractum Matrimonium, quantumvis absolute et perfecte elici videantur (dummodo non eliciantur cum intentione ingrediendi Religionem, vel per modum mutui contractus, ob dicenda infra *n.* 561.) non sint nec dici possint perfectae castitatis (et consequenter nec reservata) hoc ipso, quod stante illo conjux vovens adhuc possit, ac etiam teneatur saltem reddere debitum. Sanch. *lib. 8. de Matrim. Disp.* 11. per totum, quem sequuntur Quintanadvenas *singularium Tract. 9. singulari* 2. *nu.* 2. Gobath. *in Theolog. experiment. Tract.* 10. *num.* 630.

Dicitur autem notanter *dummodo non fiat cum intentione ingrediendi Religionem*, tunc enim, et a fortiori, si conjux post contractum, sed nondum consummatum Matrimonium, absolute vovat ingredi Religionem, Episcopus intra primum bimestre, nec absolute, nec ad petendum, vel reddendum debitum dispensare potest, uti bene advertunt Pellizarius *Tract. 8. cap. 3. sect. 2. num.* 269. et 278. Sanch. *de Matrim. lib. 8. Disp. 11. n. 4.* Ratio est; quia, cum ante Matrimonium consummatum conjux intra primum bimestre adhuc possit ingredi Religionem *c. Ex publico. 7. de Convert. conjug.* et ad id vi voti teneatur, manet votum reservatum; quamvis, si semel consummavit, durante Matrimonio ad nil amplius teneatur, sed libere, et absque dispensatione debitum petere, ac reddere valeat, ut bene docet. Pelliz. *loc cit. nu.* 272. 269. Sanch. *loc. cit.* et adhuc magis *lib. 9. Disp. 35. n.* 23. recte tamen addentes, tale votum soluto Matrimonio iterum obligare ad sui impletionem. 560

Dicitur ulterius; *dummodo non fiat per modum mutui contractus, aut reciprocae conventionis*, vi cujus a petendo et reddendo abstinere licite et valide vovent. Cum enim in tali casu utraque pars vi conventionis sit liberata etiam ab obligatione reddendi debitum, consequenter votum libere observare possit, et debeat, ac uti supponitur, votum sit perfectum et absolutum, dispensare in illo Episcopus non valet. Sanchez *lib. 9. de Matrim. Disp. 37. n.* 10. Abb. *in c. 1. de convers conjug n.* 6. et ibi Innocent. *in fine*, ac Joannes Andreas *n.* 2. Ancher. *in c. Dudum. eodem n.* 12. cum communiori 561

tam TT. quam Jurisperitorum. *arg. Can. quod Deo.* 4. *cau.* 33. *q.* 5. ibi: *Quod Deo pari consensu voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis. A quo proposito si lapsus est ille, tu saltem instantissime persevera.*

562 Et quamvis aliqui, ut Rodriquez *Tom.* 1. *qq. Regular. qq.* 63. *n.* 2. Se ✠. *Debitum conjugale. n.* 2. Quintenadvenae *singular. Tract.* 9. *singul.* 2. *num.* 4. et alii velint, Episcopum posse cum his *num. praeced.* positis, dispensare saltem super impedimento petendi debitum conjugale, eo quod hoc non sit proprie dispensare in toto voto (cum stante tali dispensatione conjuges essent sacrilegi, si cum alieno copulam haberent) sed tantum partiali illius effectu, et quoad tempus; quamdiu nempe duret, Matrimonium, quo soluto votum rursus obligare incipit. Accedit, quod juxta dicenda possit Episcopus dispensare in petendo debito cum impeditis ratione voti perfectae castitatis ante Matrimonium emissi; ergo etiam cum impeditis ratione perfecti voti postea emissi.

563 Tamen contrarium probabilius tenet Sanch. *de Matrim. cit. lib.* 8. *Disp.* 11. *num.* 10. Eo quod rationes contrarium sentientium nil vel nimium probent. Prima enim probaret, quod Episcopus posset dispensare ad partialem effectum illum, ut ligatus Castitatis perpetuae voto posset nubere, manente voto in sua firmitate quoad reliquos, quod nemo concedit. Altera nil probare videtur; quia negatur paritas. Siquidem cum illis, qui stante voto castitatis perpetuae contraxerunt, dispensat vi consuetudinis, ortum suum habentis ab evidenti periculo incontinentiae, si conjux nunquam posset petere debitum, ut tamen semper teneretur reddere, quod in casu perpetuae castitatis post contractum Matrimonium ex mutuo conventione minime fit, hoc ipso, quod nulla pars debitum petere teneatur, at reddere licite possit. Hinc, sicut in hoc nulla introducendi consuetudinem dispensandi habetur ratio, ita etiam de nulla dispensandi scitur consuetudine Episcoporum; et consequenter nulla habetur potestas dispensandi, exceptis casibus urgentis necessitatis, in quibus Episcopus dispensare potest, etiam in votis Papae reservatis juxta dicta *Lib. III. Tit. XXXIV. n.* 37.

564 Resp. II. Possunt Episcopi ad petendum debitum dispensare cum conjuge, qui ante Matrimonium emisit votum perpetuae castitatis, eoque ligatus nupsit. Sanch. *lib.* 8. *de Matrim. Disp.* 12. *num.* 4. Joan. Andr. in c. *Rursus. Qui Clerici, vel voventes*, et ibi Anchar. *num.* 2. Praeposit. *num.* 6. et plures alii a Sanch. citati contra Sylvestrum ✠. *Dispensatio. q.* 9. *n.* 15. et ✠. *Matrimonium.* 7. *q.* 5. *fin.* Guttierrez *Canon qq. L.* 1. *cap.* 23. *num.* 17. et non paucos alios. Ratio conclusionis est; quia, si Episcopi id non possent de Jure communi scripto, nec ratione urgentis necessitatis, cum ubique haberi possint Regulares Mendicantes praediti privilegio dispensandi in petitione debiti juxta dicenda infra n. 568. tamen hoc iis competeret vi consuetudinis, quae tribuit jurisdictionem, c. *Cum contingat, de Foro competent.* Quod si tamen in aliqua Dioecesi consuetudo hujusmodi non vigeret, libenter cum Adversariis sentimus, videlicet, Episcopum praefata potestate carere, et consequenter debere poenitentes remittere ad Regulares privilegiatos.

565 Resp. III. Potest etiam Episcopus dispensare ad petendum debitum cum illo, qui impeditus existit ratione copulae habitae cum sui conjugis consanguinea in primo vel secundo gradu. Sanch. *loc. cit. num.* 13. Sorbus *in Compend. Privileg.* ✠. *Absolutio quoad saeculares.* 2. *vers. Tertio advertendum*, ubi citat Communem. Sa. ✠. *Debitum. num.* 13. et plures alii apud Sanch. Ratio est, quae in priori conclus.

566 Resp. IV. Eadem potestas dispensandi competit etiam capitulis sede vacante, per argumenta allegata supra *n.* 32. per Doctores, Jura, et rationes ibidem allegatas.

567 Quaeritur II. An, et qualiter Regularibus Mendicantibus competat potestas dispensandi cum conjugatis super impedimento petendi debitum? Resp. I. Possunt Regulares Mendicantes dispensare ad petendum debitum cum illis, qui stante voto simplici Castitatis contraxerunt Matrimonium, si votum est tale, in quo alias Regulares isti possunt dispensare. Patet conclusio ex dictis in simili de Episcopis *num.* 559. cum circa hoc sit eadem ratio de Regularibus, quae de Episcopis, praesertim quia dispensandi in votis eadem potestas competit Regularibus Mendicantibus, quae Episcopis juxta dicta supra *Lib. III. Tit. XXXIV. de voto, et voti Redempt. a n.* 29. *ac n.* 39.

Infertur, quod, sicut juxta dicta *cit. lib. III. Tit. XXXIV. a num.* 39. tam Regulares Mendicantes, quam Episcopi absolute possunt dispensare 1. in voto Castitatis perpetuae, vel etiam Religionis, si est conditionatum, vel poenale, vel ex metu etiam levi injuste incusso emissum. 2. in voto temporali seu ad certum tempus. 3. in voto sacros Ordines suscipiendi, ita etiam a fortiori dispensare possint super impedimento petendi debitum inde exorto.

568 Resp. II. Possunt insuper Regulares Mendicantes cum conjuge ad petendum debitum dispensare super impedimento, proveniente ex voto simplici Castitatis perpetuae ante contractum Matrimonium facto. Sanch. *Lib.* 8. *de Matrim. Disp.* 16. *n.* 3. Veracrux 1. *p. specul. art.* 16. Rodriq. *Tom* 1. *qq. Regular. q.* 62. *art.* 2. Quintenadvenas *singular Tract.* 9. *singul.* 11. *n.* 5. *Henriq. lib.* 12. *de Matrim. cap.* 2. *n.* 9. Hurtado, Sorbus, et alii, qui communiter probant conclusionem ex privilegio a Pio V. concesso nobis Franciscanis 26. Octobris 1569. uti refertur in compendio Societatis. Verum quia citati DD. ipsimet fatentur, hoc privilegium esse tantum vivae vocis oraculo concessum, consequenter revocatum per Bullam Gregorii XV. et Urbani VIII. quibus omnium quorumcunque Regularium privilegia cuncta solo vivae vocis oraculo concessa, expresse revocantur, dicto privilegio conclusio sufficienter, non probatur, nisi prius probetur, hoc privilegium post dictas Bullas de novo esse concessum, vel vivae vocis oraculo, non obstantibus praefatis Bullis, adhuc practicari posse in foro poenitentiae (prout plures Regulares etiamnum docent) de qua doctrina infra *Lib. V. Tit. XXXIII. de Privileg.*

569 Hinc aliter probatur Conclusio: Possunt Regulares Mendicantes dispensare in omnibus votis, in quibus jure Ordinario possunt Episcopi per dicta *Lib. III. Tit. XXXIV. de voto, et voti Redempt. num.* 39. atqui Episcopi possunt dispensare ad petendum debitum in voto Castitatis perpetuae ante Matrimonium emisso per dicta supra *num.* 568. ergo idem etiam poterunt Regulares Mendicantes.

570 Dices: Episcopos non dispensare cum conjugibus in voto castitatis ante Matrimonium emisso, sed tantum in consurgente inde impedimento petendi debitum, remanente voti vigore quoad reliquos effectus, adeo ut, non obstante dispensatione hac, conjux maneat obligatus, soluto Matrimonio, servare castitatem, ac etiam sacrilegium committeret, si durante Matrimonio copulam haberet cum alio, ergo praecedens probatio non

subsistit, quia non valet argumentari a Regulares possunt dispensare in omnibus votis, in quibus jure ordinario possunt Episcopi; ergo etiam possunt dispensare in impedimentis, in quibus possunt Episcopi. Negatur enim consequentia et paritas, cum aliud sit dispensare in votis, aliud in impedimentis, neque ad haec, sed illa tantum dispensanda Mendicantes consimilem Episcopis habent potestatem juxta dicta supra. Resp. Negando primam Consequentiam. Ad probationem distinguitur: a potestate dispensandi in votis non licet inferre dispensandi potestatem in impedimentis, in casibus, in quibus impedimentum non oritur ex voto; conceditur, in casibus, in quibus impedimentum oritur ex voto, seu potius est ipsum votum, negatur. Cum itaque in praesenti solum votum ante nuptias emissum obstet, et impediat, seu ipsum sit impedimentum, quod conjux illo adstrictus nequeat petere debitum, palam est, illum, qui dispensare potest in tali voto, posse etiam dispensare in impedimento, quod est ipsum votum. Ad primum antecedens pariter distinguitur: Episcopus ad praesens non dispensat in perpetuo castitatis voto, quoad omnem ejus partem, et effectum, conceditur, non dispensat quoad aliquam ejus partem, et effectum, obligationem nempe non petendi debitum, negatur. Neque plus ad praesens tribuimus Regularibus, quam quod ad modum Episcopi non in toto, sed in aliqua parte seu obligatione dispensare valeant.

Caeterum ultro conceditur totus discursus, quod non valeat argumentari a potestate dispensandi in impedimentis, consequenter ex eo, quod vi privilegii possimus dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi, non possimus dispensare in omnibus impedimentis, in quibus possunt Episcopi, prout jam dictum est supra.

571 Resp. II. Possunt Regulares Mendicantes dispensare ad petendum debitum cum conjuge, qui post contractum Matrimonium cum sui conjugis consanguinea etiam in primo gradu incestum commisit, et consequenter affinitatem cum proprio conjuge contraxit, Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 16. *num.* 8. Sorb. *in compend. Privileg.* §. *Absolutio.* 2. *quoad saeculares.* Veracrux 1. *p. spec. art.* 25. *in fine.* Henriques *lib.* 11. *de Matrim. cap.* 15. *n.* 11. Quintenad. *singular. tr.* 9. *sing.* 3. et alii, qui a potiori iterum probant conclusionem ex privilegio vivae vocis oraculo nobis Franciscanis concesso per Pium V. illis verbis *possunt dicti Confessarii, si sint viri docti, et forma Concilii Trident. approbati, ex commissione Provincialis dispensare in foro Conscientiae ad petendum debitum cum his qui Consanguineum, vel Consanguineam sui conjugis post Matrimonium carnaliter cognoverunt.* Verum haec probatio non videtur sufficiens juxta dicta in simili supra *nu.* 568.

572 Hinc probatur aliter et efficaciter ex Privilegio Eugenii IV. quod non vivae vocis oraculo, sed per Bullam concessit Benedictinis Congregationis Cassinensis 1436 pridie Calendas Julii, et refertur *in Bullario Cassin. Tom.* 1. *Constit.* 36. quam etiam alii allegant Doctores, praesertim vero Murga *Tom.* 2. *Disquisit. Moral. Disquisit.* 1. *Dub.* 13. *num* 121. Licet enim in praefata Bulla expresse non contineatur facultas dispensandi cum incestuosis conjugibus ad petendum debitum, ac propterea ab initio de illa fuerit dubitatum, tamen postea Julius II. expresse declaravit, hanc potestatem vi dictae Bullae Eugenianae censeri concessam: quam declarationem suam notificari fecit per Ludovicum Cardinalem, et Poenitentiarium suum, uti patet ex illius litteris sigillo Poenitentiariae signatis; et (teste eodem Murga) Authentico Cassinensi Bullario insertis, sequentis tenoris: *Nos igitur auctoritate Domini nostri Papae, cujus Poenitentiariae curam gerimus, et de ejus speciali et expresso mandato, super hoc vivae vocis oraculo nobis facto, ut tam vigore concessionis Apostolicae praedictae, quam verborum hujusmodi in illa appositorum, vos et pro tempore existentes dictorum Monasteriorum Abbates, Priores, Praesidentes, et Monachi praedicti conjugatos hujusmodi, qui post contractum Matrimonium Consanguineas uxorum suarum cognoverunt, vel uxores, quae a consanguineis virorum suorum se carnaliter cognosci permiserunt, a talibus excessibus absolvere et eis salutarem poenitentiam injungere, nec non cum eis, et eorum quolibet, ut non obstante affinitate superveniente debitum conjugale reddere et exigere valeant, dispensare libere et licite valeatis, ac possint, ac valeant, perpetuo declaramus. In contrarium non obstantibus quibuscunque.*

573 Nec dicas, hanc declarationem a Julio II. esse concessam solo vivae vocis oraculo, consequenter revocatam per Bullam Gregorii XV. et Urbani VIII. Nam contra est, quod, etsi in dictis Bullis revocantur ipsa privilegia et facultates solo vivae vocis oraculo concessa, minime tamen revocentur declarationes, quae vivae vocis oraculo fiunt super privilegiis Bullatis; quia talis declaratio nil novi concedit, sed praecise, quod jam concessum est declarat, et statim a principio implicite jam inest illi, in eoque continetur, quod postea declaratur, uti diximus in Prooemio §. VIII. *n.* 132. *arg. Auth. de Rapt. Mulierib.* §. *fin. collat.* 9. cum concordant.

574 Confirmatur conclusio *num.* 571. posita: Possunt Regulares Mendicantes in impedimento affinitatis dirimente pro foro conscientiae dispensare, ut conjuges illo non obstante possint Matrimonium prius nulliter contractum revalidare, et in illo permanere, debitumque petere ac reddere valeant juxta dicta a *n.* 542. ergo etiam poterunt in affinitatis impedimento post Matrimonium contractum solamque petitionem debiti impediente dispensare.

575 His accedit etiam universalis consuetudo, vi cujus constat, quod Regulares passim dispensent pro foro interno cum incestuosis conjugibus ad petendum debitum. Consuetudo autem tribuit Jurisdictionem c. *Duo simul. de Off. Ordin.* aeque acquiritur privilegium per dicenda infra: ergo.

576 Quaeritur IV. An ad valide et licite dispensandum cum impeditis ad petendum debitum requiratur, ut Confessarii Regularium ad hoc specialiter deputati sint, habeantque licentiam specialem a suis superioribus Majoribus v. g. apud nos a Provinciali, vel non? Resp. I. Si conjuges impediuntur a petendo debito ratione voti ante vel post Matrimonium emissi, nulla requiritur specialis licentia, vel deputatio a Superiore Majore. Conclusio videtur carere controversia. Ratio est; quia certum est, quod Confessarii Regulares possint vi privilegiorum absque ulla speciali deputatione, vel licentia Superioris dispensare in votis; ergo etiam in impedimentis petendi debitum, quae ex solis votis proveniunt, vel potius ipsamet vota sunt; nam hoc ipso, quod dispensando auferunt votum, auferunt etiam impedimentum petendi debitum juxta dicta supra *n.* 559.

577 Resp. II. Quamvis si spectare velimus solum privilegium a Pio V. nobis Franciscanis, et ab Eugenio Benedictinis concessum, securius, et probabilius videatur, Confessarios Regularium non posse dispensare ad petendum debitum, quando conjux ab eo impeditur ratione affinitatis contractae ex copula post contractum Matrimonium habita cum aliqua sui conjugis consanguinea in primo, vel

secundo grado; tamen id possunt vigore privilegii a Leone X. concessi. Primam partem Conclusionis docent Rodriquez *Tom.* 1. *qq. Regular. q.* 63. *art.* 1. Portel. *in dub. Regular.* ℣. *Confessor. num.* 23. Herinx *Disp.* 4. *de voto. q.* 6. *num.* 68. Murga, et alii satis communiter. Ratio est; quia in memoratis privilegiis expresse requiritur, ut confessarii ad hoc specialiter deputentur, seu specialem commissionem, et licentiam a Provinciali vel Abbate habeant, uti patet legenti Bullas; *Privilegia autem non plus operantur, quam verbis exprimunt* juxta commune axioma DD. *arg. c. Recepimus, et c. Porro de Privileg.* nec extendi debent, praesertim si sunt Jure communi contraria *arg. c.* 1. *et* 2. *de Filiis Presbyt. juncto c. cum Capella.* 16. *c. Pastoralis.* 16. *de Privileg. cum Concord.* ergo.

578 Alteram Conclusionis partem expresse tenet Diana *p.* 5. *Tract.* 13. *p. Resolut.* 46. citans etiam Caelestin. *in compend. Theolog. Moral. Tract.* 8. *cap.* 15. eandem docet Anton. a Spiritu S. *in Direct. Regular. p.* 1. *Tract.* 2. *Disp.* 1. *sect.* 2. §. 3. *num.* 112. citans Leand. Martin. a S. Joseph. Bordon. et alios. Probat Diana cum Caelestino suam opinionem ex eo, quod, licet Eugenius IV. et Pius V. dederint privilegium cum clausula, ut Confessarii Regulares illud practicandi specialem debeant habere licentiam Superioris, tamen postea Pontifices successores idem privilegium aliis Regularibus communicaverint sine simili clausula restrictiva. Verum hoc argumento non videtur sufficienter probari intentum; quia, si alii Regulares idem privilegium per solam communicationem habent, uti fatentur hi DD. non plus nec aliter participant, quam privilegium communicatum sonat; alias enim non esset pura communicatio ejusdem, sed nova concessio, prout cum communi aliorum magis dicetur *Lib. V. Tit. XXXIII. de Privileg. et excess. privilegiat.*

579 Hinc probatur secunda pars conclusionis aliter ex alio, ac distincto privilegio, videlicet Leonis X. supra §. *praec. nu.* 543. allegati: cum enim vi dicti privilegii possint Confessarii Regulares Mendicantes legitime approbati et exposti, absque ulla speciali deputatione, vel licentia superioris dispensare in foro conscientiae cum conjugatis super impedimento affinitatis dirimente, ita ut Matrimonium nulliter contractum revalidare, in eoque permanere, debitumque petere ac reddere valeant, multo magis poterunt super eodem affinitatis impedimento solam petitionem debiti impediente dispensare juxta *Reg.* 53. *I. in* 6. *Cui licet, quod est plus, licet utique quod est minus*, etiam in materia privilegiorum, si majus et minus sunt ejusdem ordinis, et minus in majori includitur, uti in praesenti; quia potestas dispensandi super impedimento dirimente implicite etiam includit potestatem dispensandi super impedimento petendi debitum, utpote quod libere petere possunt conjuges incestuosi, statim ac sunt dispensati super impedimento affinitatis dirimente, cum quo contraxerant.

580 Hinc dicto privilegio Confessarii absque ulla speciali licentia in foro conscientiae secure uti possunt, praesertim cum in Dispensatione ad petendum debitum non agatur de valore Sacramenti, sed tantum de honestate actus.

581 Quaeritur V. An etiam requiratur causa ad dispensandum in petitione debiti? Resp. Affirmative, sive Episcopus sive Regularis dispenset. Unanimis et certa; quia nulla dispensatio in lege Superioris subsistit sine causa per dicta *Lib. I.* §. *XVIII.* Solet autem ordinarie semper adesse causa, videlicet periculum incontinentiae saltem respectu viri.

§. XIII. et Finalis.

De Revalidatione, seu Ratificatione Matrimonii invalide contracti.

SUMMARIUM.

582 *Ratio Ordinis.*
583 *Matrimonium variis modis invalide contrahi potest.*
584 *Controversia praesentis §. quae?*
585 *Ad revalidandum Matrimonium requiritur novus consensus utriusque conjugis: Et num. seq.*
587 *Requiritur etiam, ut pars nullitatis ignara certioretur de ea.*
588 *Probatur ex litteris Dispensationis.*
589 *Et responso Clementis VIII.*
590 *Ratione.*
591 *Solvitur objectio: et seqq.*
595 *Dum ignorans certior sit de nullitate prioris Matrimonii non est necesse, revelare nullitatis causam.*
596 *Securissimus modus alteri notificandi nullitatem Matrimonii quis?*
Invalidum esse, et non esse paria sunt. Ibidem.
597 *Alius modum notificandi alteri nullitatem, et sollicitandi ab eo consensum, sub conditione nempe; si prius Matrimonium invalidum esset, et seq.*
599 *Solvuntur Objectiones contra hunc modum, et seqq.*
601 *Qualiter in praxi disponendus sit ignorans nullitatem, ut ad novum Matrimonium consentiat, et seq.*
603 *Alius modus sollicitandi novum consensum ignorantis nullitatem per tertium videlicet.*
604 *Novus consensus debet dari per verba de praesenti.*
605 *Juxta aliquos sufficit subinde notitia, et consensus unius.*
Reprobatur Ibid.
606 *Requiritur etiam notitia nullitatis, et novus utriusque consensus, si ex solo defectu consensus unius nullum fuit Matrimonium et num. seq.*
608 *Solvitur Objectio.*
609 *Confirmatur ex responso Clementis VIII.*
610 *Si impedimentum evadit publicum, debet de novo contrahi in praesentia Parochi, et testium.*
611 *Secus si est occultum.*
612 *Probatur hoc ex declaratione Pii V. et Formulis litterarum Dispensationis.*

Ex dictis et continua experientia patet, persaepe Matrimonia invalide contrahi ob vigentia inter conjuges impedimenta dirimentia, ut proin Dispensatio super illis, et Matrimonii invalide contracti revalidatio necessaria. Hinc rectus ordo requirit, ut postquam de Dispensatione post Matrimonium invalide contractum obtinenda, in praecedentibus sufficienter jam egimus, agamus etiam de Revalidatione Matrimonii, seu de novo Matrimonio, quo Matrimonium prius invalide contractum, vi Dispensationis revalidari, et de novo quasi contrahi possit, et debeat. 582

Notandum autem prius, Matrimonium variis 583
modis invalide contrahi posse: videlicet vel ob impedimentum aliquod dirimens publicum, aut occultum, idque uni soli, vel utrique conjugi notum: Vel ex solo defectu consensus ex parte unius,

vel utriusque; ut si ex parte unius, vel utriusque est tantum simulatus, aut fictus consensus, aut error circa substantiam, seu individuum personae, aut circa conditionem: vel ob metum injuste incussum. Hoc notato.

584 Gravissimae, et Apostolica decisione profecto dignae sunt controversiae inter Doctores; primo, an ad revalidandum Matrimonium invalide contractum, unius conjugis sufficiat, vel utriusque requiratur consensus. Secundo, an? quando? et quomodo alteri conjugi, qui impedimenti nescius bona fide contraxit Matrimonium, nullitas illius notificari debeat. Tertio, an? et quando ad revalidandum, seu de novo contrahendum Matrimonium prius invalide contractum denuo requiratur praesentia Parochi, et testium? De quibus singulis singula ponimus quaesita.

585 Quaeritur I. An obtenta Dispensatione ad revalidandum Matrimonium invalide contractum sufficiat unius? vel requiratur utriusque consensus, et qualis? Item an? et qualiter certior fieri debeat de nullitate Matrimonii ignorans illam, casu, quo Matrimonium invalide fuit contractum ratione alicujus impedimenti dirimentis v. g. Affinitatis, Criminis etc. Resp. I. In tali casu non sufficit novus ad contrahendum consensus unius, illius nempe, qui conscius impedimenti occulti Dispensationem procurari fecit, sed omnino requiritur expressus novus consensus externus utriusque. *D. Thom. in* 4. *dist.* 40. *q. un. art.* 4. *ad* 6. Scotus *in* 4. *dist.* 35. *q. un.* §. *Respondeo.* ℣. *Primus consensus.* Bosco *Disp.* 12 *de Impediment. Matrim. sect.* 14. *conclus.* 2. Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. Disp.* 35. *num.* 2. Guttierrez *de Matrim. cap.* 47. a *n.* 3. Hostiens. *in c.* 1. *de Eo, qui duxit in Matrimonium*, et ibi Innocent. *n.* 1. Ancbar. *n.* 4. Alex. *de Novo n.* 15. Henriquez *de Matrim. lib.* 12. *cap.* 1. *n.* 7. Pontius *lib.* 4. *Disp.* 24. *nu.* 2. cum communissima aliorum contra nonnullos citatos apud Sanchez *loc. cit. nu.* 1. *et Disp.* 36. *num.* 5. relatos, volentes sufficere, si sola pars conscia impedimenti consentiat. Ratio est; quia ad essentiam Matrimonii requiritur expressus, verus, et validus utriusque conjugis consensus *arg. l. Nuptias.* 30. *ff. de R. I.* et *can. sufficiat.* 2. *cau.* 27. *q.* 2. consequenter cum prior consensus stante impedimento ad Matrimonium habitus, ex parte utriusque fuerit invalidus, et nullus, utpote inter personas inhabiles praestitus, omnino requiritur novus ex parte utriusque.

586 Confirmatur. Fatentur omnes etiam Adversarii, quod, si ambo conjuges prorsus nullum habuissent consensum ad contrahendum Matrimonium, ad illud revalidandum requireretur consensus utriusque; ergo etiam si consenserunt quidem, sed invalide ac nulliter, quia nulliter seu invalide factum, et non factum, seu invalidum esse et non esse, paria censentur *L. Quoties. ff. qui satisdare cog.*

587 Resp. II. Ut consensus ad revalidandum Matrimonium invalide contractum, ab utroque rite praestetur, requiritur, ut obtenta Dispensatione etiam altera pars impedimenti ignara, aliquo modo prudenter et caute certior fiat de nullitate Matrimonii prius contracti. Scotus *loc. cit.* Bosco *loc. cit.* Pontius *de Matrim. lib.* 4. *cap.* 25. *a num.* 2. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 36. *num.* 4. Guttierrez *de Matrim. cap.* 47. *a num.* 4. Navarr. *Manual. cap.* 22. *num.* 17. Tambur. *Tract.* 4. *cap.* 7. §. 4. Palao, Hurtado, Aversa, Coninck, et communis aliorum contra Henriquez *lib.* 11. *cap.* 3. *n.* 6. Ledesma *de Matrim. q.* 45. *art.* 3. *dub. ult.* §. *sed dubium est*, et alios apud Sanchez *lib.* 2. *Disp.* 36. *num.* 2. relatos, volentes, sufficere, si obtenta dispensatione conscius nullitatis ab altero nullitatem ignorante petat, ut secum de novo contrahat, vel in conjugem accipiat, et annuentem vicissim in conjugem recipiat, nec esse necesse, ut ullo modo de nullitate Matrimonii mentionem faciat.

Probatur autem conclusio nostra primo ex formula Dispensationis litterarum S. Poenitentiariae, ubi expresse requiritur, ut pars ignorans nullitatem de eadem certioretur, uti patet ex formula supra allegata ibi: *muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur*: quae clausula cum in ablativo posita conditionem requirat *arg. l. si debitor.* §. 1. *ff. quibus modis Pignora.* necessario observanda erit. 588

Probatur secundo ex declaratione et responso Clementis VIII. ponendo infra *n.* 609. 589

Probatur tertio ratione: Impossibile est, ut Matrimonium prius invalide contractum novo consensu revalidetur, nisi utraque pars prius sciat nullitatem Matrimonii; *quia nil volitum, quin praecognitum*, consequenter si aliqua pars conjugum ignorat, prius Matrimonium fuisse invalidum, illud tanquam prius invalidum novo consensu ratificare non potest cum, etsi nescio quo consensu, vel actu v. g. copula animo conjugali habita illud ratificet, id aliter non faciat, quam quia credit, illud esse validum, sicque ex errore tanquam validum, et non tanquam invalidum confirmet, et ratificet. *Nam actus agentium ultra eorum intentionem non operantur l. Non omnis.* 9. *prin. ff. si certum petatur.* 590

Confirmatur: Consensui nil magis obest quam error *l. si per errorem.* 15. *ff. de Jurisdict.* ibi: *Quid enim tam contrarium est consensui, quam error, qui imperitiam detegit.* et *l. Nihil.* 116. *ff. de R. J.* ergo quia ignorans nullitatem Matrimonii consentit in illud ex errore, ut ex eodem illud per actus conjugales ratificat, putans, ex ignorantia et errore, illud esse validum, nullius est ipsius consensus.

Objicies contra utramque conclusionem; consensus, qui ad ineundum Matrimonium semel vere datur, moraliter semper perseverat, donec revocetur. *arg. c. fin. de Procurat.* et *L.* 1. §. 1. *ff. de V. O.* ergo etiam perseverat in illo, qui consensum ex ignorantia impedimenti et bona fide dedit. Unde licet prius propter obstans impedimentum talis consensus non efficiat Matrimonium, efficit tamen illud, si impedimento per dispensationem sublato, nondum revocatus adhuc perseverat, et alterius nullitatem scientis novus consensus expresse accedat; consequenter non requiritur, ut ignorans impedimentum, de novo etiam consentiat, multo minus, ut de nullitate Matrimonii certioretur. Resp. Distinguendo Ant. consensus semel vere datus perseverat, donec revocetur, si fuit validus, conceditur, si fuit invalidus, negatur ant. et consequentia. Licet itaque ignorans impedimentum consenserit, in Matrimonium; tamen quia consensus illius fuit invalidus, idem est, ac si non consensisset, seu nullum habuisset consensum per Jura allegata *num* 586. Consensus autem, qui nunquam extitit, perseverare non potest; *cum non entis non sint qualitates.* 591

Instabis: etiam invalidus ad Matrimonium Consensus perseverat, et perseverans sufficit ad revalidandum Matrimonium invalide contractum *l. si quis* 27. et *l. Eos qui* 65. *ff. de Ritu nupt.* ubi expresse cavetur, quod Matrimonium ratione status personae invalide contractum revalidetur, si status et Officium amittitur: ergo. Resp. Leges loqui de casu, quo alter cognita priori 592

nullitate in conjugio scienter perseverans actu conjugali, vel alio signo externo novum consensum exprimit.

Confirmatur responsio ad utramque objectionem. Si, uti volunt objectiones, sufficeret ad revalidandum Matrimonium, quod consensus quantumvis ex errore, et ignorantia, et invalide datus non sit revocatus, consequenter adhuc perseveret; sequeretur etiam ex parte illius, qui post Matrimonium contractum in notitiam impedimenti venit, non requiri consensum, sed sufficere, quod nunquam revocatus adhuc moraliter perseveret; atqui, sequela est contra ipsos adversarios: ergo.

593 Objicies Secundo, quando impedimentum per dispensationem aliquando est sublatum, sunt personae dispensatae vere habiles, possuntque pro libitu Matrimonium revalidare, et de novo contrahere, illudque vere contrahunt, si ambo de novo consentiant, etsi unus tantum prioris nullitatis notitiam habeat, consequenter saltem non requiritur ut etiam pars altera de nullitate certior fiat; cum Matrimonium solo mutuo consensu habilium ad contrahendum valide contrahatur, *arg. cit. l. Nuptias* 30. *ff. de R. J.* Resp. distiug. sublato per dispensationem impedimento possunt conjuges Matrimonium prius invalide contractum revalidare, et de novo contrahere, si ambo dant verum novum consensum, seu de novo consentiunt ad Matrimonium novum, et a priori distinctum contrahendum, conceditur; si non ambo, sed unus tantum eorum dat novum consensum, alter vero de novo consentit, non ad novum, sed ad prius invalidum, negatur. In casu autem, quo unus conjugum Matrimonii nullitatem ignorat, non dat consensum ad Matrimonium novum, sed ad antiquum invalidum hoc ipso, quod putet esse impossibile, stante priori Matrimonio (quod de facto adhuc credit validum) novum contrahere, consequenter ipsius consensus non nisi in praecedens Matrimonium feratur, illudque solum, quod prius gestum erat, approbare, et ratificare censeatur; nullam habens cogitationem de Matrimonio novo, utpote quod ex errore nec possibile, multo minus necessarium credit.

594 Confirmatur responsio: si solus novus consensus conjugalis sufficeret ad revalidandum invalide contractum Matrimonium, sequeretur, quod sublato per Dispensationem impedimento ex parte nullius conjugis requireretur notitia nullitatis prioris Matrimonii, sed sufficeret, dummodo Confessarius ipsis etiam ignorantibus dispensationem impetraret, eaque impetrata conjuges dispensationis ignari per copulam animo conjugali factam, seu continuatam, vel alio modo novum consensum exprimerent; cum nulla appareat ratio, quare, si ex parte unius sufficit novus consensus sine notitia prioris nullitatis, non sufficiat etiam ex parte alterius; atqui sequela rursus est contra omnes etiam Adversarios: ergo.

595 Quaeritur II. Qualiter ergo in praxi ignorans nullitatem de ea certior fieri, et consensus de novo praestari possit ac debeat? Resp. I. Ad id non necesse, ut ignoranti nullitatem causa nullitatis v. g. impedimentum criminis, aut affinitatis ex praecedenti copula fornicaria cum consanguinea persona conjugis contractae manifestetur; sed potius debet ignorans nullitatem de ea ita prudenter et caute certior fieri, ut alterius delictum nullatenus detegatur. Unanimis, et certa, patetque ex formola Dispensationis litterarum Sac. Poenitentiariae, ubi expresse praescribitur, ut manifestatio nullitatis ita caute fiat, ut alterius *delictum nusquam detegatur.*

596 Resp. II. Ad propositum pro insinuanda nullitate servire, et quadrare sequentes modos. Primus, isque securissimum est, ut, si consideratis conditionibus et qualitatibus conjugum, nullum timendum est periculum scandali, diffamationis etc. pars nullitatis conscia nil dicens de causa nullitatis, in genere sincere patefaciat alteri nullitatem Matrimonii dicendo v. g. *Multum angor in conscientia; quia credo*, vel *puto Matrimonium inter nos ex aliqua causa non esse validum, hinc rogo te, ut ad pacandam conscientiam meam de novo contrahas mecum, meque in conjugem novo consensu accipias, prout ego te ex nunc in conjugem accipio*: quod si aliter conjugem, ita amet, ut sine haesitatione dicat: *placet*, *consentio*, *de novo te in conjugem accipio etc.* res salva est: si vero interroget causam, potest vel rogare, ut ad hoc non adstringat; vel potest dicere, se ab initio non consensisse, vel non habuisse verum et sufficientem consensum, quod cum veritate dicit; quia consensus ratione impedimenti invalidus revera non est sufficiens, nec est verus, id est, vere validus ad propositum, sed est, ac si omnino nullus datus fuisset, uti bene advertit Sanch. *lib.* 2. *Disp.* 36. *n.* 7. eo quod invalidum esse et non esse paria sint, *arg. l. quoties ff. qui satisdare cog.*

597 Secundus modus nullitatem Matrimonii alteri intimandi: et novum obtinendi consensum esse potest, conjugem nullitatis inscium caute et prudenter ita disponere, ut interne et externe revera consentiat ad novum Matrimonium conditionate, ita, quod si ex aliqua causa Matrimonium ipsius nullum esset, novusque ad illud revalidandum consensus requireretur, nunc vere consentire et compartem in conjugem accipere velit. Sanch. *lib.* 2. *Disp.* 36. *n.* 5. Busco *de Impediment. Matrim. Disp.* 12. *sect.* 14. *concl.* 2. Gubat. *in Quinar. Tract.* 5. *cap.* 37. *a n.* 132. Sporer *de Matrim. cap.* 2. *sect.* 2. *n.* 459. Herins *de Matrim. Disp.* 6. *q.* 3. *n.* 33. contra Pontium *de Matrim. lib.* 4. *cap.* 25. *a n.* 4. Ratio est quia, licet in tali casu ita consentiens non formalem, tamen aequivalentem habeat cognitionem nullitatis, hoc ipso, quod facta nullitatis mentione et memoria forsan existentis, expresse, vereque velit, se consentiat de novo contrahere, si forsan Matrimonium prius invalidum sit, vel esset, quod sufficere pro certo habet Sporer et Herinx *l. c.* Et merito, quia cum sublato per Dispensationem impedimento, personae ad contrahendum omnino habiles sint, nilque desit, quam verus de novo contrahendi consensus, profecto matrimonium valide de novo contrahetur, si ad id consensus saltem sub conditione, quae de praesenti existit, si nempe Matrimonium invalidum sit, vere datur, prout datur; eo quod consensus datus sub conditione de praesenti vel de praeterito aeque valeat, quam absolutus, si conditio vera est, uti in casu nostro, *L. Cum ad praesens ff. si certum petatur*, et §. *Conditiones.* 11. *Instit. de V. O.*

598 Nec refert, quod tali modo alter non habeat absolutam notitiam de nullitate; quia haec non requiritur, sed sufficit aequivalens. Notitia enim seu cognitio prioris nullitatis praecise ideo requiritur; ut ignorantis novus consensus non referatur ad antiquum Matrimonium, quod putat validum, sed vere detur ad novum contrahendum, taliter autem datur per praefatum modum hoc ipso, quod nullitatis forsan existentis memor expresse dicat, *velle se de novo contrahere, si prius Matrimonium sit, vel esset nullum.*

599 Nec potest huic doctrinae se opponere Pontius, eo quod ipsemet *l. c. n.* 5. fateatur, sufficere talem aequivalentem nullitatis cognitionem, casu quo maritus v. g. inscius nullitatis, ex sincero erga putativam uxorem amore, sua sponte, et absque alia

inductione diceret, *ego ita te diligo, ut, si, stante aliquo impedimento Matrimonium inter nos contractum fuit nullum, illudque cessavit, nunc denuo vellim contrahere tecum.* Non enim apparet, quare in tali casu sufficiat ex aequivalenti nullitatis cognitione, novus consensus conditionatus proprio motu habitus; et non sufficiat idem, si ad eundem ab alio licite inducatur.

600 Dices, cum Pontio, in hoc posteriori, non item in priori casu intervenire dolum. Resp. hunc dolum esse licitum, et nullatenus obesse valori Matrimonii: quia non dat causam contractui, cum propter eum non detur consensus, nec ei innitatur hoc ipso, quod praecise versetur circa nullitatem, quam alter non curat, eaque data, et supposita vere de novo contrahere velit; prout aperte indicat, dum, uti supponitur, vere dicit, *quod, si Matrimonium prius invalidum sit, vel esset, velit nunc contrahere.* Bosco cit. *Disp.* 12. *sect.* 14. *concl.* 2. *a ne.* 72.

601 Tota igitur difficultas in eo consistit, quomodo, si absque periculo scandali, vel alterius mali pars altera de nullitate Matrimonii juxta dicta absolute certiorari non potest; prudenter disponi possit ac debeat, ut ex aequivalenti cognitione nullitatis consensum ad novum Matrimonium praebeat sub conditione, *si Matrimonium prius invalidum sit, vel esset.* Sanch. *Lib.* 2. *Disp.* 36. *n.* 5. et alii ipsum in hoc communiter sequentes putant, conjugem nullitatis conscium bene procedere, si dicat: *me ita diligis? ut si non esset inter nos Matrimonium, adhuc velles me accipere pro uxore, et de facto me accipis?* Ad hanc enim interrogationem, si alter annuat, et dicat, *ita, volo etc.* simulque interrogans dicat, *pariter et ego volo*, validum sit Matrimonium. Verum quamvis in hoc cum Sanch. et aliis nos quoque sentiamus; tamen paulo amplius circa hunc modum ad evitandam omnem alterius suspicionem instructio danda est simplicibus.

602 Notandum itaque, Confessarios debere prudenter instruere conjugem nullitatis conscium (praesertim foeminam) ut praefatis, vel similibus verbis non statim ex abrupto quavis habita etiam importuna occasione et tempore dicat; sed invocata prius Dei gratia, licitis modis honestis, amoris, et sinceri affectus ac benevolentiae signis, et affectibus studeat compartem sibi obligare, et ad sui honestum amorem reciprocum promovere; quo aliqualiter saltem habito utatur occasione, et tempore, et prius suum erga ipsum sincerum affectum, aestimationem, et amorem verbis exprimat, ac contestatur, eoque facto primum interroget dicendo v. g. *Ego vere ac sincere te diligo, gaudeo, Deumque laudo, quod te mihi conjugem miserit, profecto si te non accepissem, vel Matrimonium tecum non contraxissem, adhuc acciperem, et de facto accipio, et semper te habebo pro meo dilectissimo conjuge: utique etiam tu similiter me amas: quin nulla major mihi crux foret, quam scire, quod a te reciproce non amer:* hujusmodi verbis praemissis videat, quid respondeat alter conjux: si consimiliter respondet, res salva, et Matrimonium de novo contractum est, si vero simpliciter dicit: *etiam ego amo te etc.* non autem addat, quod si Matrimonium cum ea non contraxisset, de facto contrahere velit; vel dicit quidem, quod contrahere *vellet*, sed non *velit*, de praesenti, prudenter ulterius urgendo interrogare debet: *sed nunquid etiam, si me pro conjuge non accepisses, vel Matrimonium inter nos contractum non esset, adhuc mecum contraheres, et nunc de novo me pro tuo fideli conjuge accipere, et semper retinere velis?* si annuit, et respondet *ita*, vel *volo*, res iterum est salva: si vero respondet; si te non accepissem, adhuc acciperem, adhuc urgere et interrogare debet, donec termino *de praesenti* consensum exprimente utatur v. g. *et nunc de novo te accipio*, vel *volo te pro conjuge meo* idque ob dicenda infra *num.* 604.

Alius adhuc securior et tutior modus esse potest, 603 si res prudenter ita disponatur, ut habito tempore et occasione prudenter, ne advertatur, per Confessarium v. g. vel prudentem aliquem tertium, cui fidem habet conjux, nullitatis ignarum fiat discursus de praestantia Matrimonii, ejusque difficultatibus, et crucibus; item et praecipue de gratiis sacramentalibus, quantum videlicet per has conjuges adjuventur, in amore mutuo conserventur, in variis benedicantur, et ad Matrimonii onera portanda confortentur, quae gratiae, si non essent, Matrimonium saepe valde miseros, et infelices effectus haberet; prout multiplex experientia demonstrat in illis, qui existente inter illos occulto impedimento nulliter Matrimonium contraxerunt; etsi illud ignorantes bona fide contraxerint; quia nullum tunc fuit Sacramentum Matrimonii, et per consequens nullae gratiae sacramentales. *Ob quod* (potest pergere Confessarius v. g.) *jam aliquibus consului*, vel *consultum et utilissimum duxi, ut cum plura sint impedimenta occulta, et variae causae, ob quas Matrimonium conjugibus in optima fide existentibus et innocentibus, Matrimonium potest esse nullum, ut conjuges inter se solus de novo sub conditione contrahant, dicente uno v. g si ex aliqua causa Matrimonium nostrum non esset validum, volo tecum ex nunc, et de novo contrahere: altero sincere respondente; volo pariter et ego tecum contrahere, et te pro nunc et semper pro meo conjuge habere: tali enim modo saepissime sufficienter consulitur, et efficitur Sacramentum:* post hujusmodi discursum exspectet, et videat conjux nullitatis conscius, an non post discessum ita discurrentis, alter ejusdem nullitatis ignarus ipsemet incipiat de hac materia iterum discurrere, et discursui conformiter Matrimonii novum contractum conditionatum praefato modo appetere, vel saltem occasionem et ansam praebere, ut conscius nullitatis idem ob auditam rationem consulere valeat. Si nullitatis ignarus nil desuper amplius discurrit, ipsemet conscius opportuno tempore et occasione, de hoc incipiat, et ad narrata se referendo, persuadere studeat, ut pro majori securitate gratiarum sacramentalium, Matrimonium de novo si ab conditione secum contrahat, videlicet, quod, si etiam ipsorum Matrimonium ex aliqua causa esset nullum, ex nunc de novo illud contrahere velint.

Illud specialiter notandum, quod, si conscius 604 nullitatis utatur uno ex dictis viis persuadendi alterum conjugem ad novum consensum, bene advertat ut praefatus consensus in praesenti, seu de praesenti detur v. g. *si Matrimonium nostrum esset invalidum, volo nunc tecum contrahere*: vel si per modum interrogationis solicitatur consensus; dicatur v. g. *itane me diligis? ut si Matrimonium nostrum esset invalidum, velis modo, seu nunc mecum contrahere etc.* quia non sufficeret in praeterito imperfecto dicere, *vellem* tecum contrahere, si Matrimonium esset nullum, sed requiritur, ut dicat, *volo* de praesenti, cum ly *vellem* actualem consensum de praesenti pro essentia Matrimonii requisitum non importet, uti cum communi aliorum bene observat Sanch. *Lib.* 2. *Disp.* 36. *n* 5.

Si quaeres, quid consilii? si absque periculo scan- 605 dali, diffamationis, vel alterius gravis mali nullo ex hactenus recensitis modis, nec formaliter videlicet, nec aequivalenter certior fieri potest ignarus de nullitate Matrimonii? Respondet Sanch. *c. l. nu.* 7. in tali casu sufficere, si consensus obtineatur absque ulla data notitia nullitatis prioris. Imo si

nec hoc fieri potest, sufficere, solue de novo consentiat ille sonjux, qui oullitatis conscius est; idem docent ex Sansb. alii, ut Gobst *in Quinar. Tract.* 5. *cap.* 37. *n.* 132. et *n.* 245. Sporer *de Matrim. cap.* e. *sect.* 2. *n.* 460. eitans Dicastillo et alios, eo quod, ejunt, urgente pariculo scandali, vel alterius gravis meli beec doctrina seu probabilis ob euctoritatem plurium DD. practicari valeat. Verum in praxi nullatenus tutum, eut licitum aestimamus; si enim sententia docens omnino esse oecessarium ad revalidationem Matrimonii nulliter sontracti, ut conjux nullitatis ignarus de ee certior fiat vel formaliter et ebsolute juxta dicta *a n.* 596. vel saltem aequivalenter juxta dicta *a n.* 507. set probabilior, uti fatetur ipse Sench. *Lib.* e. *Disp.* 37. *n.* 4. ibi: *multo probabilior est*; idemque *l. s. n.* 245. sentiat Gubat; sicut etiam Sporer *l. c.* dicens, *se credere, quod rententia contraria speculativa sit reipsa omnino falsa*, et merim ob rationes *a* n. 587. allegatas, jam non licet hanc minus probabilem, eut omnino falsam sequi, quantumvie classicos habent pro se Doctores; eo quod recentissime eb Innocentio XI. sit centenția damnata, dicere, quod liceat sequi sententiam minus probabilem relicta probabiliori, quando est quaestio de valore Sacramenti, uti in queestione nostra.

606 Quaeritur III. Num etiem ad revalidationem Matrimonii requiratur novus otriusque conjugie consensus et nullitatis cognitio ex parte otriusque, casu quo ex solo defectu consensus unius irritum fuit Matrimooium? Resp. I. si ex defectus consensus ob errorem ipsius personae Matrimonium fuit nullum; ut dum putans esse Titiem, vel liboram, contrexerit cum Caja, vel serve, certum est, quod requiratur notitia nullitatis et erroris, novusque consensus. Sanch. *lib.* 2. *Disp.* 36. *n.* 1. eoque tasta omnes textu Juris satis slero. *s. c. et fin. de conjug. servor.*

607 Resp. II. Quamvie plurimi, inter quos etiam est Sanch. *Lib.* 2. *Disp.* 3e. *n.* 9. Navar. *in Man. cap.* e2. *n.* 51. *et n.* 80. Layman. *Lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 2. *sap.* 6. *n.* 1. velint, quod, si Matrimooium fuit invalidum ex solo defectu consensus unius v. g. vel ficte, vel ex timore injuste incusso consentientis, sufficiet, si sola pars, quae prius vel nullum, vel non sufficientem coosensum habuit, eum de facto praebeat: nec sit necesse, ut compara de novo consensum praestat, multo minus ut de nullitate Metrimooii prioris certioretur; tamen sontrarium nobis noo tantum tutius, sed et probabilius, consequenter in praxi omnino sequendum videtor eum Ledesma *de Matrim. dub.* 19. Falin. *in s. Ex parte. de Rescript. n.* 11. Comitolo *lib.* 1. *Respons. Moral. q.* 120. Pontio *lib* 4. *cap.* 25. *n.* 2. et aliis. Probatur. Cum quia rationes, ob quae requiritur, ut nullitatis ignarus de ea certioretur, et de novo conseotiat, casu, quo ob latens impedimentum Matrimonium fuit nullum, revera etiam militant io casu, quo ob defectum consensus fuit oullum. Tum quia etiam in tali casu verum est, quod consensus ex parte ignorantis fuerit invalidus ad Matrimooium, et proinde idem, ac si omnino fuisset nullus per Jure *n.* 596. allegata, consequenter nullatenus perseverans per dicta n. 591. ac per consequens novus necessarius erit; Tum quia defectus consensus etiam ex parte unius Jure Divino et naturali dirimit Matrimonium; ergo ad illud revalidandum non minus requiritur notitia prioris nullitatis, novusque consensus, quam si fuit nullum impedimentum jure duntaxat Ecclesiastico dirimens.

608 Nec obstat, quod pro praecipuo fundamento defendendae doctrinae contrariae elleget Bosco, videlicet, personas ex solo defectu consensus invalide conjunctas, fuisse tempore contractus Matrimonialis de se habiles ad contrahendum, consequenter verum consensum eb uno datum, fuisse omnino validum, indeque donec revocetur, semper perseverantem, ac per consequens, si cum tempore etiam altera pars vere consentit, sufficientem pro valore Matrimonii absque hoc, quod prius consentienti nullitas intimetur, vel ejus novus consensus de novo praestetur. Nam contra est; quod, licet absente impedimento verus consensus unius sufficiet, et valeat pro Matrimonio, si alterius consensus tempore debito accedit, tamen falsum est, si solus sine alterius consensu habetur, utpote ad contrahendum Matrimonium aeque invalidus, ac alius sincere, sed stante aliquo impedimento datus; nec minus inhabilis ad contrahendum est persona, quae nullum dat consensum, quam quae alio laboret impedimento.

Confirmatur rescripto Clementis VIII. Papae: 609
dum enim Comitolus specialiter consuluit dictum Pontificem super controversia ista, respondit Papa, *esse necessarium novum consensum utriusque, admonito prius Marito de Matrimonii nullitate.*

Quaeritur IV. An ad revalidandum Matrimo- 610
nium invalide contractum, denuo requiretur praesentia Parochi et testium? Ante responsionem notandum, quaestionem solum procedere de casu, quo impedimentum, ob quod Metrimonium invalide fuit contractum, est, et manet occultum: quia, si Matrimonio invalide contracto impedimentum evadit publicum, ita ut probari valeat, certum est apud omnes, ad revalidationem adhiberi debere novam praesentiam Parochi et Testium, hoc ipso enim: quod palam, et in foro externo scietur, prius Metrimonium publice contractum fuisse nullum, de novo publice contrahi debet, ad evitanda tam conjugum, quam populi scandala claro argumento *Concil. Trident. Sess.* 24. *de Reformat. Matrim. cap.* 1. H. N.

Resp. Ad revalidandum Metrimonium prius in 611
facie Ecclesiae publice, sed ob impedimentum occultum invalide contractum, nullatenus requiritur nova praesentia Parochi et testium, sed sufficit, si ambo conjuges habita prius nullitatis cognitione vel formali juxta dicta *a num.* 596. vel saltem aequivalenti juxta dicta *a num.* 597. ambo ad contrahendum Matrimonium inter se solus secreto consentiant. Sanchez *lib.* 2. *Disp.* 37. *num.* 3. Bosco *de Impedim. Matrimonii. Disp.* 1e. *sect.* 14. *conclus.* 3. rem more suo egregie et exacte deducens, Neverr. *in Summa. cap.* e2. *n.* 70. Et *de Sponsalib. lib.* 4. *consil. Tit. de Sponsalib. Consil.* 14. Peres *de Matrim. Disp.* 39. *sect.* 4. Castro Pelao Layman. Herinx *Disp.* 5. *q.* 3. *num.* 30. Sporer *de Matrim. cap.* 2. *sect.* 3. *num.* 465. Gobath *in Quinar. cap.* 37. *num.* 137. Bonacine, Diana, et de facto jam communior aliorum contra Pontium *lib.* 5. *cap.* 6. Comitolum et alios. Ratio conclusionis nostrae principalis est; quod Concilium Tridentinum, dum *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. annullet omnia Matrimonia sine praesentia Parochi et testium contracta, dictamque praesentiam tanquam de forma praescribit, nullatenus se extendit ad casum nostrum, nec unquam intendit comprehendere illum; siquidem ratio, ob quam dictum Concilium praefatam condidit legem, fuit, ut evitarentur gravia peccata et scandala, quae ex clandestinis Matrimoniis plerumque oriri solebant, plurimis, postquam in Matrimonio clandestine contracto aliquamdiu vivebant et taedium vel aversionem ab uxore sua habebant, eam utpote Metrimonium probare non valentem deserentibus, et cum alia publice contrahentibus, indeque in continuo adulterio viventibus; atqui haec

ratio nunquam locum habet in casu nostro, hoc ipso, quod illi, licet invalide, tamen publice contracta, in foro externo semper habeantur pro veris conjugibus, et non amplius permittantur alteri nubere, si, uti supponitur, impedimentum est occultum, et probari nequit; atqui si ratio et finis legis, quae est anima legis per vulgaria, casum in genere nunquam tangit, ad eum lex se non extendit, ut alibi amplius dictum, ergo.

612 Probatur secundo efficaciter ex declaratione Pii V. de qua testatur Navarr. qui, cum ipsamet sacrae Poenitentiariae interfuerit, et alias vir omni exceptione major extiterit, in suis formalibus merito hic auditur: *cit. cap.* 22. *num.* 70. ita scribit, *Sed (quod valde notandum est) fel. record. Pius V. declaravit, non esse illos (Parochum et testes) necessarios in contrahendo denuo Matrimonio ab iis, qui illud publice cum denuntiatione sufficiente contraxerunt; sed propter aliquod impedimentum occultum est nullum; quo sublato, oportet, ut denuo contrahatur; quod fieri posse sine ulla Parochi et testium praesentia, antequam ad Urbem veniremus respondimus. Qua declaratione sacrum Poenitentiariae Praetorium frequenter utitur.* Sic ille.

Idem asserit *de Sponsalib. consil.* 14. ibi: *Sed dubitatio magna orta fuit, an propter Decretum Concil. Trident. in hoc secundo consensu praestando necesse sit saltem adesse Parochum cum duobus vel tribus testibus; et propter illa verba Decreti:* Et hujusmodi contractus irritos ac nullos decernit, *visum fuit, esse necessariam praesentiam Parochi et testium: sed quia hoc in multis casibus non posset fieri sine periculo maximi scandali, et in Concilio non videtur fuisse cogitatum de hujusmodi casibus occultis, dictum fuit Illustrissimo Cardinali Propoenitentiario, ut nomine totius signaturae exponeret Sanctissimo, videri aequissimum, ut per aliquam constitutionem declararetur, quando praecesserunt denuntiationes, vel alias servata est forma Concilii, in hoc secundo sensu sufficere, ut secreto praestetur, sed ita ut conjux, qui ignorabat, in genere intelligat impedimentum dirimens Matrimonium subesse, et necessarium esse, et de novo mutuo consentiant, ut Matrimonium valeat.*

Confirmatur ex formula litterarum Dispensationis super impedimentis occultis; utpote ubi non tantum non injungitur nova praesentia Parochi et testium, sed expresse praescribitur, ut putativi conjuges inter se de novo *secrete* ad vitanda scandala contrahant: dum, contra in dispensatione super impedimentis publicis semper expresse praecipiat, et conjuges de novo in facie Ecclesiae juxta formam Concilii Trident. contrahant, manifesto argumento, quod Concilium pro convalidatione Matrimonii ob impedimentum occultum invalide contracti dictam praesentiam Parochi et testium non requirat. Atque haec in Librum IV. dicta sufficiant, atque judicio et Correctioni sanctae Matris Ecclesiae in omnibus humillime subjecta sint, sitque et maneat in omnibus ac per omnia. 613

SOLI DEO HONOR ET GLORIA